BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
9 G
57

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

34.5.20.
11
34 7
C 13
20 14

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

CONSCIENTIA
VERA ET SINGVLARIS
OBSERVATIO.

Authore MATTHÆO HOMEM LEITONIO, Luſitano Brigantino, Iurium Profeſſore, olim Braccarenſis Rotæ Auditore, poſtea Eborenſi, nunc Conimbricenſi Apoſtolico Inquiſitore.

Opus ſanè ſubtilitate præcellens: rationum vi demonſtrans: ſtudioſis omnibus, & veræ Philoſophiæ amatoribus perutile, ac neceſſarium.



Bibl. Soc.
Coll. Rom.
Jesu

PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis & Reginæ Architypographum, viâ Iacobæâ, sub Ciconiis.
ET
GABRIELEM CRAMOISY.

M. DC. LII.
Cum Privilegio Regis.

Digitized by Google

8.9.G.57.

Digitized by Google

SERENISSIMO

THEODOSIO

PORTVGALLIÆ

fœliciſſimo Principi.

SERENISSIME PRINCEPS, *Inter alias corporis & animi pretioſiſſimas dotes, quibus* DEVS OPT. MAX. CELSITVDINEM TVAM *ornauit, ac beauit, in ea, à tenera ætate S. Theologiæ mira affectio & cognitio illuxit: & iure quidem, nam ſcien-*

Digitized by Google

tiarum Princeps PRINCIPEm *decet. Immo ipſum fœliciſſimum nomen* THEODOSIVS *ſonat & indicat.*

THEOlogum DOctiſſimum SImbolum Vniuerſæ Sapientiæ. *Sicut, & beatiſſimam fortunam auſpicatur Anagramma illud.*

Terror Hiſpani : Exitium Ottomani : Delitiæ Orbis : Salamon Iuſtus : Victor Superborum.

At quid non debitum PRINCIPI *cuius clariſſimi nominis etymologia, (ſicut & res ipſa) demonſtrat, quod* TÆDET *Otium. Hinc, & quia Maximo, ac Potentiſſimo indiget Patrono hæc mea obſeruatio,*

Digitized by Google

eo ipſo quia eſt ſingularis, id eſt ſola, ſub TVVM, SVAVISSIME PRINCEPS, præſidium confugit. Eam, & Authorem ad celſiſſimi throni tui pedes prouolutum, vt benignè, de more recipias, humiliſſimè precor, & Cælum vt TE, ô PRINCEPS omnium Virtutum, incolumen, & fortunatiſſimum ſeruet,

Ampliſsime Princeps,

Celſitudinis TVÆ

Ab origine ſeruus.

MATTHÆVS HOMEM
Leitonius.

Summa Priuilegij Regis Chriſtianiſsimi.

CAVTVM eſt auctoritate Regis, ne quis in Regno eius, aliiſue locis eius ditioni ſubiectis, librum qui ſic inſcribitur, *de Conſcientia vera & ſingularis obſeruatio, Authore Matthæo Homem Leitio Luſitano, &c.* quouis caractere aut forma excudere, aut alibi excuſum vendere, alioue quolibet modo diſtrahere poſſit intra decem annos computandos à die abſolutæ primæ editionis, præter SEBASTIANVM CRAMOISY Regis & Reginæ Architypographum, Regiæ Typographiæ Gubernatorem, nec non vrbis Exconſulem. Qui ſecus fecerit mulcta indicta pro vt fuſius in diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Pariſiis die 14. Octobris 1652. ſic ſignatum, de mandato Regis, CRAMOISY.

Digitized by Google

AD LECTOREM.

INTER cæteras obſeruationes ſingulares, quas cito in lucem dare, Deo auſpice, ſpero, illa præcipua eſt, quæ circa materiam conſcienciæ in hoc libello editur. Caſu in rem iſtam incidi occaſione cuiuſdam difficultatis: De vna, vel altera reſolutione dubitando, ſenſim in totius doctrinæ communis dubitationem deueni, inde quod erat ſpecialis quædam obſeruatio, in integrum tractatum euaſit, & hic quidem reſolutionibus adeò diuerſis à communibus conſtans, vt alia, & omnino noua ſit do-

Digitized by Google

ctrina. Agnoſco grauiſſimorum Doctorũ, à quibus diſcedo, auctoritatem; At non per hoc illa minuitur, immo fortè creſcit, cùm tantumdem valeat diſplicere indoctis, (talem me agnoſco) ac doctis placere. Non tamen deſpero lectorem beneuolum, non temerè me diſceſſiſſe à communi iudicaturum, ſi rationum & fundamentorum vim (*quæ*, vt ait Cicero primo de natura Deorum, *non verò Auctoritates quærendæ* ſunt in diſputando) attentè, & patienter conſideret: Si etiam ſtatuat, nulli hominum fuiſſe conceſſum in omnibus veritatem inuenire, ſed, vt ait Seneca ad Lucilum epiſt. 5. *Nondum eſſe occupatam, & multum de illa, etiam poſteris relictum eſſe.* Neque bene agi cum fidei cauſis,

ſi priuilegium ipſis conceſſum, vt ſcilicet in eius obſequium captiuemus intellectus, Doctorum reſolutionibus, & ſententiis commune fiat. Neque conuenire ſtudioſis hominibus ſeruile quaſi iudicium, quo ſcelus putant ab aliorum recedere ſententia, ſic obicem, vt ita dicam, ſpiritui ſancto imponentes, quaſi impoſſibile exiſtimantes, ipſos aliis ſapientiores, etiam in aliquo euadere. Quæ quidem, & ſimilia potius ex acidia pigrorum hominũ, quàm ex laudabili modeſtia oriri ſolent, ſatis ſuperque putantes ſi inueniant Doctorem quem citent.

Vix tamen ſpero, hæc prima facie placitura, illis præcipuè, qui ab infantia, communi doctrina imbuti, de illa numquam

Digitized by Google

dubitarunt. Mirum quidem eſt, qualiter humanæ naturæ alicui doctrinæ, vel vſui aſſuefacta, nouum reſpuat, quaſi numquam placiturum, at eo tandem ſenſim admiſſo, antiquum reprobat. Quod quidem in eo ſum expertus, cùm enim Theologus quidam Doctiſſimus, librum noſtrum *de iure Luſitano* legiſſet, in quo plures ſententias ſingulares contra communes ſcripſimus, omnes probauit ac laudauit; At legens aliquas earum de conſcientia obſeruationum, nullam admittere potuit. Quoniam imbutus erat contraria & communi, de conſcientia doctrinæ, adeo vt impoſſibile crederet, in aliquo incertam probari poſſe communem, quam ſemper receptam vidiſſet & habuiſſet.

Digitized by Google

Quantos, qui hæc, vel non prorſus, vel leuiter, & reſoluto ad non credendum animo legent, audire videor illa improbantes, vel ad ſummum ſubtilia, at vana, vel inutilia dicentes.

Condonandum tandem vrbanè ſpero; ſi aliquid erroris inueniatur in re adeo difficili, ſubtili & noua, in qua oportuit omnia texere ex proprio iudicio, profundiſſima conſideratione.

Legas, precor, & conſideres attentè & patienter: quod ſi præſtaueris, nos quoque patienter ſuſtinebimus ſi improbes. Vale.

INDEX CAPITVM, ET PARAGRAPHORVM.

CAPVT I.

De Conſcientia in genere.

OSTENDITVR *ſingulariter, veram Conſcientiam, neque eſſe neque dici poſſe ſpeculatiuam, ſiue practicam, aut erroneam, dubiam, probabilem, &c. Improbantur termini,* Practicè, & ſpeculatiuè, *& totum illud quod de depoſitione Conſcientiæ tradi, & doceri ſolet. Demonſtratur vniuerſam doctrinam circa Conſcientiam non poſſe competere pro Conſcientia iam formata, ſed tantùm pro Conſcientia rectè formanda. Multa alia noua, & vera vtiliter notantur, ac ſubtiliter inferuntur.* p. 1

Digitized by Google

CAPITVM.

CAPVT II.

De Conſcientia probabili.

Traditur ſingulariter, quid verè ſit opinio, quidve circa illam in materia Conſcientiæ, quæri & doceri debeat. Probatur apertiſſimè, non poſſe duas partes contrarias probabiles, eſſe apud vnum intellectum, immo ſic opinantem in vero eſſe dubio. Multa alia, noua reſolutione enodantur. p. 65

§. I. *Oſtenditur Authores immeritò ea, quæ pertinent ad veram opinionem, quatenus eſt ſtatus proprij intellectus, & ad operandum neceſſaria, tranſtuliſſe ad ſententias Doctorum, omittentes propriam doctrinam in hoc articulo tradendam, & ſupra traditam, poſt numerum 29.* p. 121

§. II. *Probatur ſingulariter, & efficaciter, non poſſe eundem intellectum, pro eodem temporis momento, eſſe in opinione, ſiue vera probabilitate partium contrariarum. poſt num. 37.* p. 132

§. III. *Probatur verè eſſe in dubio*

illum, qui vtramque contradictionis partem probabilem exiſtimat. poſt numerum 78. p. 207

§. IV. *Probatur non licere operari ſecundum minus tutam partem, etiam ſi per impoſſibile fieri poſſet, vtramque probabilem eſſe. poſt num.* 101. p. 246

§. V. *Probatur Doctorum opiniones, ſiue potius ſententias, non habere ex ſe veram probabilitatem, etiamſi communiter ſint recepta, neque magis per eas fieri poſſe vtramque partem probabilem, aut eo ipſo operari ſecundum minus tutam partem licere: ſed ſolum, ſi operantem ad aſſenſum mouere contingat. poſt num.* 119. p. 278

§. VI. *Inferuntur plura contra ea quæ docentur communiter in materia Conſcientiæ in genere, & probabilis. poſt num.* 125. p. 286

CAPVT III.

De Conſcientia dubia.

Traditur ſingulariter, quid ſit Conſcientia dubia, & quando cùm illa ope-

vari liceat, vel non. Refelluntur plura communiter in hac re tradita, & non pauca noua, & vtilia inferuntur. p. 451

Capvt IV.

De Conſcientia erronea.

Oſtenditur doctrinam de Conſcientia erronea infructiferam, ferè inutilem, & incognoſcibilem eſſe. Probatur errorem vincibilem reddere Conſcientiam, non quidem erroneam, ſed formidantem. Impugnatur communis aſſertio dictans, operantem cum Conſcientia vincibiliter errante, peccare ſiue illam ſequatur, ſiue contra illam agat. Alia vtiliter notantur. p. 603

Capvt V.

De Conſcientia ſcrupuloſa.

Probatur ſcrupulum nihil aliud eſſe, niſi formidinem ſtantem contra opinionem, Defenditur operantem contra Conſcientiam ſcrupuloſam peccare ſaltem

Digitized by Google

venialiter. Traditur aptiſſimum remedium pro ſedandis ſcrupulis. p. 629

FINIS.

DE

DE CONSCIENTIA IN GENERE.

CAPVT I.

Oſtenditur ſingulariter Veram Conſcientiam, impropriè dici ſpeculatiuam, ſiue practicam, aut erroneam, dubiam, probabilem, &c. Improbantur termini practicè, & ſpeculatiuè, & *totum illud, quod de depoſitione conſcientiæ tradi, & doceri ſolet. Demonſtratur vniuerſam doctrinam circa conſcientiam, non poſſe competere pro conſcientia iam formata, ſed tantùm pro conſcientia rectè formanda. Multa alia noua, & vera vtiliter notantur, ac ſubtiliter inferuntur.*

DE *Conſcientia* humanarum actionum regula, latè, poſt antiquiores agunt Gabr. Vaſq. 1. 2. tom. 2. q. 19. per totum.

Franciſc. Suar. 1. 2. tractatu 3. diſp. 12. per tot. Luduuic. Monteſin. 1. 2. diſp. 29. per tot. Ioan. Azor. lib. 2. inſt. moral. cap. 8. cum multis ſequentibus. Gregor. Sayr. in Claui reg. lib. 1. à cap. 2. Petrus Lorca 1. 2. diſp. 36. 38. 39. Thom. Sanch. in Decalog. lib. 1. à cap. 9. Vincent. Filliuc. 2. tom. tract. 21. cap. 4. per tot. Martin. Bonacina, tom. 2. diſp. 2. q. 4. puncto 6. 7. 8. & 9. Ferdinand. de Caſtro Palao in opere moral. 1. p. tract. 1. per tot. Roder. D. Arriaga 1. 2. tom. 3. diſp. 22. ſect. 1. cum ſequentibus, quos omnes attentiſſimè vidi, iterumque, atque iterum legi, quare illos tantùm, & non alios, quos ipſi citant, frequenter referam.

2. *Communi igitur* prædictorum, & aliorum conſenſu plura circa materiam conſcientiæ traduntur, quæ (vereor dicere cõtra grauiſſimos Autores) longè aliter ſe habere credo. Et quidem ſi recta eſt noſtra animaduerſio, illa quidem non inutilis, aut infructuoſa dici poterit; cum enim verſetur circa principia, & funda-

Digitized by Google

menta, ſi iſta corruunt, neceſſe quoque eſt, vt corruat ſuperædificatum.

.. *Agnoſco me* Iurium, non autem Theologiæ ſacræ profeſſorem, verum neque moralis materia extra noſtrum commercium eſt conſtituta, neque res iſta pendet, niſi à lumine naturali, & ipſius iuris, & poſitiui regulis ordinariis. Agnoſco iterum grauiſſimorum Doctorum, à quibus diſcedere cogor authoritatem. At quid intentatum reliqui, vt illis confirmari poſſem? Frequenter, & attentiſſimè eorum ſcripta legi: Adeò rei huius ſpeculationi incubui, vt iam phræneſis potius, quàm ſpeculatio videretur: Sapientiores, quos potui, de re iſta conſului, at nihil noui, aut conuincens inueni: quæ reſponderent per diſcurſum tacitis nominibus referam, & impugnabo.

4. *Illos rei* huius recuſo iudices, qui illis, quæ impugnamus ab adoleſcentia imbuti, diſcipuli receperunt, Magiſtri tradiderunt. Illos etiam, qui ad ſpeculandum, & conſiderandum impatientes ſunt.

5. *Omnes autem* precor vt præ oculis habeant illud Iſidori relatum in cap. ſciendum 29. diſtinct. quod ſcilicet, plures *in erroris laberinthum impinguntur, quia medullitùs non indagantes, prius iudicant, quàm intelligant, ante inculpant, quàm lecta iteratò perquirant.* Ne ergo lector ſapiens iudicet antequàm ſenſum præcipiat, & adhuc iteratò legat, ac conſideret, quod ſi præſtet, non vanas fortè, aut temerarias obſeruationes iſtas noſtras iudicabit. Iam ergo ad rem veniamus.

6. *Conſcientiæ igitur* variæ ſunt acceptiones, & ſignificationes, quas latè adducunt prædicti Auctores, & eas non refero, nam præſens inſtitutum non eſt volumen condere repetendo aliorum dicta, ne alluuioni tractatuum de re morali, adhuc riuulum adiicere videamur; vnde tantùm immorabor circà illa, quæ vel prætermiſſa, vel perperam tradita, iudico, hinc etiã paucis allegationibus vtar. Ad propoſitum autem conſcientia nihil aliud eſt, quàm internus animi

Digitized by Google

motus dictans peccatum eſſe, vel non eſſe in opere quod gerimus, vt ait Azor. d. cap. 8. q. 1. Sair. d. cap. 2. num. 1. Lorca. d. diſputat. 36. Verſ. Porro, qui ſentit bene ad propoſitum ſolam prædictam acceptionem conuenire.

7. Quamuis autem prædicto modo poſſet optime definiri conſcientia, tamen communiter definitur, *Iudicium* (aliqui addunt, practicum) *quo aliquid bonum, vel malum, licitum, vel illicitum iudicamus,* ita poſt alios Sanchez d. lib. 1. cap. 9. n. 1. Filliuc. d. cap. 4. n. 113. Bonac. d. q. 4. puncto 6. n. 1.

8. *Eſt ergo conſcientia,* iudicium illud poſtremum, quod proferimus circa peccatum; Alia vero iudicia, quæ proferuntur circa antecedentia, à quibus pendet, & infertur poſtremum illud iudicium, conſcientia nullo modo ſunt, ſed iudicia intellectus: quod patet: nam nihil iudicant circa peccatum, quod ſit, vel non ſit, in opere. Quæ dicta ſunt videtur ſentire Eminentiſſimus Cardinalis de Lu-

Digitized by Google

go de Fide diſp. 5. ſect. 1. n. 16. 17. & 18. vbi pluries conſiderat ſequendum iudicium vltimum practicum, & antecedens appellat iudicium valde remotum, quod vltimum iudicium nihil aliud eſt, niſi conſcientia.

9. *Ex dictis* conuincatur de ineptitudine, quæ de conſcientiæ depoſitione, poſt antiquiores ſcribũt Monteſin. d. diſp. 29. q. 6. §. 2. per tot. Sanch. d. cap. 10. num. 9. Filliuc. d. tract. 21. cap. 4. n. 157. Bonac. d. q. 4. puncto 7. n. 9. & 13. Caſtro Palao d. p. 1. diſp. 3. puncto 1. & alij omnes: Nam vltra alias impugnationes ſequentibus capitibus notandas; hîc aduertimus, iudicium, quod eo modo poteſt deponi, non eſſe conſcientiam. Quod patet in ipſis exemplis adductis; nam qui dubitat, an res ſua ſit, non dicitur eſſe in conſcientia dubia, quia illud dubium non eſt circa peccatũ; ſed circa factum, an ſua ſit: ergo non poteſt eſſe conſcientia, neque dici, quod deponitur conſcientia dubia. Deinde illud dubium non deponitur, immo illo permanẽte forma-

Digitized by Google

tur conſcientia dictans : etiam ſi dubitem, an res ſit mea, tamen cùm poſſeſſor ſim bonæ fidei, non pecco retinendo. Cur ergo deponi dicitur? Cur conſcientia appellatur, cum hoc vltimum iudicium, quod infert circa peccatum, non autem dubium illud circa factum, conſcientia ſit? Num vtrumque dici poteſt conſcientia? Abſit : addo quod perperam dubium illud circa factum (vel ſi foret circa ius) dicitur iudicium, nam dubium non eſt iudiciũ, immo ſuſpenſio iudicij, quia ille qui dubitat nihil iudicat, vt patet ex definitione, & ait Suar. de fide diſp. 19. ſect. 4. n. 1. qualiter ergo precor, dicitur iudicium illud deponi, cum non ſit iudicium, nec per conſequẽs conſcientia, cum illa definiatur, *iudicium*, &c. Vel quonam pacto dici potuit conſcientia illud dubium, quod deponitur, ſi num conſcientia, non eſt ſequenda, tamquam regula noſtra, non autem deponenda? Tandem, ſi conſcientia definitur iudiciũ practicum, qualiter iudicium ſpeculatiuum (vt

etiam impropriè diuidunt) conſcientia dici poteſt?

10. *Sanè merum* eſt figmentum, & pura ineptitudo, quod de depoſitione conſcientiæ adſtruunt ſcribentes, rem facillimam explicatu prædictis terminis confundentes; nam nil aliud dicere, & docere voluerunt, vel debuerunt, niſi, quod ſtante, & permanente dubio circa antecedens, à quo aliàs pendet reſolutio, an ſit peccatum in opere (ſemper ſub nomine operis intelligimus etiã omiſſionem) nihilominus rectè formatur cõſcientia firma, & certa, dictans, non eſſe peccatum, ſi ad id iuſta cauſa interueniat. Vnde licet à reſolutione illius antecedentis, an res ſua ſit, vel an prior coniux viuat, pendeat reſolutio, an ſit peccatum retinere rem, vel reddere debitum, ita vt ſi certò reſolueretur illud antecedẽs, ſecundum affirmatiuam, vel negatiuam partem, ſic per conſequens formari debuiſſet conſcientia licere, vel non licere; tamen etiam irreſoluto dicto antecedenti, ex iuſta cauſa, ſcilicet poſſeſſio-

Digitized by Google

nis, vel alia, rectè formatur conſequentia, licere; Ego addo, etiam ſine alia iuſta cauſa (hac enim interueniente mutatur ſpecies, vt infra notabo, impugnando terminos, *practicè*, & *ſpeculatiuè*) ſed eo ipſo, quod dubitatur circa antecedens, rectè ſæpius formari poſſe conſcientiā licere cum diſtinctione addita, infra ſubcap. 3. de conſcientia dubia, vbi etiam dilucidè explicabimus qualiter non ſit inconueniens, quod ſtante dubio circa antecedens, nihilominus formari poſſit conſcientia certa dictans licere, vel non licere. Adde dicenda infra n. 77. & 78. cap. 2.

11. *Dices forſan,* negari non poſſe ſæpiſſime deponi ipſam conſcientiam, etiam quæ firma erat, & certa, inuentis rationibus, quæ ſuadent illam priorē fuiſſe erroneam. At reſpondetur nos id libentiſſimè fateri, at hoc eſſe diuerſiſſimum ab eo, quod impugnamus, hoc enim eſt mutare priſtinam conſcientiam, quod paſſim contingit, nouis cauſis, ſeu fundamentis repertis, ſiue melius, vel for-

te peius conſideratis, in quibus terminis priſtina conſcientia euaneſcit, neque iam vllo modo attenditur ad opus, quod nunc gerimus ſecundùm pręſentem conſcientiam, quæ ſolùm attenditur, non quæ olim fuit, immo negare merito poſſemus illud prius iudicium circa peccatum fuiſſe conſcientiam; quia ſtrictè loquendo talis non eſt, niſi illa, quæ cum effectu opus comitatur, & tunc reſidet in animo, quando opus fit, non illa quæ antea dictabat tale opus, ſi fieret, eſſe vel non eſſe illicitum, quod bene agnouit Caſtro Palao d. tract. 1. diſp. 1. puncto 2. num. 4. verſ. reſpondeo & puncto 4. n. 3. quarum enim reſolutionum illa eſt ratio; quia illud vltimum iudicium, quod habetur tempore operationis, non autē illud prius eſt conſcientia. Illud autem quod impugnamus, procedit quando dubium permanet, nec euaneſcit circa antecedens, ſiue, vt dicunt, ſpeculatiuum, & aſſignatur certa, & iuſta cauſa, vt non obſtante illo dubio, formetur conſcientia licere, non autem dicit

Digitized by Google

doctrina, quam impugnamus, quod iſta conſcientia ſic formata, poteſt mutari nouis ad hoc repertis fundamentis, quod quidem eſt indubitatum. At nullam difficultatem, ſiue effectum producens, neque ſolum procedit, quando antea conſcientia erat dubia, vt inquiunt, ſed quando erat certa, & firma; longe ergo diuerſum eſt, id, quod fatemur, ab eo, quod impugnamus. Manet ergo ineptum prorſus eſſe, & relegandum totum illud, quod de conſcientiæ depoſitione impropriiſſimè alij, alios tranſcribentes docent Auctores.

12. *Dicitur autem* conſcientia humanarum actionum proxima, & immediata regula à Sairo d. lib. 1. cap. 4. n. 4. Sanch. in Decalog. d. lib. 1. cap. 9. num. 1. Lorca dicta diſp. 36. verſ. Porro. Filliuc. d. tract. 21. cap. 4. n. 16. Layman. Theologiæ moral. lib. 1. tract. 1. cap. 4. n. 1. Bonac. d. 2. tomo diſp. 2. q. 4. puncto 6. n. 16. legem quoque illam dicit Lorca vbi ſupra verſ. *Communis tamen.*

13. At Doctores citati non expli-

cant, quare ita dicatur, cum tamen ex cognitione non minimi reſultent effectus. Dicitur ergo conſcientia humanarum actionum regula, quia cum oportuiſſet aliquam dari, vt imperiti, rudes, & adhuc ipſi periti agnoſcere poſſent, an peccarent vel non, in infinitis propemodum actionibus paſſim agendis, neque ad hoc poſſet aſſignari regula aliqua poſitiua, quæ à pluribus non ignoraretur inuincibiliter, Deus Optimus, pro regula aſſignauit naturale dictamen, quod ſequentes à peccato formali immunes eſſemus, quæ quidem regula à nemine poteſt ignorari, cùm ſecundùm illam prius ſit cognitio peccati, quàm ipſum peccatum: dictat enim: Non peccas in eo, in quo nullum peccatum agnoſcis: & per contrarium: Peccas in agendo illud, in quo peccare agnoſcis.

14. *Proxima autem*, & immediata regula dicitur, quia quamuis peccatum à lege Diuina prohibente, vel permittente actionem illam pendeat, vt agnoſcit Sayr. dicto loco, & alij,

men non niſi mediante conſcientia
oponente peccatum eſſe, vel non
e in opere, quod geritur, peccatum
ri, vel ceſſare poteſt; quod latè
obant ſcribentes de materia con-
ientiæ, præcipue erroneæ agentes;
eo non repeto, quamuis altius for-
n vel ſaltem apertius explicare poſ-
m, non enim noſtri inſtituti eſt re-
tere, quod millies, & paſſim di-
um inuenitur, ſed examinare, quod
on iure dictum exiſtimamus. Illud
lum addo quod etiam ex eo forma-
ter peccare non potuit, qui non egit
ontra conſcientiam, quia ſcilicet
iàs peccaret, ignorans peccaſſe,
uod impoſſibile eſt, & ſequeretur
bſurdum, nam de peccato incognito
œnitere non poſſet, & ſic condem-
aretur, cum peccatum commiſerit,
eque de illo facto, vel pœniteat, vel
bliuiſcatur.

5. Non autem per hæc intelligi-
nus, non teneri ad legem aliam diui-
iam attendere, ſiue ad doctiorũ con-
ilia & ſcripta, ad agnoſcendum vbi
erè ſit peccatum; nam immo aſſeri-

mus ad id obligari, vt recte & ſecundum legem diuinam formemus conſcientiam; ſed dicimus, quod ſi tandem inculpabiliter formemus conſcientiam licere vel non licere, illam ſequendo, à peccato immunes ſumus, at contra illam agendo formaliter peccamus, quicquid lex Diuina dictet contrarium, ſcilicet peccatum eſſe, vel non eſſe.

16. Quicquid ergo aſſeritur peccatum eſſe in opere, ſemper intelligitur, tunc eſſe formale, id eſt ſi formetur conſcientia ita dictans, & eam ſic eſſe formandam, & ſic per contrarium, quod aſſeritur, peccatum non eſſe in opere intelligitur, id eſt ſi formetur conſcientia prout formari debet, peccatum ibi non eſſe.

17. *Ex dictis* vltra alia, quæ Doctores notant, infertur 1. ex duobus eandem actionem gerentibus, alterum peccare, alterum verò mereri poſſe; nam licet à parte rei illud opus malum ſit, tamen conſcientia dictans, vni præceptum eſſe opus illud, conuincit, quod meritoriè agatur. Per

Digitized by Google

contrarium dictans alteri illicitum eſſe, operatur, quod per illum illicite fiat. Hinc etiam eſt, quod licet non detur bellum iuſtum ex vtraque parte, tamen mediante conſcientia (quæ ſemper in dictis terminis apud alterum eſt erronea) poteſt in vtroque formale peccatum ceſſare; quamuis materiale ſemper detur apud alteram illarum partium.

18. *Infertur* 2. Non peccare formaliter illum cui tempore, quo geſſit opus conſcientia non dictauit, inculpabiliter in eo peccatum eſſe, licet antea, & minus, ſi poſtea illicitum agnouiſſet opus illud; quod procedit ex doctrina tradita: quamuis ex alia ratione, ſcilicet ex defectu actualis aduertentiæ, à peccato excuſent operantem. Sanch. d. lib. 1. cap. 16. n. 28. expreſſiùs Caſtro Palao dicta diſp. 1. puncto 4. n. 3. quo circa videnda, quæ notabimus infra n. 44.

19. *Infertur* 3. Solum operantem etiam imperitum non alium etiam peritiſſimum agnoſcere, an peccauerit formaliter, cum enim peccatum

Digitized by Google

immediatè pendeat à propria conſcientia, nemo, niſi ipſe qui operatus eſt, agnoſcere poteſt, an peccauerit, quamuis fortè alter iure dicere valeat, alterum erraſſe & materialiter peccatum commiſiſſe. Nemo igitur non agnoſcens quanam conſcientia fiat opus, certo aſſerere poteſt in eo peccatum formale fuiſſe, vel non fuiſſe.

20. *Infertur* 4. Et notabiliter, immerito Doctores dicere conſcientiam erroneam, dubiam, probabilem, & ſcrupuloſam; nulla enim ex ijs qualitatibus ſtrictè loquendo veræ & propriæ conſcientiæ competere poteſt. Et 1. erronea dici nequit, nam non errat circa ſuum proprium miniſterium, cùm, ſi dictet peccatum eſſe in opere, illud, & quidem formale ibi ſit, quamuis forte opus in ſe bonum ſit, & per contrarium errare quidem poteſt intellectus circa antecedens, & ſuppoſitionem, qua erroneè ductus formauit conſcientiam licere, vel non: at huiuſmodi error, licet fuerit cauſa conſcientiæ ſic for-

mandæ, non tamen eſt in ipſa conſcientia, ſed in alio iudicio intellectus antecedenti, quod non eſt conſcientia, cum non iudicet circa peccatum, ſed circa factum, veluti an res ſua ſit, vel an teſtamentum validum fuiſſet. Si ergo erroneè iudico rem meam eſſe, vel teſtamentum validum, & hinc deduco dictamen; ergo non pecco rem retinendo, vel legatum conſequendo: error non eſt in hoc vltimo dictamine, quod eſt conſcientia, ſed in illo priori iudicio antecedenti, quod non eſt conſcientia. Præterea cùm conſcientia ſit regula, & hæc naturalis, falli, vel fallere nequit; ad textum in §. ſed naturalia. inſtit. de iur. natur. Item quia ſi ipſa regula, & lex nos deciperet, quis, precor, nos reduceret in viam veritatis? Sane ſi id alia cauſa præſtare poſſet, hæc, & non illa deberet dici regula, & conſcientia. Tandè implicaret, quod conſcientia eſſet erronea, & tamen illam ſequi teneremur, nam qualiter ad errorem ſequendum obligaremur? Sequenda igitur eſt tamquam certa,

qualis, & non errans eſt in ſuo miniſterio, licet erraſſet intellectus in ſuppoſitione, qua ita formata fuit conſcientia; item quia in tota hac materia conſcientia certum, dubium, probabile, &c. ſemper intelligitur in exiſtimatione operantis, & illa attenditur, vt latè probabimus infra cap. 2. de conſcientia probabili, n. 4. Neque aliquis effectus poſſet reſultare ex differentia inter conſcientiam erroneam, & certam, nam erronea nullo modo cognoſcitur, ſed pro certa habetur, ſcilicet certitudine ſe tenente ex parte ſubiecti, vt ait Monteſin. dicta diſp. 29. n.34. Neque, ſi ipſa conſcientia erraret, poſſet eſſe aliud dictamen docens, an eſſet peccatum cum illa operari, nam qui habet dictamen: Non pecco id agendo, iam nullum aliud habere poteſt, quod dictet contrarium, nam ſi hoc habuiſſet, non haberet illud prius, vel ſi ante habuit illud, & poſtea hoc, illud prius non eſt in conſideratione, ſed vltimum in quo reſidet, attenditur, iuxta dicta ſupra num. 11. & dicenda infra n. 26.

Digitized by Google

21. *Multo minus* dubia conſcientia dici poteſt, nam cùm ſit regula, ſi ipſa dubitat, quis nos docebit in actionibus gerendis? 2. quia conſcientia eſt iudicium, at dubitans nihil iudicat. 3. quia (vt omnes agnoſcunt) quando licitè operamur cum conſcientia dubia, illa quidem non eſt dubia practicè, vt aiunt, ſed ſpeculatiuè; ſi ergo non eſt dubia practicè, nullo modo eſt dubia, nam conſcientia eſt iudicium practicum; ſi igitur in hoc dubium non datur, dubium in conſcientia non datur. 4. quia in terminis, in quibus Doctores ſolent dicere conſcientiam dubiam, dubium eſt circa factum, veluti an res ſua ſit, vel an teſtamentum de iure validum ſit: quonam ergo pacto conſcientia dici poteſt dubium, quod nihil circa peccatum iudicat, vel dubitat, ſed circa factum, vel ius alterius quæſtionis? Vnde conſcientiam ſpeculatiuè dubiam dici non poſſe dubiam, niſi extrinſecè, agnouiſſe videtur Pat. Suar. 1. 2. diſp. 12. ſect. 2. n. 7. Caſtro Palao d. p. 1. diſp. 1. puncto 1. n. 2. ita

Digitized by Google

dicens: *Dubia autem, & ſcrupuloſa conſcientia propriè non eſt conſcientia, cum non ſit iudicium.* At nullo alio probat fundamento, neque rem explicat; quod nos inferius faciemus n. 33. dicentes in quo ſenſu dictæ denominationes, quas impugnamus ſaluari poſſint: ſimiliter paucis agnouit Layman. Theologiæ moralis lib. 1. cap. 3. in fin.

22. *Neque etiam* conſcientia probabilis, ſiue opinans, vt frequentius ait Azor. Moral. d. lib. 2. cap. 9. in tit. & per totum, dici poteſt. Nam aſſenſus probabilis, ſiue opinans, cum quo licitè operamur, non eſt circa peccatum, ſed circa antecedens, à quo deducitur conſcientia. Veluti opinor, id eſt aſſentior cum formidine rem eſſe meam, vel teſtamentum validum fuiſſe, & hinc deduco dictamen, & hoc certum, & ſine vlla formidine, non peccare rem, vel legatum retinendo, vel petendo; certum autem eſſe bene agnoſcit Eminentiſſ. Card. de Lugo d. fide diſp. 5. ſect. 1. n. 16. 17. & 18. Quod dictamen circa pec-

catum, non autem illud prius circa ius, vel factum conſcientiæ dicitur, remanente ſcilicet formidine, & probabilitate, ſiue opinione circa factum, vel ius antecedentis, quod ſub cap. de conſcientia probabili latiùs probabimus, & explicabimus. Vnde patet conſcientiam non rectè dici probabilem, neque huiuſmodi qualitatem illi competere, ſed alteri iudicio intellectus, quod non eſt conſcientia, neque aliquid iudicat circa peccatum.

23. *Dices, negari* non poſſe ipſam conſcientiam ſæpe dubitare, & irreſolutam manere, an peccatum ſit in opere, ſæpe etiam probabiliter tantùm, id eſt cum formidine dictare peccatum abeſſe, vel, quod idem eſt, formidare ne fortè peccatum ſit.

24. *Verum, vt certa* ab incertis ſeparemus, ante aliud certiſſimum iudico, perperam dictas qualitates attribui conſcientiæ, quando illæ verè ſunt circa antecedentia, non autem in ipſa conſcientia; cùm nihilominus Doctores in eiſdem terminis ſemper

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

conſcientiam dubiam, & probabilem appellent, non aduertentes ipſos dicere, operari licere cum conſcientia probabili, vel dubia ſpeculatiuè, non autem practicè, & practicè eſſe certam, quando ſpeculatiuè dubia eſt; ſi ergo practicè eſt certa, ſemper conſcientia certa eſt, cùm ſit iudicium practicum, & ſic non eſt dubia vel probabilis tantùm, ſed certa, & firma, quando ipſi Auctores eam appellant dubiam, vel probabilem; quod autem dubia ſit ſpeculatiuè, vel potius dubium detur circa antecedés, hoc non probat conſcientiam eſſe, tam ex dictis, quàm quia ſi talis eſſet, contra illam operari non liceret.

25. *Deinde noto*, quod quando conſcientia tandem dubitat, ſiue formidat, ſiue potius dubitare, aut formidare videtur; hoc contingit per ignorantiam, nam in Iure ſunt ſufficientes regulæ, vt quis ſemper, non obſtante dubio, ſiue formidine circa antecedens conſtituatur in conſcientia firma & certa licere, vel non.

26. *Præterea notabiliter*, aduerto (&

hoc petit attentiſſimam conſiderationem) quod dato, quod ipſa, & vera conſcientia dubitet, ſiue formidet, nulla prorſus doctrina iam dari aut recipi poteſt, ad hoc vt ſic dubitans vel formidans certius agnoſcat, an & qualiter peccet vel non, operando ſic dubitans, vel formidans, ac per conſequens vanum, & infructuoſum, imo, ineptum, eſſe quod inaduertenter controuertitur, & reſoluitur à Doctoribus pro terminis, in quibus conſcientia ipſa eſt dubia, vel formidans, vel vt ipſi aiunt, dubitat practicè, nam nullo modo aliud conſequi poteſt, niſi quod illa conſcientia ſic dubitans, vel formidans, illo quali quali irreſoluto modo admonet, vel repræſentat. Quæ dicta ſunt patent, quia conſcientia eſt iudicium poſtremum, quod tempore operationis profertur circa peccatum, alia autem iudicia, etiam circa peccatum, quæ iam receſſerunt, & euanuerũt, conſcientia non ſunt, quod agnouiſſe videtur Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo de fide diſp. 5. ſect. 1. n. 16. 17. & 18. vbi ſæpius dicit vltimum iudicium

practicum, quod in effectu nil aliud eſt, quam conſcientia. Si ergo ſuper ipſa conſcientia, tamquam ſuper terminis quæſtionis dari poſſet aliud iudicium certius, aut aliter dictans circa peccatum, hoc, & non prius diceretur conſcientia: ergo ſuppoſito quod iudicium, quod dubitat (ita loquimur cum communi, licet implicet iudicare, & dubitare) ſit vera conſcientia, aliud poſt ſe habere non poteſt. Deinde, quia aliàs daretur infinitas, nam adhuc id ipſum dubitari poſſet, nam ſi quærimus, vtrum, & qualiter peccet ille, qui operatur cum dubio, an peccet, circa id ipſum dubij remanere poſſumus, & tunc alia adhuc quæſtio formanda eſſet, & ſic in infinitum. Præterea, ſi operans potuiſſet recipere doctrinam, & ſcire, an, & qualiter peccet, quando dubitat, vel formidat, an peccet, non poſſet dubitare, aut formidare, nam ſtante certitudine circa aliquem articulum, non poteſt ſimul ſtare dubium circa idem; quam difficultatem, licet non ſic expenſam, agnouit Arriaga. 1. 2. diſp.

23.

23. n. 21. Dices forſan doctrinas inſeruire, vt non dubitet ille, qui aliàs illis non perceptis dubitaret; fatemur ad hoc eſſe inuentas infinitas doctrinas, & iuris præcepta, at ſic in effectu non dubitat tempore operationis, & ſic euaneſcunt termini quæſtionis, qui ſunt; vtrum peccet, qui dubitat, an non peccet: termini autem durare & permanere debent, etiam data reſolutione quæſtionis, non autem euaneſcere per reſolutionem, quod perpetuum eſt in omnibus ſpeciebus, in quibus quæſtio aliqua proponitur & reſoluitur. Tandem qui quærit, an peccet, quando dubitat, an nõ peccet, adhuc quærit reſolutionem circa peccatum, at in vanum, quia ſi iam illam habere non potuit, vnde nunc illã habere ſperat? Immo ſi habere poteſt iſta, & non illa prior irreſolutio erit conſcientia, neque iam dicere poteſt ſe peccare, vel non, operando cum conſcientia dubia practicè, nam, vt ſupponitur iam talis non eſt. Et in effectu ipſa naturalis ratio aduertenti dictat, abſurdum eſſe do-

Digitized by Google

cere, vel quærere num, & qualiter peccet, qui dubitat, an peccet, non aliter ac ſi aliquis edoceri petat, qualiter certo, & firmiter cognoſcere poſſit verum aurum, quando dubitauerit, an ſit verum, nam ſi præcepta tradita ex nunc, illum docent, non ipſi accidit dubitare, ſin autem non proſunt nulla eſt via ad exeundum à dubio; melius ergo diceret, ſibi dari præcepta, vt non dubitet, quam procellendo dubio, in quod inciderit, cum ſtare non poſſit dubium, & ſcientia ad illud tollendum, licet ſuperuenire poſſit, quod certum, at longè diuerſum eſt. Adde omnino in confirmationem dictorum, infra cap. 2. dicenda n. 178. & 179. & cap. 3. n. 4.

27. *Ex dictis*, ac reſolutis proximè infertur immeritò, & inaduertenter Doctores omnes, præcipuè recentiores aſſerere, & docere paſſim, regulam iuris dictantem in dubiis tutius eligendum, & doctrinam concedentem operari cum opinione, ſiue conſcientia opinante, aut probabili procedere, quãdo dubium eſt practicum;

Digitized by Google

ſiue opinio, & per conſequens formido eſt in ipſa conſcientia. Nam ex dictis conſtat, quod dato dubio, ſiue formidine in ipſa conſcientia, iam nullum præceptum poteſt certius oſtendere, an, & qualiter peccet ſic dubitans, vnde vana eſſet doctrina tradita, ſuper talibus terminis, quam tamen in ipſis ſerio tradit Sanch. de matrim. lib. 2. diſput. 41. n. 9. & in Decalog. d. lib. 1. cap. 9. (immemor, quod ipſe dicit cap. 10. n. 2. tutius eligendum, tam in dubiis iuris, quam facti, cùm tamen dubium facti non poſſit eſſe practicum, ergo de ſpeculatiuo intelligitur regula illa) & paſſim ille, & omnes alij. Cùm enim rectè, & attentè conſideranti certò certius ſit, regulam illam, & Doctorum traditiones procedere, quando dubium eſt ſpeculatiuum, vt aiunt, vel proprius, eſt circa antecedens & ſimiliter formido, quod patet ex eiſdem iuribus in cap. Dominus; de ſecund. nupt. cap. Iuuenis de ſponſal. cap. Inquiſitioni. de ſentent. excommunicat. & aliis in quibus dubium

eſt circa ſuperuiuentiam prioris coniugis, conſumationem copulæ, impedimentum matrimonij, & in illis terminis dicitur tutius ſequendum, & formandam conſcientiam non licere; & verè ſic res iſta procedit, & omnes agnoſcunt peccatum eſſe operari cum conſcientia dubia, ſpeculatiuè (vt inquiunt, & nos infra latè impugnabimus) quando ſpecialis ratio non interuenit, vt deponi poſſit, quod nobis ſufficit, nam vt infra cap. 3. num. 4. oſtendemus: illa regula tunc procedit, quando ſpeculatiuum, ſiue potius verum antecedens dubium eſt, veluti an res ſua ſit, an prior coniux viuat, an teſtamentum validum fuiſſet, neque vlla ſpecialis ratio interuenit, nam illa interueniente, iam alia, & diuerſa eſt quæſtio, vt vtiliter infra n. 39. dicemus, & latiùs probabimus. Verum ergo eſt, quod ille peccat, qui agit cum conſcientia dubia, vt aiunt, ſpeculatiuè, vel potius cum vero antecedenti dubio (ſecundum diſtinctionem, & doctrinam tradendam ſub cap. de conſcientia dubia) & per con-

Digitized by Google

trarium certum non eſt, quod peccat mortaliter, qui cum ipſa conſcientia dubia operatur, circa quod videnda, quæ dicemus infra n. 31. Quod verò attinet ad doctrinam de licentia operandi cum probabili, vt aiunt, conſcientia, etiam procedit, quando formido, quæ in probabilitate, ſiue opinione continetur, eſt ſpeculatiua, vt dicunt, ſiue potius circa antecedens; nam ſi tranſeat in ipſam conſcientiam, cum ipſa formidet, & eo modo aliquatenùs admoneat de peccato, non puto ſine veniali, cum tali formidine opus fieri, quod probabimus, infra cap. de conſcientia probabili num. 19.

28. Item infertur, Doctores reſoluentes probabile eſſe aliquid licere vel non, & hos ſequentes habere ipſam conſcientiam probabilem, id eſt formidoloſam, nam cùm iam iudicium proferant circa peccatum, & hoc ſit conſcientia, iam illam formatam habent, ac per conſequens perperam controuertunt, an ille qui eſt in opinione, vel probabilitate, quod ali-

Digitized by Google

quid licet operatur licitè & ſine peccato, quibus, vel ſimilibus terminis paſſim vtuntur Doctores docentes licere, vel non ſequi opinionem dictantem opus licere, vel non. Nam, qui huic opinioni aſſentitur, cùm illa verè ſit conſcientia, remanet ipſe quoque in conſcientia opinante iam formata, vnde ſuccedunt dicta ſupra n. 26. neque iſta aliam doctrinam recipere poteſt, neque certius agnoſcere, an & qualiter peccet, neque formidinem deponere, quæ omnia dicto loco probata remanent, & ibi dicta, hic ſimiliter procedunt. Adde omnino dicenda infra hoc cap. n. 178. & 179.

29. *Quid ergo?* Num vana eſt doctrina, & controuerſia circa licentiam operandi cum conſcientia, vt inquiunt dubia, vel probabili? Nullatenus ſanè vana, ſed vtilis, & prorſus neceſſaria eſt. At locum habet, non pro conſcientia iam formata, ſed pro conſcientia rectè formanda, id eſt, non quando dubium, ſiue probabilitas, & per conſequens formido eſt in

ipſa conſcientia, ſed quando dubium, vel probabilitas eſt circa antecedens, à cuius reſolutione pendet an ſit peccatum, & recta formatio conſcientiæ. Nam ſciendum, & maximè aduertendum eſt, quod vt iam ſupra in principio innuimus, ſemper quæſtio, an ſit peccatum, vel non, & ſic formatio conſcientiæ pendet à reſolutione alicuius antecedentis, quod ſi firmiter, & certo reſoluitur, planè ſequitur, & procedit modus formandæ conſcientiæ. Vt petere rem, vel reddere debitum, vel contractum celebrare an ſit, vel non peccatum, pendet ab illo antecedenti, an res ſit mea, an detur impedimentum dirimens, an contractus ſit vſurarius, quam dependentiam agnouit licet non ita declaret; Vaſquez d. q. 19. diſput. 52. cap.1. n.1. Sanch. de matr. lib.2. diſput. 44. num. 4. & in effectu omnes agẽtes de exemplis in quibus dubium ſiue probabilitas eſt circa factum & recenter Arriaga 1.2. 3.tom. diſp.25. in princ. Eodem ergo prorſus modo conſideranda ſemper eſt probabilitas

Digitized by Google

circa antecedens. Adde dicenda cap. 2. n. 8. fine. Antecedenti quomodo certo, & firmiter reſoluto, planum eſt an ſit peccatum, vel non, & qualiter ſit firmanda conſcientia licere, vel non. Quando autem non poſſumus reſoluere antecedens, quod contingit, quando dubitamus qualiter ſe habeat de iure, vel de facto, aut illud reſoluimus probabiliter tantùm, id eſt cum formidine, tunc intrat quæſtio an debeamus formare conſcientiam eſſe peccatum rem petere, debitum coniugale reddere, vel petere, contractum celebrare, &c. Ecce termini pro quibus inſeruit, & prodeſt doctrina de conſcientia, ſcilicet vt ea imbutus ſciat formare conſcientiam, quando eſt in dubio, ſiue probabilitate circa antecedens, à cuius certa reſolutione aliàs pendet, an ſit peccatum, & modus formandæ conſcientiæ. Ecce termini, qui durant, & permanét, etiam poſt reſolutionem datam, & ſunt cognoſcibiles per ipſum operantem, qui ea vtitur doctrina, de qua ſequentibus capitibus agemus.

Digitized by Google

30. *Concludo* igitur doctrinam de conſcientia pertinere ad conſcientiam formandam, non verò ad conſcientiam formatam, intelligendo, & probando concluſionem modis ſupra adductis & explicatis.

31. *Quæres autem*, Num qui cum conſcientia dubia, aut formidoloſa, ſiue ſcrupuloſa operatur, habeat viam ad agnoſcendum certius an, & qualiter peccet, ne aliàs in illa perplexitate conſtitutus impediatur propriæ ſaluti conſulere? Reſpondeo non manere viam, etiam ſi operans peritiſſimus ſit, nam cùm naturaliter implicet, quod dubitet, ſiue formidet, & quod circa idem certus ſit, hoc fieri nequit. Qui ergo ita fuit operatus deferat ad confeſſionem modum illum irreſolutum, quod admonitus, non plenè, ſed quali modo, fuit de peccato, & de eo ad cautelam conteratur vt propriæ conſulat ſaluti, vt in ſimili ait Sanch. d. lib.1. cap.10. num. 66. Alter quidem, & non ipſe operans poterit credere, & iure aſſerere operantem cum dubio, ſiue for-

Digitized by Google

midine peccaſſe mortaliter, vel non peccaſſe; at hoc concludet tantùm ipſum erraſſe dubitando, cùm verè ſine dubio certum eſſet, peccatum eſſe, vel non eſſe in operatione, & ſic peccatum materiale commiſiſſe, vel nullum: quod verò attinet ad peccatum formale, quod pendet ex ipſa conſcientia, nihil valet quod alter dicit, ſed quod ipſe operans ſentit. Sin autem aliquid in abſtracto, & ſpeculatiuè dici poteſt in re, quæ nullá habet regulam, niſi proprium motum & cognitionem ipſius operantis; videtur non immerito putare poſſe, qui ita operatur, venialiter tantùm peccare, quia non plenam habet conſcientiæ admonitionem, quod multò magis procedet, quando cum formidine tantùm, non autem cum dubio operatum fuerit, ſicut venialiter tantùm peccat, qui plenam non habuit aduertentiam vel deliberationem, de qua re dicemus infra n. 44. & cap. 3. n. 4. & ibidem hic dicta adhuc probabimus, & ea bene agnouit Sayr. d. lib. 1. cap. 13. num. 3. fine *Malus*

erit mortaliter, vel venialiter, pro ratione dubietatis quam habens &c. Neque obiicias certum eſſe mortaliter peccare illum, qui cum conſcientia dubia operatur; & per contrarium non peccare illum, qui cum conſcientia probabili, id eſt formidoloſa operatur. Nam reſpondetur illa procedere, quando dubium, ſiue probabilitas eſt circa antecedens, tunc enim regulariter peccatum eſt mortale cum dubio operari, formata ſcilicet conſcientia, prout regulariter eſt formanda, non licere. Non autem procedere quando dubium eſt circa ipſam conſcientiam, quia tunc iam ſupponitur ipſa non plenè, vel reſolute admonere de peccato, vnde mortale & formale ceſſare poteſt, quia tandem ſiue verè, ſiue erroneè conſcientia non plenè admonet de peccato; vnde colligitur differentia. Et per contrarium ſimiliter ratiocinandum eſt de operante cum conſcientia probabili, ſiue formidoloſa, qui ſaltem venialiter peccat, quia conſcientia ipſa formidat, & aliquo modo de peccato admonet.

Digitized by Google

Omnino igitur obſeruandum eſt, quid tandem dictet conſcientia, vt reſoluamus, an peccatum detur, vel ceſſet.

32. Ad argumentum autem, quod ex dictis ſupra n. 23. deducitur, ad probandum ſæpe ipſam conſcientiam dubitare, vel formidare, reſpondetur; immo propriè, & ſtrictè non dubitare, cùm ſit operans ab illa licet irreſolutè admonitus ſit de peccato & ex eadem ratione non formidare. Quod patet, nam illi ſic operantes defferunt ad confeſſionem illos motus agnoſcentes, licet non clarè, & liquido peccatum. Cum autem conſcientiæ miniſterium ſit admonere de peccato, illa non dubitat, ſiquidem admonet. Nos autem non defendimus illam ſemper liquido docere peccatum, & eius qualitatem. Aduertendo etiam, quod ex eo quoque magis videtur conſcientia dubitare, quia intellectus dubitat ſimul, immo principaliter de antecedēti, & ita videtur dubium intellectus eſſe in ipſa conſcientia. Dices, ſic videri conſcien-

Digitized by Google

tiam admonere pro parte, quod eſt peccatum, pro parte verò, quod non eſt, in quo inconueniens & contradictio reperitur. At reſpŏdetur etiam Doctores conſiderare cum dubio tenuem aſſenſum, vt conſiderat & ſupponit Sanch. d. cap.10. num.4. Item conſiderari, & attendi motum dictantem eſſe peccatũ, quod eſt vera conſcientia; non autem non dictantem & tandem malum eſſe ex quocumque deffectu, bonum non niſi ex integra cauſa, vt ad propoſitum ait Caſtro Palao d. tract. 1. diſp. 3. puncto 1. num. 5. Arriaga 1. 2. tom. 3. diſp.23. ſect.1. num. 10. Nihil ergo mirum, ſi attendatur admonitio dictans peccatum, at plenum non ſit, quia ipſa plena non eſt, & dicatur conſcientiam non dubitare, quia modo illo admonet de peccato, & certum eſt ibi eſſe illud quod admonet.

33. Concludo igitur conſcientiam ſemper eſſe certam, non autem dubiam, probabilem, &c. Et ſolùm in eo ſenſu dici poſſe dubiam, probabilem, &c. quaſi formatam in termi-

Digitized by Google

nis, in quibus dubium, ſiue probabilitas erat circa antecedens, at adhuc ſic impropria & remota eſt denominatio, cum propius, & facilius conſcientia ſimpliciter denominetur, quod nomen ſatis declarat ſuum ſignificatum, niſi etiam applicetur aliis iudiciis, qui non ſunt conſcientia, ex qua explicatione ſolet confuſio reſultare.

34. Neque ſupra reſolutis, obſtat text. (quem tamen aduerſarij non adducunt) in cap. Inquiſitionis 44. de ſententia excommunicationis, vbi videtur probari conſcientiam deponi, & aliquando leuem & temerariam eſſe; aliquando verò probabilem ibi. *Vtrum habeat conſcientiam huiuſmodi ex credulitate leui & temeraria, an probabili, & diſcreta*; & infra ibi. *Conſcientia leuis, & temerariæ credulitatis exploſa*, & inferius; ibi *Verum conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili*, &c. Nam reſpondetur conſcientiam in d. text. non accipi pro iudicio intellectus dictante aliquid licere, vel non, vel eſſe, aut non eſſe

peccatum, quod eſt vera conſcientia, quod quidem de ea non agere patet; quia docet, quod agendum eſt, quando ſic, vel ſic fuerit conſcientia, quod quidem ſtare non poteſt cum vera conſcientia, vt ſupra proximis verſiculis probauimus. Deinde patet, quia illæ conſcientiæ conſiderantur circa impedimentum coniugis, vera autem conſcientia non poteſt eſſe circa impedimentum, ſed tantùm circa peccatum. Item conſcientia vera non poteſt eſſe dubia, quia dubium non eſt iudicium, quæ omnia ſupra latè probata, & repetita ſunt; at ibi conſcientia ex probabili credulitate dicta, intelligitur de dubia, vt voluerunt Sanch. de matrim. lib. 2. diſp. 41. num. 45. & expreſſiùs Cou. de ſponſ. 2. p. cap. 7. §. 2. n. 7. (Quod ego tamen alibi examinabo.) Tandem quia, vt ex ipſo textu conſtat ibi conſcientia accipitur, pro ſcientia impedimenti, vt conſtat ex principio textus ibi. *Diſtinguendum vtrum alter coniugum pro certo ſciat impedimentum coniugij*, & inferius; *An non ſciat pro*

certo, ſed credat; illud igitur, quod ibi ſcientiam appellat vel credulitatem impedimenti, inferius locis & verbis ſupra citatis appellat conſcientiam impedimenti. Nullo ergo modo agit de conſcientia humanarum actionum regula, neque per conſequens probat in ea dictas qualitates dari poſſe. Immo probat illas inueniri circa antecedens, quale in caſu prædicti textus eſt impedimentum coniugij, & ſecundum illas, & diſtinctiones ibi factas deducendum eſſe dictamen, id eſt conſcientiam formandam licere vel non, petere vel reddere debitum coniugale, quod nos quoque aſſerimus, & probamus.

35. *Præterea, ex dictis*, & recta cognitione veræ, & propriæ conſcientiæ; infertur 5. vanam prorſus, & ineptam eſſe communem diuiſionem conſcientiæ in practicam, & ſpeculatiuam, & vniuerſam doctrinam in tali diuiſione fundatam, improprios quoque eſſe terminos: *Practicè*, & *ſpeculatiuè*, quibus paſſim vtuntur Doctores, præcipuè recentiores, illis

vtuntur Couarr. in regula Poſſeſſor. 2. p. §. 7. n. 4. & de ſponſal. p. 2. cap. 7. §. 2. n. 10. Mol. de iuſt. tomo 1. tract. 2. diſput. 113. Sanch. de matrim. lib. 2. diſp. 41. n. 8. & diſp. 44. n. fin. & in Decalog. d. lib. 1. cap. 9. num. 3. & cap. 10. n. 7. & 9. Filliuc. d. cap. 4. num. 154. cum ſequentibus. Bonac. d. q. 4. puncto 7. n. 9. 10. & 11. & 13. Caſtro Palao d. tract. 1. diſp. 3. puncto 1. per tot.

36. Mirum autem eſt, quàm variè vtantur prædicti Auctores illis terminis. Nam alij, *ſpeculatiuè* vocant, id eſt in vniuerſum, ſiue in communi. *Practicè*, id eſt in particulari, ſiue hic, & nunc exempla adducunt: veluti ſciens ſpeculatiuè, id eſt in communi ſe præcepto teneri, vel voto ieiunandi hac die, poteſt contrarium iudicare practicè, id eſt hic, & nunc quia ſcilicet infirmitate excuſatur. Idem proportionabiliter de dubitante an bellum ſit iuſtum, at iudicante ſibi licere militare ex præcepto ſuperioris. Item de dubitante, vel ſciente in diebus feſtiuis abſtinendum eſſe ab ope-

ribus ſeruilibus, at nihilominus iudicante poſſe illa licitè exercere, quia egeſtate premitur. In dicto ſenſu dicunt conſcientiam ſpeculatiuè dubiam, & practicè certam, & iudicium ſpeculatiuum poſſe practicè deponi, Sanch. d. lib. 1. cap. 10. n. 7. Et eodem fere modo loquẽs, & exemplificans Caſtro Palao d. tract. 1. diſp. 3. puncto 1. n. 3. & iſte eſt communis ſenſus in quo accipi ſolent prædicti termini. Filliuc. autem d. tract. 21. cap. 4. n. 154. alio extraneo modo declarat dicens, quod dubium poteſt eſſe de re ſpeculatiua; vt an mundus potuerit eſſe ab æterno, aut de re practica, an ſcilicet iudex teneatur ſequi probabiliorem ſententiam, & ſic exemplificat dubiũ ſpeculatiuum, vel practicum. Vir quidam doctiſſimus cuius ſcripta apud me habeo, alio diuerſo ſenſu vtebatur prædictis terminis dicens: ſpeculatiuè dubito, an à parte rei detur obligatio reſtituendi: Practicè tamen non dubito, quia datur probabilis opinio pro parte excuſante à reſtitutione. Alio etiam mo-

Digitized by Google

do illis terminis vtebatur dicens: Realis bonitas poteſt ſignificare ſpeculatiuam, vel practicam. Speculatiua eſt quæ verſatur circa factum, practica, quæ verſatur circa ius. Inter quos, & alios modos, quibus Doctores vtuntur dictis terminis, quanta ſit diuerſitas, nemo non videt; quemlibet impugnare longum eſſet aut facile, nullus enim ex Doctoribus; probat eorum proprietatem aut cohærentiam inter diuerſos modos, & ſenſus, quibus illis vtuntur.

37. *Agemus ergo* ſolùm de impugnandis dictis terminis, & doctrina per illos tradita, acceptis in communiori ſenſu, de quo in principio præcedentis numeri. Et 1. quantum attinet ad improprietatem, illa quidem ex eo patet, nam ipſi, qui illis terminis vtuntur neceſſarium iudicarunt ſtatim explicare, quid illis ſignificare voluerint, agnoſcentes, aliter non ex ſe eſſe aptos ad illud ſignificandum, neque illud aliàs intelligi poſſe. Deinde, quia dicitur conſcientia ſpeculatiua, vel ſpeculatiuè dubitare,

cum iam dictum, & probatum ſit, conſcientiam non poſſe eſſe ſpeculatiuam, & minus dubitare ſpeculatiue, cùm ſit iudicium practicum. Præterea quia dicitur conſcientia practica, vel practicè non dubitare, quod ſuperfluè, & ineptè dicitur, nam cùm dicitur conſcientia, ſuperfluè additur practica, cum eo ipſo, quod dicitur conſcientia, dicatur iudicium practicum: non ergo minus impropriè dicitur conſcientia practica, quam homicidium hominis. Tandem inexcuſabilem improprietatẽ continent dicti termini quando illud, quod ſpeculatiuum appellant, conſiſtit in facto, veluti, an res ſua ſit, nam (aiunt) iſte *ſpeculatiuè* dubitat, at *practicè* non dubitat ſibi licere retinere, quia eſt bonæ fidei poſſeſſor, de quo exemplo loquuntur Sanch. de matrim. Couarr. & Caſtro Palao locis citatis. Item Sanch. de matrim. d. lib. 2. diſp. 44. n. fin. adducit exemplum de eo, qui opinatur ſpeculatiuè coniugem non eſſe ſuam, practicè tamen opinatur, poſſe accedere ad eam reddendo, ne

Digitized by Google

ſpoliet ſua poſſeſſione. At quæro pro Deo cur minus dicetur practicum dubium vel iudicium, quod profertur ſuper illa quæſtione, an hæc res ſit mea, an validum ſit matrimonium, quod cum Berta contraxi; Nonne dubia vel iudicia illa ſunt in particulari, & hic & nunc ſuper tali re, vel matrimonio, cur ergo ſpeculatiua dicuntur, id eſt in vniuerſum ſiue in communi? Sane diuerſa eſt quæſtio, an res ſit mea & an impedimentum dirimens detur inter me & vxorem, ab ea, an tenear rem reſtituere vel debitum coniugale ſoluere, at vtraque eſt practica circa ſuum quæſitum, etiam conceſſo ſenſu, & vſu, quo Doctores vtuntur dictis terminis. Vnde patet, quod licet ſuſtineri poſſent dicti termini, à nobis improbati, quando quæſtio eſt iuris in communi conſiderata, & alia conſiderata in particulari, vti exemplis de iudicante in communi hodie ieiunandum vel abſtinendum ab operibus ſeruilibus, & nihilominus iudicante ſe vel alium ex tali cau-

Digitized by Google

ſa in particulari, excuſari à ieiunio, vel licitè ſeruilia exercere; Tamen nullo modo prædicti termini competere poſſunt, quando dubium, vel iudicium illud, quod ſpeculatiuum vocant, eſt circa factum, vel etiam circa ius à quo eſt omnino diuerſa quæſtio, quæ practica vocatur, veluti an de iure fuiſſet validum matrimonium cum Berta à me contractum, vt inde reſoluatur quæſtio, an vti liceat matrimonio, vel an de iure valeat teſtamentum Titij, vt inde reſoluatur quæſtio, an liceat mihi legatum petere, in iis enim terminis, & ſimilibus, & generaliter quando quæſtio, quæ ſpeculatiua dicitur eſt circa factum, nullo prorſus modo illæ quæſtiones dici poſſunt ſpeculatiuæ, neque illæ, quæ inde pendent, practicæ illarum reſpectu, tam ex dictis, quàm quia ſpeculatiua quæſtio reſpectu practicæ; an ego licitè petam legatum mihi relictum in teſtamento Titij, illa eſt in ſenſu ipſo à nobis impugnato, an legatario in communi, legatum petere liceat, non illa, an te-

ſtamentum validum fuerit, vt patet in exemplis, de iudicante ieiunandum vel abſtinendum ab operibus ſeruilibus ſupra proximè adductis, & ſimilibus, quæ prorſus diſſimilia ſunt ab exemplis & terminis, in quibus contendimus, nullo prorſus modo conuenire terminos *practicè*, & *ſpeculatiuè*, etiam ſi concederemus in aliquo ſenſu ſuſtineri poſſe. Adde dicenda cap. 3. num. 37.

38. *Nunc veniamus* ad ſubſtantiam rei, & doctrinæ traditæ à Doctoribus per terminos ſupra impugnatos: Docent ergo, quod poſſunt ſcientia, opinio, dubium, eſſe ſpeculatiua aut practica, modo ſupra explicato. Item quod iudicium practicum non poteſt diſcordare ab ſpeculatiuo, ni aliqua ſpecialis ratio variare cogat, vnde, ceſſante illa particulari ratione non poteſt hic & nunc iudicari licitum, quod in communi illicitum iudicatur vel dubitatur. Ac per conſequens non tam habendam eſſe rationem conſcientiæ ſpeculatiuæ, quàm practicæ, quia iſta eſt propria & im-

Digitized by Google

mediata regula actus humanos dirigens; ſpeculatiua autem non ita, niſi quando cogit ad eandem conſcientiam practicam formandam: ita Sanch. d. lib. 1. in Decalog. cap. 9. n. 3. & 4. & cap. 10. n. 7. Cum duobus ſequentibus. vbi n. 9. agit de aſſignanda iuſta cauſa, & ratione ad conſcientiam ſpeculatiuam deponendam practicè, quod per diſcurſum latiſſimè proſequitur agens de conſcientia dubia. Idem quod docet Sanch. placuerat ab eodem citatum & poſt eum omnes fere ſimiliter loquuntur.

39. *Verum huiuſmodi* dicendi & docendi modi fabrica corruit, & vanitas, ac improprietas apparet, ſi aduertatur, quod ſi iuſta cauſa non interuenit, iudicium practicum (vt vocant) non poteſt diſcordare ab ſpeculatiuo, vt ipſi Autores fatentur. Sin autem iuſta cauſa interuenit diuerſa prorſus eſt quæſtio & deſinit omnino ab ſpeculatiuo pendere practicum, immo illud ſpeculatiuum, huius practici ſpeculatiuum eſſe deſinit, vt ex ipſis exemplis adductis conſtat.

ſtat. Nam diuerſa eſt quæſtio; vtrum ieiunandum ſit quadrageſimalibus diebus, ab ea, an infirmus illis diebus teneatur ieiunare; huiuſque practicæ quæſtionis ſpeculatiua non eſt illa, an homo teneatur ieiunare in quadrageſima; ſed illa, an infirmus teneatur ieiunare. Quis autem dubitat inter diuerſas quæſtiones poſſe iudicia diuerſa eſſe: ſin autem quæſtio ſit eadem nullo modo poteſt diuerſimodè de illa iudicari in particulari, quam in communi. Vnde nihil dubij habet, poſſe illum qui iudicat non licere exercere ſeruilia diebus feſtiuis vel furari, nihilominus iudicare ſibi ea licere, quia extrema neceſſitate laborat. Vel dubitantem, an bellum ſit iuſtum, non dubitare ſibi licere ex præcepto principis militare. At cùm id propriè & facillimè doceri poſſit, neque vllam contineat difficultatem aut dependētiam, iudicium practicum ab ſpeculatiuo, cur talis doctrinæ machina, ſiue potius confuſio inuenta fuit? Hic non omittam notare immerito Sanchez citatum

Digitized by Google

num. præcedenti dixiſſe conſcientiam ſpeculatiuam non eſſe proximam regulam humanarum actionum, niſi quando cogit ad eandem conſcientiam practicam: ſic ſentiens in eo caſu, quo ſpeculatiua practicam cogit eſſe regulam actionum humanarum. Nam confunditur, quia dato illo caſu practica, non ſpeculatiua conſcientia eſt regula noſtra, ſpeculatiua autem numquã regula eſſe poteſt, neque conſcientia dici, vt ſupra iterato diximus & probauimus. Sufficiat ergo, pro Deo, dicere conſcientiam, hoc enim verbo ſignificatur iudicium circa peccatum, cætera autem iudicia non appellentur conſcientia, & ita ceſſabit confuſio, & totum de plano procedet.

40. *Illud aliud*, at diuerſum potuerunt, & debuerunt quærere Doctores, quod aliquam cognationem cum dictis habere videtur, qualiter ſcilicet, qui eſt in dubio, ſiue probabilitate tantùm circa antecedens, à cuius reſolutione pendet modus formandæ conſcientiæ permanente du-

bio, ſiue formidine (quæ in probabilitate continetur) poſſit formare conſcientiam certam, & firmam licere, vel non, cùm videatur ex antecedenti dubio ſiue formidoloſo, ſcilicet, an res ſit mea vel, an detur impedimentum, dirimens matrimonium, vel, an contractus ſit vſurarius, non poſſe deduci conſequens certum, & firmum; ergo pecco, vel non pecco, petendo rem, matrimonio vtendo, contractum celebrando. Quam difficultatem agnouit, & illi reſpondere conatur Sanch. de matrim. d. lib. 2. diſp. 41. n. 53. Lorca 1. 2. de actibus humanis. diſp. 38. memb. 1. verſ. Hanc ſententiam. At non tollunt difficultatem, vt latiùs dicemus cap. 3. n. 12. cum ſequentibus, agentes de conſcientia dubia, nam conſiderant ſpeciales rationes, quæ mutant terminos, & deſinit conſequens pendere ab illo antecedenti. Difficultas autem ſupra conſiderata procedit, quando nulla ſpecialis ratio interuenit, & verè, & propriè conſequens, ſcilicet an ſit peccatum hodie non ie-

Digitized by Google

iunare vel opera ſeruilia exercere vel hoc contractum celebrare, pendet ab eo antecedenti, an hodie ieiunandi præceptum detur, an tale opus ſeruile ſit, an contractus de iure ſit vſurarius, ſemota cauſa infirmitatis, neceſſitatis, &c.

41. *Quamuis autem* alibi, ſcilicet de conſcientia probabili & dubia, agentes de huius difficultatis ſolutione ex profeſſo dicendum ſit, hic breuiter dico & notabiliter aduerto, quod licet verum & infalibile ſit, quod intellectu aliquid dictante circa anteceden s, v. g. hodie ieiunandum eſſe, non poſſit dictare contrarium circa conſequens, ſi vere tale ſit, ſed debeat antecedenti conformari, dictando ſcilicet: ergo peccatum eſt non ieiunare. Tamen id procedit, quando intellectus circa antedens aliquid iudicat, non vero quando nihil iudicat vt contingit, quando eſt in dubio circa reſolutionem antecedentis, in quibus terminis, licet vellet, non poſſet conformari conſequens antecedenti, cùm non ſit iudicium,

neque aliud cui debeat conformari, ſed irreſolutio ac incertitudo, à qua nullum conſequens deduci poteſt. Dices, ergo dubio & irreſoluto antecedenti, neceſſario remanebit dubium conſequens & ſic conſcientia. At reſpondetur id negando, nam tunc fit tranſitus ad aliam quæſtionem, vt benè agnouit Eminentiſſimus Cardinalis Lugo de fide. diſput. 5. ſect. 1. n. 18. ſcilicet, an ſtante dubio & irreſolutione circa antecedens; à quo aliàs ſi reſolueretur penderet conſequens, id eſt conſcientia & illi conformari deberet & præcluſa illa via ordinaria, poſſimus reſolutionem habere circa peccatum, id eſt conſcientiam certam & firmam, eſſe vel non eſſe peccatum illud agere vel omittere: In qua quæſtione certum eſt poſſe nos, niſi ignorantia impediat, habere reſolutionem & formare conſcientiam certam circa peccatum, immo in iis propriis terminis procedere deciſiones Iurium in cap. Dominus de ſecund. nupt. & in cap. Iuuenis. de ſponſal. & in cap. ſignifica-

Digitized by Google

ſti el. 2. de homicid. cum ſimilibus. Ex quibus deducitur regula dicta, in dubiis tutius eligendum, ſcilicet peccare illum, qui dubitans de antecedenti operatur ſecundum minus tutam partem, quod in idem recidit, ac dicere, ſtante dubio antecedenti formandam eſſe conſcientiam non licere. Ecce qualiter ſtante dubio circa antecedens formatur conſcientia certa, ſine eo, quod interueniat iuſta aliqua cauſa, quæ ſi interueniat, vt ſæpe dictum eſt, & patet, ſpecies mutatur. Non autem per hæc dicimus, ſemper ſtante dubio circa antecedés, formandam eſſe conſcientiam non licere, nam ſuo loco hoc vtiliter diſtinguemus & ſtatuemus, quod obſeruandum.

42. Mirum ergo eſt, quod Doctores difficultatem iſtam omittentes, aliam vanam conſiderent, ſerio docentes qualiter poſſit practicum iudicium variari ab ſpeculatiuo, interueniente iuſta cauſa, & ſic mutatis terminis & facta quæſtione prorſus diuerſa. Item mirum eſt, quod ſtan-

Digitized by Google

te dubio circa antecedens, ſiue, vt aiunt, ſpeculatiuum, quærant, & aſſignent ſpeciales cauſas ad variandum, quæ, vt dictum eſt, exiſtimantes, quod, ſi ſpecialis iuſta cauſa non interueniat, non poterit firmari conſcientia certa & firma circa peccatum. Et tandem tunc in dubio tutius eligendum, & firmandam conſcientiam non licere, quando dubium eſt in ipſa conſcientia, ſeu, vt aiunt, practicum, non verò quando eſt circa antecedens, ſiue vt aiunt, ſpeculatiuum, cùm tamen totum contrarium verum & patens & probatum in dictis iuribus exiſtimemus. In quibus dubium planè eſt circa antecedens, ſiue ſpeculatiuum, non circa practicum, vt iam ſupra non ſemel probauimus & adhuc latiùs dicemus agentes de conſcientia dubia & probabili. Quæ proximè diximus circa dubium antecedens, proportionabiliter procedunt, quando circa illud ſumus in opinione, ſiue quod idem eſt probabilitate, id eſt aſſenſu non firmo & certò, ſed formidoloſo, nam non per

id neceſſario ſumus in ſimili ſtatu circa conſequens, id eſt conſcientiam, nam eodem modo iam non quærimus certo & firmiter ſcire qualiter ſe habeat antecedens, ſed tranſitum facimus ad aliam quæſtionem, ſcilicet an ſtante formidine circa antecedens, id eſt dato aſſenſu, non tamen firmo ſed formidoloſo, v. g. teſtamentum validum fuiſſe, vel contractum non eſſe vſurarium, vel rem eſſe meam, rectè formemus conſcientiam firmam, & ſine formidine dictantem licere petere legatum, vel rem vel contractum celebrare. In qua quæſtione certum eſt rectè formari dictam conſcientiam, non obſtante formidine circa antecedens, quod latè probabimus ſub cap. 2. n. 19. de conſcientia probabili agentes.

43. Quæ ſupra latè ratiocinantes impugnauimus circa proprietatem, & ſubſtantiam terminorum, *ſpeculatiuè* & *practicè*; poſt illa ſcripta inueni ſenſiſſe Lorcam 1. 2. d. diſp. 38. memb. 1. verſ. Hanc ſententiam; vbi ineptam & inutilem appellat tradi-

Digitized by Google

onem de dubio ſpeculatiuo, & pra-
ico, & eam defficere in re & pro-
ietate ſermonis, bene probat & ci-
t Cordub. eam quoque latè impu-
iantem. Item Caſtrum Palao di-
o tract. 1. diſp. 1. puncto 1. n. 3. ibi.
*It ſi bene perpendatur hoc iudicium
eciale, loquitur de practico, non eſt
ntrarium illi generali iudicio, quia il-
id generale iudicium ad huiuſmodi ca-
im nunquam ſe extendit, nunquam
iim verè & ſi generaliter iudicatum
t, die feſto obligationem eſſe infirmo
r impedito audiendi miſſam, ſed po-
us iudicari debet oppoſitum.* Verum
cet Doctores illi agnouerint per in-
:ruentionem ſpecialis rationis ſpe-
iem & terminos mutari, diuerſam-
ue fieri quæſtionem, neque contra-
ietatem conſiderari iam poſſe inter
llud iudicium, quod ſpeciale, ſiue
racticum dicunt, & generale, ſiue
peculatiuum, tamen multa alia, quæ
upra notauimus illi omiſere, illud
præcipuè quod tractauimus duobus
iumeris præcedentibus, neque ipſa,
quæ tetigerunt, ita explicarunt aut
probarunt. C v

Digitized by Google

44. *Illud etiam* hic notandum duxi, totam doctrinam de non plena aduertentia, ſiue deliberatione. Item de ignorantia vincibili verius pertinere ad conſcientiam; ſunt enim illa quaſi cauſæ conſcientiæ dubitantis, ſiue formidantis, at tandem ideo peccatum datur in operatione, quia conſcientia id dictat, & ſi veniale tantum eſt, ex eo eſt, quia conſcientia non plenè, ſed quaſi pro parte tantum dari dictat; immo ipſum quod non plena aduertentia, vel deliberatio vocatur, nihil aliud eſt, quàm ipſa conſcientia. Aliàs dicat aliquis, an quando ſic operatur, ſentiat aliquid diuerſum aut ſeparatum, quod aliter de peccato admoneat & conſcientia dici poſſit? At nemo id dicet, nam ſi haberet aliud iudicium deliberatum circa peccatum, hoc eſſet conſcientia & iam ceſſaret indeliberatio, vel inaduertentia per plenam & firmam cognitionem peccati & eius qualitatis. Dum ergo Doctores aſſerunt indeliberatum vel non plenè aduertentem, veniale tantùm committere

Digitized by Google

peccatum, quod vltra alios latè tractat Sanch. d. lib. 1. in Decalog. par. 1. præcipue. n. 11. 12. & 13. & operantem in confuſo, id eſt indeliberatè, an ſit veniale vel mortale, venialiter tantùm peccare (quod tamen non approbo, cùm iſte iam deliberatè agnoſcat culpam) vt tenent. Nauar. in ſumma lat. prælud. 9. n. 9. Ludouicus Lopes. Valent. Sal. & alij quos citat, & ſi contrarium probabilius ſentiat, Caſtro Palao d. tract. 1. diſput. 1. puncto 3. num. 5. Potius illa attribuenda ſunt conſcientiæ probabili vel dubiæ, & dicendum ex hac ratione, quia ſcilicet conſcientia non plenè admonet de peccato illud mortale fortè non eſſe, quod iam ſupra innuimus n. 31. cum Sayro ibi citato, & dicemus cap. 3. n. 4. Declarantes qualiter id procedat, neque obſtet doctrinæ dictanti operari cum dubio peccatum mortale eſſe, nam, vt ibi diximus procedit, quando ſtante dubio circa antecedens formamus in effectu (prout formare debemus regulariter vel ſaltem ſæpe, ſecun-

Digitized by Google

dum dicenda & diſtinguenda ſub cap. de conſcientia dubia) conſcientiam certam & firmam peccare mortaliter. Illud hic etiam aduertendo, ne dictis contrariari videamur; Neque per hoc, quod declarationis cauſa cum communi conſcientiam ipſam dubiam appellamus, fateri verè & propriè eſſe dubiam, immo credere certam eſſe circa miniſterium ſuum, id eſt peccatum, quod verè ibi eſt quale proponit, id eſt non plenum. Neque aſſerere cum conſcientia dubia operantem liquidè agnoſcere poſſe, qualiter peccet, ſic enim iam non eſſet conſcientia dubia; ſed dicere, quod in effectu venialiter tantùm forte peccat. Quæ dicta ſunt de conſcientia dubia multo magis de opinante & formidoloſa dicenda ſunt, nam iſta remotiùs & leuiùs de peccato admonet & reſoluitur in ſcrupuloſam, vnde videtur veniale & leuius eſſe peccatum cum illa operari. Quod verò attinet ad ignorantiam vincibilem ipſam reſolui in conſcientiam dubiam, ſiue probabilem, id eſt

Digitized by Google

in effectu, tunc non plenè admonere conſcientiam de peccato adhuc latiùs oſtendemus ſub cap. De conſcientia erronea.

45. *Ex dictis* ergo concludo, ad regulas iuris poſitiui ſiue quoſlibet doctrinas, ſolum pertinere terminos, in quibus dubiũ vel formido, id eſt probabilitas verſatur circa antecedens, & quęritur qualiter rectè formetur conſcientia, num ſit firmanda licere vel potius non licere opus illud. Quandò autem ipſa conſcientia tandem dubitare vel formidare videtur, ceſſat ius poſitiuum totæque aliæ doctrinæ ſpecies ad cognoſcendum peccatum & eius qualitatem, neque aliud circa illud conſtare poteſt, niſi quod illa interna admonitio, quali quali modo docet, quod ſupra latè probauimus. Huius ergo claſſis eſt 1. & ſemper conſcientia, quæ dicitur erronea vel conſideretur error in ipſa conſcientia vel in antecedenti, nam cum ab operante, non vt errans, ſed quaſi certa exiſtimetur, vt benè ait Sanch. d. lib. 1. cap. 11. n. 2. & Monteſin. 1. 2.

diſput. 29. q. 2. n. 18. & q. 3. n. 54.
Nulla quæſtio vel controuerſia ſe offert circa formandam conſcientiam, quando antecedens nobis eſt vel videtur certum, nam qui certo credit rem ſuam eſſe vel teſtamentum validum fuiſſe, nihil dubitat de formanda conſcientia, item firma & certa dictante licere retinere rem vel eam, aut legatum petere. Sicut per contrarium planè format conſcientiam ea non licere, ſi certo credit rem eſſe alienam vel teſtamentum inualidum.

46. Secundo huius etiam eſt claſſis conſcientia, quæ dicitur ſcrupuloſa, nam cùm talis dici ſoleat tunc tantum, quando ſcrupulus conſideratur in ipſa conſcientia, remanet hæc ſpecies in terminis huius claſſis, & in regula poſita ſupra, & ponenda verſiculo ſequenti circa conſcientiam iam formatam. Immo ſiue ſcrupulus conſideretur circa antecedens, ſiue in ipſo conſequenti, id eſt conſcientia, nunquam huiuſmodi ſpecies conſcientiæ diſtinguitur ab opinante, ſiue probabili, nam hæc illam in ſe in-

cludit, neque (vt ſub cap. de conſcientia ſcrupuloſa probabimus) ſcrupulus aliud eſt, niſi illa formido, quæ in opinione, ſiue probabilitate continetur, quamuis prima facie, hæc aſſertio, vt plures aliæ noua & ſuſpecta fortè videatur.

47. Tandem, vt iam rem iſtam concludamus, huic claſſi quoque pertinet, ipſa conſcientia dubia & probabilis, & generaliter omnes illi termini, in quibus tandem qualitas aliqua in ipſa conſcientia conſideratur, & vt ſæpe admonuimus omnis hæſitatio circa conſcientiam iam formatam, & per conſequens vniuerſæ doctrinæ reſoluentes aliquid licere vel non licere vel peccatum eſſe aut non eſſe. Ad priorem autem claſſem tantùm pertinet conſcientia, quæ dicitur dubia & quæ dicitur opinans, ſiue probabilis, quando ſcilicet dubium vel opinio eſt circa antecedens, & quæritur qualiter iuſtè & rectè ſit formanda conſcientia, id eſt dictamen licere vel non licere, &c. de quibus ſequentibus capitibus agemus.

Digitized by Google

48. *Conſtat ergo* ex dictis & notatis hoc cap. Conſcientiam nil aliud eſſe niſi poſtremum illud iudicium, ſiue dictamen circa peccatum, alia vero iudicia, quæ Doctores appellant ſpeculatiua, nullo modo eſſe, nec dici poſſe conſcientiam, ac per conſequens vanas eſſe re & nomine traditiones de depoſitione conſcientiæ ſpeculatiuæ, ac ſimiliter terminos, *practicè* & *ſpeculatiuè*, nihil aliud adducere, niſi improprietatem & confuſionem, cùm aliàs res iſta facilis, & plana ſit, nam dicendo ſimpliciter conſcientiam ſignificamus dictamen circa peccatum, quod dictamen ſemper ſimplex & purum eſt, & ſolum concludit peccatum eſſe vel abeſſe ſecundum motum internum & exiſtimationem ipſius operantis. Qua conſcientia formata, nulla alia quæſtio excitari, nulla alia doctrina recipi poteſt, circa illam. Sin autem de ipſa conſcientia rectè formanda agimus, tunc quæritur qualiter formanda, quando dubium ſiue formido interuenit circa antecedens, nam quan-

Digitized by Google

o illud certò ac firmiter reſoluitur,
eſſat omnis quæſtio, etiam circa for-
nandam conſcientiam.

CAPVT II.

De Conſcientia probabili.

raditur ſingulariter, quid vere ſit opinio, quidve circa illam in materia conſcientiæ quæri, & doceri debeat. Probatur apertiſſimè non poſſe duas partes contrarias probabiles eſſe apud vnum intellectum, immo ſic opinantem in vero eſſe dubio. Multa alia noua reſolutione enodantur.

C*Onſcientia opinantis*, ſiue probabilis (ita loquor ſequendo ommunem, non autem terminos os probando) materia facilis erat, plana, antequam Doctorum recenorum ſcripta rem iſtam ad non ſuos rminos conuerterent, quo factum, vt latiſſima, & implicatiſſima dderetur, & (ſit tantorum virorum ce dictum) inutilis & non tuta

Digitized by Google

doctrina circa illam tradita. Hinc maior nobis inerit labor in reprobando illa, quæ immerito credimus dicta, quam in tradendo veram & competentem huic rei doctrinam.

2. *Exponam ergo* in primis, quid verè ſit opinio, quidque propriè circa illam in materia conſcientiæ quæri & doceri debeat. Deinde demonſtrabo Doctores rem iſtam præcipuam & vtiliſſimam omiſiſſe, & aliam maximè diuerſam in eius locum tradidiſſe: Et quidem, ſi, vt credimus, vera eſt hæc noſtra obſeruatio, omnis fere doctrina de conſcientia probabili hucuſque tradita corruit, longéque aliter ſe habet, viaque alia facilis & plana, iuri & naturali rationi conſona aperitur. Iam ergo de primo agamus, pro quo.

3. *Prænotandum eſt* 1. quod opinio, quatenus pertinet ad præſentem materiam & ſtatutum proprij intellectus, definitur, *Aſſenſus vnius partis, non firmus aut certus, ſed cum formidine contrariæ.* Ita definiunt Sanch. de matrim. lib. 2. diſput. 41. n. 2. &

in Decalog. d. lib. 1. cap. 9. num. 2. Bonacin. d. q. 4. puncto 6. num. 3. qui plures citant. Eſt ergo opinio quidam ſtatus, in quo intellectus noſter ab ipſa natura conſtituitur, ille enim non ſemper eodem modo iudicat, vel deliberat, ſed aliquando certum aliquid putat, ſine vlla formidine, & dicitur eſſe in ſcientia, ſiue certitudine. Aliquando verò aſſentitur intellectus vni parti, at non firme & certo, ſed cum formidine, vt contrarium forte ſit verum, & illud, cui aſſentitur falſum, quod contingit, vel propter inſufficientiam fundamentorum, ſiue rationum, quia ſcilicet non ſunt tales, quod omnino certum reddant intellectum de illa parte, cui tamen aſſentitur, vel quia pro contraria parte conſiderat aliqua fundamenta, quæ licet non impediant abſolutè aſſenſum pro contraria eſſe; tamen non ſinunt eum pro ea firmum eſſe, immo cogunt formidare, & aliquantulum, vt ita dicam, dubitare de veritate illius partis, cui aſſentitur. In quibus terminis dicitur eſſe in opi-

Digitized by Google

nione ſiue probabilitate illius partis, cui aſſentitur. Aliquando tandem propter æqualia, vel fere æqualia fundamenta contraria nulli partium contrariarum aſſentiri audet, & dicitur eſſe in dubio. Sanch. d. cap. 9. n. 2. & omnes. Hi ſunt principaliores ſtatus, in quibus intellectus noſter conſtitui ſolet circa quæſtiones ſibi propoſitas. Et vulgari modo, quæ dicta ſunt explicãdo tunc aliquis eſt in ſcientia, ſiue certitudine, quando dicit; Hoc certum mihi eſt ſine vllo dubio. Tunc autem eſt in opinione, ſiue probabilitate, quando dicit: Opinor, credo, puto, exiſtimo vel mihi videtur hoc ita eſſe, attamen non me omnino firmo, ſed cum formidine remaneo. Tunc tandem eſt in dubio, quando dicit, neque id, neque contrarium aſſerere audere. Quos quidem intellectus noſtri ſtatus paſſim in nobis agnoſcimus & experimur, & illos explicare nos docet ipſa naturalis ratio, à qua pendent, licet Doctores rem iſtam, quaſi ab alia philoſophiæ regula penden-

tem, & nobis extraneam tradere ſoleant, ſic rem facillimam occultantes prædictos ſtatus noſtri intellectus videtur agnouiſſe Pont. in cap. Inquiſitioni 44. de ſentent. excommunicationis.

4. *Illud autem* hic pro intelligentia dictorum, & dicendorum animaduertere oportet, quod ſcilicet, quando dicitur aliquem eſſe in ſcientia, ſiue certitudine aut opinione aut dubio, &c. intelligitur, quod attinet ad propriam exiſtimationem, non autem, quod in ſe & apud alium illud ſit certum, probabile vel dubium, &c. Patet, nam ſi me docere intendis, quod mihi liceat operari & formare conſcientiam non peccare, non reſtituendo vel contractum celebrando, quando ſum in opinione, ſiue probabilitate circa antecedens, veluti rem eſſe meam, contractum non eſſe vſurarium, neceſſario debes ſupponere meam exiſtimationem, non tuam vel alienam, quam ego agnoſcere non poſſum. Potero ego errare, at erronea conſcientia pro certa tran-

ſit, ſequitur, & excuſat, ſi inculpabilis ſit, quia ab operante quaſi certa, non, vt errans exiſtimatur, vt ait Sanch. d. lib. 1. cap. 11. num. 2. ſentit Monteſin. 1. 2. diſp. 29. quæſt. 2. n. 18. & quæſt. 3. n. 34. vbi eam dicit certam, certitudine ſcilicet ſe tenente ex parte ſubiecti. Quæ dicta ſunt in effectu non defitentur Vaſq. 1. 2. quæſt. 19. diſput. 62. cap. 1. n. 2. Sanch. de matrim. lib. 2. diſp. 41. n. 4. ibi. *Appellatur autem ſcientia, &c. in particulari reſpectu operantis*, Sayr. in Clau. reg. d. lib. 1. cap. 6. n. 2. Azor. moral. lib. 2. cap. 17. q. 5. Bonacin. tom. 2. diſput. 2. quæſt. 4. puncto 9. n. 5. & deducitur ex textu in dicto cap. Inquiſitioni, in principio, de ſentent. excommunicat. ſentit etiam. Ioan. Sanch. de lect. diſput. 43. num. 48. ibi. *Ob rationes ſibi probabiles*. Arriaga 1. 2. tom. 3. diſput. 24. num. 1. b. *Nihilominus pro me poteſt eſſe certa*. Caſtro Palao d. diſp. 2. puncto 1. num. 9. b. *Non eſſe attendendum, quid opinio in ſe habeat, ſed qualis tibi appareat*, & citat alios.

Digitized by Google

Et merito, nam neque aliàs doctrina percipi poſſet, ſi traderetur pro terminis incognoſcibilibus, neque in materia conſcientiæ attenditur ad peccatum materiale, ſed formale, quod continet offenſam Dei & cognoſci poteſt, hoc autem ceſſat, vel latur, quoties agitur ſecundum conſcientiam vel contra conſcientiam proportionabiliter, vt omnes agnoſcunt agentes de conſcientia erronea, ſicut autem ipſa conſcientia attenditur tamquam vera & certa, ſic ſtatus intellectus circa antecedentia, à quibus pendet conſcientiæ formatio, debet attendi reſpectu exiſtimationis operantis, neque alter cum effectu dicere poterit alium peccaſſe, quia fuit in opinione vel ſcientia perperam. Tandem ex eo conuincitur, quia pro vniuerſæ quæſtionis reſolutione & ad vniuerſam doctrinam ſupponendi ſunt termini, habiles tamquam certi, vt deducitur ex textu in §. In extraneis. inſtit. d. hæred. qualiter Roman. ſingul. 55. Cuius doctrinæ traditioni non oberit,

quod fortè perperam ſupponantur termini, nam id non officit rectæ traditioni doctrinæ; Neque in ea tradenda debet in infinitum procedi, vt contingeret, ſi pro tradenda doctrina de licentia operandi cum probabilitate admitteremus controuerſiam, an & quando rectè vel perperam exiſtimaremus eſſe in probabilitate, & ſic de cæteris ſtatibus intellectus.

5. *Diximus qualiter* definiatur opinio, & quid vere ſit, quatenus eſt ſtatus proprij intellectus, nunc oportet videre, quid ſit & qualiter definiatur quatenus accipitur pro ſententia Doctorum, qui ſenſus nullo modo pertinet ad præſentem materiam, immo ille à Doctoribus ad eam applicatus fere totam, quam impugnamus confuſionem, & doctrinam produxit. Opinio igitur, quatenus eſt alterius reſponſio, ſiue ſententia, ſuper aliqua quæſtione, definitur à gloſſa verbo *Opiniones*, in §. Reſponſa prudentum. Inſtit. de iur. natural. gent. &c. *Vt ſit reſponſio cum dubitatione*, & differt à ſententia, quia iſta,

iſta, *eſt firma, & indubitata reſponſio.* Secundum eandem gloſſam verbo, *ſententia.* Cùm ergo Iuriſconſulti dicunt: magis puto: verius eſt, & ſimiliter tunc ſunt in opinione & oſtendunt formidare, ſiue aliquantulum dubitare, idem ſignificant, quando vno verbo dicunt: opinor, vel exiſtimo. Eodem modo tunc Doctores idem ſignificant, quando ſimilibus verbis vtuntur vel, vt ſolent, dicunt: probabile ſibi eſſe, quamuis ipſi non ſtrictè obſeruare ſoleant dictos terminos, immo illos confundere, accipiendo opinionem pro ſententia & non vtendo termino, *probabile*, niſi comparatione contrariæ ſententiæ probabilioris. Quando autem Iuriſconſultorum reſponſio eſt abſoluta veluti verum eſt: Non valet: Non poteſt, &c. tunc ſententia dicitur. Sic ſimiliter quilibet rectè dicit & putat eſſe in ſcientia, quando abſolute aliquid verum ſibi eſt, quod ſi verbo proferat, ſententia erit. Eodem modo rectè dicit & putat eſſe in opinione, quando illi parti aſſentitur

cum formidine tamen, quod ſi verbo proferat, dicere debet: opinor, exiſtimo probabiliter iudico vel alio ex cæteris modis ſupra in exempla adductis. Hinc duo maximè aduertenda deducuntur. Primum, quod Doctores, neque ſcribentes obſeruant dictam differentiam in ſuis ſcriptis, vt intelligatur, an certò, an cum formidine illa aſſerant, neque docentes inter opinionem, & ſententiam diſtingunt, immo aliorum ſententias indiſtinctè opiniones vocant. Secundum eſt, diuerſum omnino eſſe, quod opinio ſit Doctorum, an alterius; vel quod ſit ipſius operantis, nam in materia conſcientiæ propria & non aliena, attenditur & quando dicitur recte formari conſcientiam licere cum opinione, vel probabilitate antecedentis, v. g. rem eſſe meam vel teſtamentum validum eſſe, intelligitur, ſi ipſemet qui rem retinere, vel legatum petere intendit; ita ſentiat de antecedenti, non autem, ſi aliter, immo plures id ſentiant, quod nemo inficiatur, & plures in effectu ſentire

videntur, & expreſſiùs, Caſtro Palao d. tract. 1. diſput. 2. puncto 2. n. 4. ibi. *Non enim ſufficit ſi iudices alios ſentire te non eſſe obligatum, niſi tu ſentias te obligatum non eſſe.* Immo, vt alibi probabimus, neque communem opinionem ſequi poſſumus, ſi illi non conformemur. Dices illam Doctorũ opinionem, ſiue ſententiam eſſe ſufficientem & iuſtam cauſam, vt ego etiam idem opinor. Fateor eſſe poſſe, at tunc iam mea fit opinio & ſuccedunt dicta, nam non minus mea dicitur pecunia, quia ab alio acquiſiuerim vel ſciẽtia, quia à magiſtro acceperim, quod hic tangere libuit, licet infra latiùs probandũ ſit loco ſuo.

6. *Ex dictis* proximè conſtat, idem eſſe opinionem & veram probabilitatem & quaſi ſinonima, quo modo illis terminis vtuntur Sanch. d. cap. 9. num. 2. in principio, ibi, *quandoque opinatur & dicitur probabilis, ſeu opinans.* Sayr. d. lib. 1. cap. 5. n. 2. ibi, *alicuius opinionis, ſeu conſcientiæ probabilis.* Et conſtat ex definitione, quæ ita competit probabilitati, ſicut opi-

nioni, & communis vſus loquendi ſolet frequentiùs exprimere opinionem, per terminum: probabiliter, v. g. hoc fuiſſe vel eſſe, quo ſignificat aſſenſum cum formidine. Vnde quamuis de opinione, quatenus eſt ſententia Doctorum dici poſſit, quod eſt probabilis; De vera tamen opinione dici nequit ſine ſuperfluitate & ineptitudine, nam cùm ſit aſſenſus noſter, non poteſt non eſſe probabilis. Vel ſine falſitate, ſi dicatur opinio falſa vel improbabilis, quæ qualitates ſententiis tantùm Doctorum, ſiue eorum opinionibus, non noſtræ & veræ, quæ hic attenditur competere poſſunt. Niſi probabilitas accipiatur abuſiuè vt explicabimus infra n. 37. 42. & 43.

7. *Vt autem definitio* veræ opinionis rectè intelligatur, ſciendum eſt formidinem contentam in opinione non impedire aſſenſum, ſed operari non eſſe firmum & certum, vt agnouit Sanch. cum citatis d. lib. 1. cap. 9. n. 18. licet ipſe dicat non impedire aſſenſum, ſed operari ne ſit euidens, nam non ſolum cum euidenti, ſed

cum moraliter certo licet operari. Eſt ergo ſenſus, quod ſi opiner vel quod idem eſt, probabiliter iudicem rem meam eſſe vel teſtamentum validum fuiſſe, tamen habeo formidinem (non autem aſſenſum aut dubium) vt forte contrarium ſit verum. An autem hæc formido impediat recte formari conſcientiam licere rem, vel legatum petere, hæc eſt quæſtio ad quam properamus.

8. *Quæſtio igitur* in materia de conſcientia opinante, ſiue probabili, nulla alia eſt, niſi, an quando ſumus in opinione circa antecedens à quo pendet (totum hoc intelligitur, quantùm ad propriam exiſtimationem) an ſit peccatum, veluti rem noſtram eſſe vel teſtamentum validum, debeamus formare conſcientiam dictantem non licere vel poſſimus iuſtè formare, licere rem vel legatum petere vel retinere. Quod idem eſt, ac quærere, vtrum illa formido, quam habemus & in opinione includitur, ſit iuſta cauſa, vt habeamus quaſi dubium illud antecedens, qui enim for-

Digitized by Google

midat aliquantulum dubitat, & per conſequens impediamur formare cõſcientiam licere & debeamus eam formare, non licere, quod eſt tutius. Rationem dubitandi inferiùs corroborabimus. Et quidem prædictam eſſe quæſtionem de conſcientia probabili agnouerunt, licet enim ſic explicent Sayro d. lib. 1. cap. 5. num. 4. Arriaga 1. 2. tom. 3. diſp. 24. n. 1. Caſtro Palao d. diſp. 2. puncto 10. n. 1.

9. Hic aduerto, quod quia breuior & propior eſt quæſtio & dicendi modus, verum rectè formetur conſcientia licere, contra formidinem, ſiue non obſtante formidine circa antecedens, eo per diſcurſum vtar. Dixi, breuiorem eſſe, quia aliàs neceſſe erat declarare verbis, vel exemplis, pro qua parte eſſet opinio, ſiue probabilitas circa antecedens, nam dicendo ſimpliciter vtrum cum probabilitate circa antecedens, &c. non conſtaret an probabilitas eſſet pro parte, v. g. dictante teſtamentum validum fuiſſe, an pro contraria, vnde, niſi adderetur declaratio, ambiguitas reſultaret.

Dixi propiorem eſſe, quia tota ratio dubitandi procedit à formidine, nam ſi illa ceſſaret, & daretur certitudo, quæſtio per conſequens ceſſaret. Aptè ergo prædicto modo res iſta tractabitur.

10. Ad reſolutionem prædictæ quæſtionis reducendum ad memoriam illud, quod ſupra cap. 1. num. 10. 21. & aliis admonuimus, & apertè probauimus, ſcilicet, ſemper quæſtionem, an ſit peccatum in opere, pendere ab alio antecedenti, ſiue in iure, ſiue in facto conſiſtenti, vt ibidem explicauimus, & exemplificauimus, & per diſcurſum illius & huius cap. ſæpius diximus. Item quæſtionem iſtam eſſe de conſcientia formanda, non de iam formata, ac per conſequens ad illam vel ad aliam quæſtionem vel doctrinam non pertinere caſum, in quo tandem ipſa conſcientia iam formata formidat vel dubitat, quæ hic non repeto, ſed aduerto.

11. *Item aduertendum*, quæſtionem eſſe, vtrum cum probabilitate liceat operari ſecundum partem minus tu-

tam, veluti omittere ieiunium vel reſtitutionem, quando opinor, id eſt cum formidine, ſiue probabiliter aſſentior, quod talis cauſa excuſat à ieiunio vel quod res mea eſt, vel mutuum non accepi. Quod in idem recidit, ac quærere, vtrum formido, quod illa cauſa non excuſet à ieiunio, vel res non ſit mea, vel quod mutuum forte accepi, impediat formare conſcientiam licere, nõ ieiunare, non reſtituere, quæ ſunt partes minus tutæ? Nam quod liceat ſequi partẽ tutiorem, & formare conſcientiã debere reſtituere vel ieiunare extra quæſtionẽ eſt, etiã ſi pars illa falſa videretur. Ita Arriaga d. diſp. 25. n. 25. Sunt enim partes & actiones tutæ, in quibus peccatum non conſideratur, quamuis falſum ſit nos ad illa teneri. Quamuis autem ad præſentem quæſtionem & doctrinam ſufficeret dicere & quærere vtrum cum formidine circa antecedens rectè formetur conſcientia licere, vt per hoc intelligeretur quæſtionem procedere, quando agitur de formanda conſcientia ſecundum mi-

Digitized by Google

nus tutam partem, tum quia talis eſt ſemper illa, quæ dictat, licere, vt bene docet Sanch. d. lib. 1. cap. 9. n. 5. (quamuis non bene, id & totum quod docet de ſententiis contrariis Doctorum procedat in ſua ſuppoſitione) tum etiam quia ſi dubitandi ratio eſt formido, planum eſt, quod illa ſolum cōſideratur ad ſequendam partem, in qua poteſt dari peccatum. Tamen quia oportet ad alia plura, rectè agnoſcere, quænam pars minus tuta, quænam verò tutior dicatur & in iis etiam plura, vel inſufficienter vel minus bene tradita exiſtimo, aliqua non contemnenda circa huiuſmodi articulum aduertam.

12. Circa explicationem ergo prædicti articuli plura ſcribunt, & controuertunt Vaſq. 1. 2. quæſt. 19. diſp. 62. cap. 1. n. 1. & diſput. 66. cap. 1. in initio. Sanch. d. lib. 1. cap. 9. n. 5. & cap. 10. n. 16. & 18. & de matrim. lib. 2. diſput. 41. num. 45. Sayr. in Clau. reg. d. lib. 1. cap. 13. num. 9. Azor. moral. lib. 2. cap. 16. quæſt. 2. verſ. & in hac, & cap. 18. quæſt. 4.

Digitized by Google

Filliuc. d. tract. 21. cap. 4. num. 161. Sancium citato loco tranſcribens, vt ſolet; quod etiam hic fecit Caſtro Palao diſput. 3. puncto 1. n. 7. Ego tamen alio & meo modo rem iſtam explicabo & poſtea examinabo, quæ circa eam ab ſcribentibus perperam vel impropriè tradita exiſtimo.

13. *Tutior igitur* pars, ſiue actio, ſiue omiſſio illa eſt, in qua peccatum eſſe non poteſt, veluti reſtituere, ieiunare, eleemoſinam elargire. Minus tuta verò illa, in qua peccatum dari poteſt, vt non reſtituere, non ieiunare, quamuis opinemur, vel etiam certo iudicemus non teneri ieiunare, vel reſtituere, nam per hoc non deſinit pars illa minus tuta eſſe, quia ſi forte falſa, vel minus ſufficientia fuerint fundamenta, quæ illam partem licere ſuadent, peccatum committemus, ſaltem materiale, ſi nos bona fides, ſcilicet inuincibilis error, ſiue ignorantia à formali excuſauerit. Nam deficientibus fundamentis, cùm illa pars ſit contraria præcepto, ex natura ſua minus tuta eſt. Quod etiam alio mo-

do explicari aptè poteſt, ſcilicet quod aliqua pars ex ſe tuta eſt: alia verò non ex ſe, ſed ex fundamentis illam hic & nunc licitam ſuadentibus, licet in communi vel, vt dicam, regulariter, illicita ſit; illa dicitur tutior, quia non dependet à veritate fundamentorum. Hæc verò minus tuta, quia ab illis dependet & ſic illam ſequens alicui periculo videtur exponi, ſcilicet, ſi fortè falſa fuerint fundamenta, quibus nititur. Virtus ergo doctrinæ de licentia ſequendæ probabilitatis, ſiue opinionis illa eſt, vt per eam liceat ſequi minus tutam, nam tutiorem ſequi, etiam cum merito poſſe, nemo ambigit & poſt alios tradunt Sanch. d. cap. 9. num. 13. Filliuc. d. cap. 4. num. 126. & 128. Arriaga d. diſput. 25. num. 25. & nemo negat tunc procedere doctrinam de conſcientia probabili, de qua infra. Dices forſan aptiùs in prædictis exemplis dicendam partem abſolutè tutam, non autem tutiorem, huiuſmodi enim comparatiuum, tutior, vel ſignificat, quod contraria pars etiam tuta

eſt, nam comparatiuum ſupponit poſitiuum. Ex textu in l. vbi autem. ff. de verb. ſignif. & ibi notata & iſte eſt vulgaris & communis loquendi modus: Nam quando dicimus: hoc melius eſt, ſupponimus aliud & contrarium bonum quoque, non autem malum eſſet. At ſi iſte ſenſus deducatur, in propoſito falſus erit, nam certum eſt contrariam partem eſſe non tutam ex ſe. Vel ſignificat, quod pars illa tutior, non autem abſolutè tuta eſt; nam etiam ſic aliquando vtimur comparatiuo dicentes: melius eſt pro eo, quod eſt minus malum, non autem bonum, veluti melius eſſe peccare contra præcepta affirmatiua, quàm contra negatiua. In hoc autem ſenſu non poteſt tutior dici, cùm abſolutè, ex ſe bona ſit pars vel actio illa. Reſpondetur quod optimè dici poteſt altera pars ex ſe tuta; altera verò ex ſe non tuta; qualis eſt, quæ ſe motis fundamentis, quæ hîc & nunc illam reddunt licitam, peccaminoſa redditur. At ex eo ſaluari poteſt appellatio huius partis minus tuta, quia tunc

ex fundamentis licita & tuta ſupponitur, (quod tamen ex ſe non eſt) minus tuta dicitur:& reſpectu huius minus tutæ, dicitur alia & contraria tutior. Adde dicenda cap. 3. num. 14. verſ. Hic aduertendo.

14. *Doctores autem* ſuum intentum ſequentes, quo ſupponunt totum, quod de opinione dicitur pertinere ad opiniones ſiue potius ſententias Doctorum & ſolum procedere, quando iſta & contraria probabilis eſt (quod latiſſimè infra hoc capite impugnabimus, ad hoc enim præcipuè nos huic operi accinximus) dicunt ipſas opiniones tutiores vel minus tutas, ita Sanch. d. cap. 9. num. 5. Azor. d. cap. 16. quæſt. 2. verſ. Vt in hac. At perperam, quia hæ qualitates non conueniunt ipſi opinioni, ſiue ſententiæ, ſed parti, actioni, ſiue operationi, quæ fit virtute illius ſententiæ, & ipſi Doctores coguntur dicere partem, non autem opinionem tutam, quando tractant de dubia conſcientia, ſic loquitur Sanch. de ea agens, d. cap. 10. num. 16. & ſequentibus, nam cùm

in illis terminis non conſideretur opinio, ſiue ſententia, quæ dicatur tutior, ſiue minus tuta, coguntur rectè illas qualitates in partibus, ſiue actionibus conſiderare, quod non faciunt, quando ſententias conſiderant, cùm hoc non mutet rei ſubſtantiam, ſed æque tunc dicenda ſit pars, ſiue actio, non autem opinio, id eſt ſententia tutior, vel minus tuta.

15. *Illud autem* quod ait Sanch. d. n. 16. cum ſequentibus, & eum tranſcribens Filliuc. d. cap. 4. num. 161. & Caſtro Palao d. diſp. 3. puncto 1. num. 7. Scilicet quod quando concurrunt duo præcepta incompatibilia; & ſic in vtraque parte conſideratur peccatum, violandum eſt præceptum, quod minus obligat, ex ratione text. in cap. Duo mala. & in cap. Nerui. diſt. 13. vbi dicitur ex duobus malis, minus eligendum, non videtur contingere poſſe, niſi per errorem, quod prædicti Doctores non aduertunt; nam duo præcepta incompatibilia concurrere non poſſunt, vt omnes agnoſcunt, ac per conſequens

talis caſus contingere non poteſt, niſi per erroneam exiſtimationem illius, qui falſo illud ſupponit. Deinde, ſi iſte erroneè ſic ſupponens, agnoſcit, quod ſibi licet minus malum ſequi, iam non exiſtimat in vtraque parte dari peccatum, id eſt ſiue agat, ſiue omittat & ſuccedunt dicta & reſoluta cap. præcedenti de conſcientia in genere. num. 26. & 27. Tandem hoc non pertinet ad quæſtionem & doctrinam de probabilitate, nam illa vt ſæpè admonui nihil aliud petit, niſi an ſtante probabilitate circa antecedens, veluti, rem eſſe meam, priorem coniugem defunctum, contractum non eſſe vſurarium, rectè formemus conſcientiam dictantem non eſſe peccatũ in retinendo vel petendo rem. In contractu celebrando, &c. Et ratio dubitandi eſt, quia adhuc formidamus de veritate illius antecedentis, quod ſi fortè falſum eſt, in contrarium debuit formari conſcientia. At hæc quæſtio applicari non poteſt, quando iam ſupponimus peccatum in vtraque parte & ſic eſt con-

Digitized by Google

ſcientia iam formata & non conſcientia formanda, & ſuccedunt etiam dicta cap. præcedenti num. 26. & 27. Vnde quamuis recta ſit doctrina docens inter duo mala, quæ ſe repræſentant minus eſſe eligendum ex text. in d. cap. Nerui. 13. diſt. id procedit quando quis certo, & firmiter vtrumque malum exiſtimat, at alterum minus malum, vix autem huiuſmodi caſus applicari poteſt ad doctrinam & quæſtionem de conſcientia, vt dicunt probabili, ſiue etiam dubia, ſuppoſito, quod probabilitas, ſiue dubium debet eſſe circa antecedens. Minus ad eas pertinere poteſt, quod dicunt Sanch. d. cap. 16. num. 19. Filliuc. & Caſtro Palao citatis locis, de caſu, quo in vtraque parte contraria conſideratur æqualis malitia, nam tunc non poteſt conſiderari magis vel minus tutum, neque habere locum quæſtio, an tutius ſit eligendum in dubio, ſiue probabilitate & obſtant ſupra dicta & omnes iſti caſus videntur magis pertinere ad conſcientiam formatam, quàm ad formandam, de qua

agimus. Sicut ergo planè procedunt quæſtiones de conſcientia probabili vel dubia, quando altera pars tutior, altera verò minus tuta eſt (quod ſemper à parte rei contingit & frequentiſſimè nobis iſta conſtat) ita vix procedere & applicari poſſunt ad caſum, in quo pro vtraque parte peccatum, & nulla tuta ex ſe conſideratur. Adde dicenda infra num. 138. 139. & pluribus ſequentibus.

16. *Aliud frequentius* & declaratione dignius omittunt Doctores, ſcilicet, quod aliquando nulla partium ex ſe tuta, ſiue non tuta conſiderari poteſt vel agnoſci, quamuis enim rectè agnoſcamus alteram à parte rei tutam, alteram verò non tutam, tamen non cognoſcimus in qua parte ſit iſta, in qua verò illa qualitas, nec alia bonitas vel malitia partium, periculum vel ſecuritas agnoſcitur. Exemplum eſt in iudice, qui dubitat, an Actor, an verò Reus potiorem cauſam foueat, nec agnoſcit, nec reſoluit pro qua parte ſit iuſtitia, à quo antecedenti pendet qualiter formare

debeat conſcientiam, in quibus terminis ille, nec videt nec conſiderat partem tutiorem, vt ſecundum illam formet conſcientiam iuxta regulas iuris pro dubio aſſignatas. In iis ergo & ſimilibus terminis quid faciendum ſit, dicemus infra de iudice agentes de num. 151. vſque ad num. 164. vbi plura inuenies maximè conducentia ad rectam intelligentiam huius obſeruationis & totius materiæ. Sin autem probabiliter exiſtimauerit iudex iuſtitiam eſſe pro aliqua partium, tunc non ſolum poterit, ſed debebit pro ea iudicare, at tunc non dicetur eligere minus tutam cum probabilitate, nam hîc nulla alia eſt rei natura, nullaque pars ex ſe tutior, niſi illa pro qua vis fortiùs apparet. In quibus terminis non differt tutius à probabiliori, quamuis aliàs nihil commune habeant, vt benè aduertit Sanch. d. cap. 9. num. 5. Concludo igitur, quod quæſtio, de qua agimus, ſolum tunc procedit & doctrina, de qua tractamus tunc tantùm rectè habet locum, quando altera

pars ex ſe tuta, ſiue tutior eſt. Adde dicenda infra hoc capite à num. 139.

17. *Hic non omittam* duo impugnare, alterum eſt, quod ait Bonacin. d. 2. tom. diſp. 2. quæſt. 4. puncto 9. num. 2. ſcilicet tutam eſſe illam partem, quæ aſſerit non eſſe reſtituendum, ſi probabilis ſit, quia ſic ſine peccato ſequitur. At inaduertenter loqui videtur, nam ſic nulla partium diceretur minus tuta & deſtrueretur tota doctrina ſupra tradita, quæ optimè appellattutam partem, quæ dictat non reſtituendum, licet maximè probabilis ſit, quia ſcilicet ex natura ſua tuta non eſt, quamuis poſſit virtute fundamentorum licere hîc & nunc, neque enim valet argumentum, licet hæc pars, ergo tuta eſt, nam terminus tuta ſignificat naturam actionis à parte rei, ſemotis rationibus illam licere ſuadentibus & ante illas conſideratas. Alterum eſt; quod ſcribit Filliuc. d. tract. 21. cap. 4. num. 138. ita dicens; *Tutiorem autem intelligo eam quæ plurium ſapientium iudicio*

Digitized by Google

pro tali habetur, non eam, quam vnus vel alter fortè ſcrupuloſior, quàm par eſſet pro tutiore exiſtimaret. Sanè ego non video vllam controuerſiam circa id an aliqua pars tutior ſit, hoc enim etiam inſipientibus eſt notum, neque iudicia ſapientium ſuper ſpecialibus partibus, dicentibus, ſcilicet ſapientibus, eas eſſe tutiores. Dato autem quod ita plures docerent de aliqua parte, & aliqui ſcrupuloſiores contrarium, quid difficultatis potuit efferri, vt plurium ſapientium iudicia ſequi deberent, & vt neceſſaria eſſet dicta admonitio.

18. *Iam ergo* ad reſolutionem quæſtionis propoſitæ ſupra num. 8. accedentes. Pro parte negatiua, ſcilicet non licere operari cum opinione, ſiue probabilitate, ſiue, quod idem eſt, ſtante formidine circa antecedens. Seu vt propriori & meo modo loquar, non rectè aut iuſtè formari conſcientiam licere, faciunt ſequentia. Primum quod quando ſumus in opinione, ſiue probabilitate tantùm, non autem certi & firmi circa ante-

:dens, veluti rem noſtram eſſe, vel
ontractum non eſſe vſurarium, for-
nidamus, vt fortè ſe aliter habeat an-
:cedens & ſic cum aliquantulo du-
ij circa eius reſolutionem remane-
nus; vt aiunt Azor. moral. lib. 2.
ap. 16. quæſt. 2. in princip. dicens,
ormidinem eſſe ambiguitatem, &
loſſa verbo *opiniones* in d. §. Reſpon-
a Inſtit. de iur. natural. &c. vbi de-
nitur: *reſponſio cum dubitatione*. In
ubiis autem tutius eſt eligendum ex
egula text. in cap. Iuuenis de ſpon-
al. & in cap. ad audientiam; & in
ap. ſignificaſti. 2. de homicidio
um aliis, & dicemus latè infra ſub
ap. de Conſcientia dubia. Ergo for-
nanda eſt conſcientia non licere, non
autem licere, cum dicto dubio circa
antecedens, dicendo videlicet, non
icere rem petere vel retinere aut
contractum celebrare, quia formida-
nus fortè rem alienam eſſe vel con-
ractum vſurarium. 2. quia, ille qui
ormidat, periculum agnoſcere vide-
ur & ſic operari contra cõſcientiam
dictantem illud ibi eſſe vel proprius

loquendo, vt rectè ſe gerat, debet formare conſcientiam, ibi eſſe periculum & per conſequens peccare ſi agat, nam qui amat periculum peribit in illo & eo ipſo, quod actio committitur regulanda opinioni, committitur regulæ dubiæ, vt ait Azor. d. quæſt. 2. ergo, &c. 3. quia quamuis formido differat à vero dubio, tamen aliquid dubij continet, vt proximè diximus, quod ſufficere videtur, cùm in iis, quæ ad ſalutem pertinent, debeamus eligere certum, in quo nullum peccatum eſſe poteſt & demittere incertum, in quo peccatum fortè dari poterit. Ex illo Diui Auguſt. homil. 41. relatum in cap. ſi quis autem. in fin. de pœnit. d. 7. ibi. *Tene certum & dimitte incertum*, item ex regul. text. in d. cap. Iuuenis. de ſponſal. ibi: *quia in iis, quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus tenere debemus*; vbi *certius*, *pro tutiori* explicandum eſt, nam in dubiis, nihil eſt certius: ergo, &c. Et in effectu hanc partem defendunt Caiet. in opuſc. tom. 1. tract. vlt. reſponſ. 13.

m. vlt. & in ſum. verbo opinionis
ıs ad fin. Armain. tract. 1. moral.
p. 14. Armilla. verbo opinio. n. 2.
auarr. in d. cap. Si quis autem. n.
. & ſequenti. de pœnit. diſt. 7.
ıos & alios citat etiam, licet non
quatur eorum dicta ponderando.
zor. moral. d. cap. 16. quæſt. 2.
rriaga 1. 2. tom. 3. diſp. 23. n. 15.
ontendens tamen certum eſſe ſe non
eccare illum, qui cum probabili
peratur; quos tamen Auctores non
benter refero, nam licet agant de ve-
a opinione, quatenus eſt aſſenſus
roprij intellectus operantis, tamen
oquuntur, non de conſcientia for-
nanda cum opinione circa antece-
lens, ſed de conſcientia iam formata,
qui termini ſunt maximè diuerſi, vt
upra admonuimus.

19. *Verum in ſenſu* propoſito, id eſt
ad conſcientiam rectè formandam
quod eſt, de quo agimus & agi debet
in materia, de qua tractamus, con-
trarium eſt tenendum, ſcilicet, cum
opinione, ſiue, quod idem eſt, proba-
bilitate antecedentis, veluti rem

meam eſſe vel contractum non eſſe vſurarium, rectè & iuſtè formari conſcientiam certam & firmam & ſine formidine, licere rem retinere vel etiam petere & ſimiliter contractum celebrare. Ratio eſt quia cùm in rebus humanis raro ſimus in certitudine & frequentiſſimè in opinione, ſcilicet cum formidine, vt fortè res aliter ſe habeat, non enim facilè remouemus omnem prorſus dubitandi rationem, etiam quando alicui parti aſſentitur, rigoroſum eſſet, ſi non ſufficeret aſſenſus & requireretur omnino firmus, & ſine formidine, & propter illam retraheremur ab operando. Deus autem piiſſimus, non graue, ſed leue iugum impoſuit & omnia ſuauiter diſpoſuit, vt ad propoſitum aiunt Sayro in Claui reg. d. lib. 1. cap. 5. num. 8. Bonac. d. 2. tomo. diſp. 2. quæſt. 4. puncto 8. num. 5. & puncto 9. num. 4. Ego illam addo rationem, nam cùm opinio, ſiue probabilitas ſit proxima certitudini, ita vt, quaſi moralis certitudo dici poſſit, vt eam dicit Suar. de leg. 2. tomo.

tract.

tract. 6. lib. 4. cap. 5. num. 5. Sicut quando ſumus in certitudine circa antecedens; veluti rem eſſe noſtram aut contractum non eſſe vſurarium, ſine hæſitatione deducimus dictamen, id eſt conſcientiam licere rem retinere vel etiam petere & ſimiliter contractum celebrare; ita etiam quando ſumus in quaſi certitudine, id eſt probabilitate, ſiue opinione circa antecedens iuſtè formamus conſcientiam dictantem illa licere. Facit, nam per contrarium, ſi ſimus in opinione, ſiue probabilitate rem eſſe alienam vel contractum eſſe vſurarium, debemus formare conſcientiam non licere rem petere aut retinere, neque contractum illum celebrare, quod deducitur ex text. in cap. Inquiſitionis. verſ. In ſecundo. & verſ. Verum. de ſententia excommunicat. & in particularibus exemplis agnoſcunt; Sanchez d. lib. 1. in Decalog. cap. 10. n. 36. verſ. Quippe, & num. 38. in fin. & de matrim. lib. 2. diſput. 44. n. 1. vbi apertè dicit opinantem rem eſſe alienam, non poſſe eam retinere, li-

cet bonæ fidei ſit poſſeſſor, & num. 2. de opinante nullum eſſe matrimonium. Suar. tom. 4. de pœnit. diſput. 22. ſect. 9. n. 5. & de iudicante probabiliter vouiſſe; de relig. tom. 2. lib. 4. cap. 5. num. 5. Et patet, nam ſi per viam regulæ, dato dubio circa antecedens, debemus formare conſcientiam pro parte tutiori, ſcilicet non licere, multò magis illam eodem modo formare debemus, quando aſſendimur licet non firmiter rem eſſe alienam, &c. quo argumento vtitur Sanchez d. num. 2. Quo ſuppoſito, vt æqualitas ſeruetur dicendũ eſt, quod ſicut cum opinione, ſiue probabilitate circa antecedens, ſcilicet rem eſſe alienam, tenemur deducere dictamen, ſiue conſcientiam non licere retinere, ſic per contrarium cum opinione, ſiue probabilitate non eſſe alienam poſſumus rectè deducere dictamen, id eſt formare conſcientiam licere retinere vel etiam petere argumento text. in l. ſi contra tabulas 35. ff. de vulgari, & in cap. Secundum. 8. quæſt. 1. & eorum quæ Goncal. de

menſ. §. 5. proæmiali. n.116. verſ. Sicut. Et in effectu, licet non tot fundamentis adductis, ſequuntur hanc partem. Vaſq. 1. 2. quæſt. 19. diſp. 62. cap. 5. num. 26. & alij, quos citat, & ſequitur Sanch. d. cap. 9. n. 18. Loquendo de ſcrupulo, quod idem eſt, ac formido. Caſtro Palao cum aliis tract. 1. diſput. 4. puncto 1. num. 3. verſ. Ex hac. Bonac. d. puncto 8. num. 5. vbi probat formidinem, non eſſe ſufficientem ad impediendam rectam operationem; neque euidentem, ſed moralem requiri certitudinem, quod tamen non probo, dum ſupponunt illam formidinem eſſe in ipſa conſcientia, quo caſu non dubito peccatum veniale eſſe cum illa operari, cum conſcientia, indicta ſpecie dictet aliquatenus peccatum ibi eſſe, vt dixi cap. præcedenti n. 31. & dicam adhuc inferius. Idem quoque ſentiunt in ratione in qua ſe fundant, (licet immerito duarum contrariarum partium probabilitatem ſupponant) Sanch. cum 17. Doctoribus d. cap. 9. num. 14. Filliuc. d. tract.

21. cap. 4. à num. 126. Bonacin. tomo 2. diſput. 2. d. quæſt. 4. puncto 9. num. 4. Garcia de benefic. p. 11. cap. 5. num. 361. P. Suar. de relig. 2. tom. tract. 6. lib. 4. cap. 5. n. 5. & cæteri recentiores quos longum eſſet citare, docentes licere ſequi opinionem, ſiue potius ſententiam probabilem contra probabiliorem etiam propriam, ſcilicet nonobſtante formidine, quam ex contraria in ſe tutiori concipitur. Quod tamen principale dictum non videamur probare, cùm illud improbare noſtrum principale ſit intentum.

20. Neque obſtant fundamenta pro contraria parte adducta. Non primum, quia reſpondetur formidinem in opinione contentam maximè differre à dubio, nam hoc excludit aſſenſum, quod formido non facit, vt diximus ſupra num. 19. Vnde regulæ pro dubio in iure vel à Doctoribus aſſignatæ, non procedunt in formidine, quæ ſolum operatur, vt aſſenſus non ſit firmus & certus. Vnde licet dubium dici poſſit, tamen eſt dubium

tenue & paruum, non proprium & verum, aut ſufficiens ad impediendum aſſenſum aut iudicium, & ſic intelligitur definitio opinionis aſſignata à gloſſa verbo, *opiniones*, in dicto §. Reſponſa. Inſtit. de iur. nat. gent. &c. Quod patet, nam ſi in opinione Iuriſconſulti daretur vel conſideraretur verum & proprium dubium, quod ſuſpendit intellectum & totalem reſolutionem cauſat, neque ille reſponderet, iudicaret aut decideret, neque illius opinio pro lege haberetur, cùm tamen opiniones prudentum pro legibus ibi numerentur. Quod etiam eſt argumentum non contemnendum pro parte contraria, ſi quidem non obſtet reſponſo Iuriſconſulti, vt pro lege habeatur, quod ſit datum cum formidine & non omnino ſe firmando. Non etiam obſtat 2. nam quando agitur de conſcientia formanda, adhuc non conſideratur periculum peccati, hoc enim eſt miniſterium conſcientiæ formatæ, ſed formido tantùm eſt circa antecedens, v.g. quod forte res mea non ſit, quam-

uis aſſentiar non firmiter meam eſſe, quod adhuc nihil habet cum peccato. Dices ex antecedenti probabili tantùm & formidoloſo, non poſſe deduci conſequens firmum & certum & ſine formidine iuxta ſupradicta cap. 1. de conſcientia in genere. num. 41. & 42. & latiùs dicenda infra ſub cap. de conſcientia dubia. n. 12. quā difficultatem agnouit Arriaga 1.2. tom. 3. diſp. 23. num. 19. Non tamen aſſignauit rationem deducendi conſequens certum ex iudicio antecedenti probabili tantùm. At reſpondetur, vt dictis locis, quod ſtante antecedenti non ſolum probabili, ſed etiam verè dubio, poteſt ex iuſta cauſa formari conſcientia certa, quia iam non quæritur de veritate antecedentis, ſed an ſtante circa illud dubio, ſiue formidine liceat actio illa, quæ ab eo pendet & illi conformari debet, quando certo & firmiter reſoluitur. Quod magis procedit, quando probabiliter reſoluitur antecedens, nam tunc ab eo deducitur conſequens, id eſt conſcientia, ac quando certo & firmiter

Digitized by Google

reſoluitur ex rationibus factis num. præcedenti, ſi adſit iuſta cauſa, de qua ſupra n. 19. declarando vt num. ſequ. & 26. cum ſequentibus. Deinde reſpondetur, quod ſi periculum conſideraretur circa veritatem antecedentis, hoc eſſet valde remotum, ac per conſequens non attendendum, neque vt minimum, curandum, ex regul. text. in l. ſcio. 4. ff. de integr. reſtit. Ad 3. reſpondetur ex dictis, & iura allegata procedere vel in vero dubio vel quando formido tranſit in ipſam conſcientiam, in quo caſu dubito aliquale peccatum pro modo admonitionis conſcientiæ dari in opere, ſecundum dicta cap. præcedenti n. 31. hic addendo illud ſenſiſſe Caiet. Almayn. Armil. & cæteros citatos ſupra num. 18. Item Layman. Theolog. moral. lib. 1. cap. 5. §. 1. n. 3. Ad huiuſmodi ſpecies non pertinet ad doctrinam & quæſtionem de conſcientia, vt aiunt probabili, nam hæc habent locum, quando, vt ſæpe dictum eſt, agitur de conſcientia formanda & formido verſatur circa an-

tecedens, antequam formetur conſcientia & quæritur qualiter formanda, quando dicta formido adeſt circa antecedens, à quo, vt dictum eſt pendet peccatum & modus formandæ conſcientiæ circa illud.

21. *Non omittam autem* hic aduertere, ne per dicenda inferius, ſupradictis contrariari videamur. Quod ſcilicet omnia ſupradicta & reſoluta de ſpernenda formidine circa antecedens & formanda conſcientia certa & firma licere, non obſtante dicta formidine, tunc procedunt quando aliàs, ſi illam attenderemus, ac per conſequens teneremur formare conſcientiam, non licere conſiderabile onus ſubiremus, veluti ieiunare, reſtituere, contractum celebrandum omittere, legatum non petere, &c. Non autem procedunt quando ſequendo tutius, nullum fere onus vel conſiderabile aliquod, etiam libertatis detrimentum nobis obueniret. Nam, quod ſupra reſoluimus non procedit ſolum ex rationibus ibi factis, ſed ſimul, quia ratio petit, vt

Digitized by Google

tunc non attendatur formido circa antecedens, quando, ſi attendatur, ac per conſequens formetur conſcientia non licere, conſiderabile onus ſequitur, tunc enim rectè ex Dei benignitate præſumimus ad id nos non obligare. Quando autem nullum ferè ſequitur onus, nec conſiderabilis moleſtia in ſequendo tutius, ceſſat dicta ratio, ac per conſequens ceſſant ſupra reſoluta & ſequendum tutius. Idem eſt, ſi in opere illo non conſideretur intereſſe noſtrum. Vel illud agamus virtute legis, aut contractus modo dicendo infra num. 28. 138. & 139. In quibus terminis & aliis infra pro limitationibus adducendis, locum non habent ſupra reſoluta ex ratione proximè facta, quæ ſi ceſſat, non ſufficiunt ſupra conſiderata, vt formido ſpernatur, nam illa per ſe id non conuincunt, niſi addita ratione proximè expenſa, aliàs ſi vniuerſaliter & ſine ſpeciali & iuſta cauſa eſſet ſpernenda, in vanum eſſet tradita & obſeruata differentia inter certitudinem & opinionem ſiue probabilitatem, quæ hic

Digitized by Google

libuit tangere, quamuis inferiùs latiùs & ſpecificè probandum ſit, limitando prædictam principalem doctrinam.

22. *Præſtat ergo* nobis prædicta vtiliſſima doctrina, vt ſpreta formidine, quam paſſim habemus circa veritatem antecedentis, iuſtè & rectè formemus conſcientiam licere. Virtute igitur prædictæ doctrinæ formo conſcientiam non peccare hodie non ieiunando, quia opinor non vouiſſe, licet de hoc formido remaneat. Item formo conſcientiam poſſe miſſam celebrare, quia licet formidem an iam ſonuerit duodecima noctis hora, quando nocte præterita potum ſumpſi, tamen in contrarium eſt aſſenſus, id eſt mea opinio, de quibus & ſimilibus exemplis Sanch. d. cap. 10. n. 36. & de matrim. lib. 2. diſput. 41. num. 40. Suar. de religione. 2. tom. tract. 6. lib. 4. cap. 5. num. 5. & paſſim vtor prædicta ſalubri doctrina, tam in rebus facti, quàm Iuris, in quibus inuenior in opinione, id eſt cum formidine circa antecedens, nam

nihilominus, cum illi parti aſſentiar, rectè deduco dictamen & quod idem eſt, formo conſcientiam licere, illud quod aliàs ex ſe tutum non eſt, neque tutius ſequi cogor.

23. Neque minus, ſuperius tradita doctrina vtetur indoctus, quàm doctus, nam in primis in iis, quæ pendent ex facto, non minus iuſtè dicetur conſtitutus in opinione indoctus, quàm doctus. In iis verò, quæ pendent ex Iure, ſi ipſe inuincibiliter crediderit ſe ſufficientem, vt rectè conſtituatur in opinione, ſcilicet ſi perſuadeat ſibi rectè aſſentiri, quod contractus non eſt vſurarius vel quod teſtamentum validum eſt, rectè deducet dictamen non peccare celebrando contractum vel legatum petendo. Neque oberit, quod fortè erret, hoc enim etiam docto contingere poteſt, at ſi inuincibilis ſit error, quis dubitat excuſari? At hoc pertinet ad conſcientiam, vt dicunt, erroneam, nos autem hîc non quærimus, vtrum aliquis debuerit exiſtimare ſe ſufficientem ad iudicandum de quæſtionibus

Iuris vel an rectè, an perperam ſit conſtitutus in opinione; ſed ſupponendo conſtitutum in opinione, aſſerimus rectè & vtiliter vti hac doctrina facili & plana & quæ, vt ſuo loco dicemus, apprime inſeruit ad tollendos ſcrupulos, quem nihil aliud eſſe existimamus, niſi formido illa, quæ includitur in opinione & cum ſperni deberet, ducitur in conſcientiam, quod fieri non debuerat, iuxta præſentem doctrinam. De qua re ſub proprio cap. de conſcientia ſcrupuloſa dicemus.

24. *Hanc autem* doctrinam, non ſolum probabilem, ſiue, vt aiunt, probabiliorem, ſed certam credo, aliàs inciderem in illud inconueniens, in quod inciderunt Doctores de hac re in ſua ſuppoſitione agentes (ſcilicet ſupponendo poſſe dari duas partes, ſiue, vt illi dicunt opiniones, ſiue ſententias Doctorum ambas probabiles & alteram probabiliorem) nam non certam, ſed probabiliorem dixerunt doctrinam tenentem poſſe ſequi probabilem, minus tutam, relicta pro-

Digitized by Google

babiliori & tutiori, ita cum aliis Sanchez d. cap. 9. num. 14. 17. & 18. Caſtro Palao d. diſput. 2. puncto 2. num. 2. Nam ſi in quæſtionem deducitur, an liceat operari cum opinione & contra formidinem, qualiter apta poteſt eſſe reſponſio probabile, ſiue probabilius eſſe licere, cùm ſic adhuc hæc ipſa reſolutio cum formidine ſit & tantum probabilis, & per conſequens circa eam maneat illamet quæſtio, quæ reſolui & terminari debuerat per ipſam reſponſionem? Non aliter, ac ſi mihi quærenti, an prudenter agam ingrediendo viam, quam formido, vt fortè non ſit tuta; Tu reſpondeas etiam cum formidine, prudenter agere, nam ſic nō minus de ſequenda tua reſponſione dubitabo, quam de principali quæſtione. Debet ergo in articulo de quo agimus, certa & firma dari reſolutio aliàs nihil agitur, quæ dicta ſunt, ſentit Arriaga 1. .. diſp. 23. num. 18. cum tribus ſequentibus. Non tamen probamus raiones quibus mouetur: immo illius undamenta impugnabimus numero

134. & 180. ſuppoſitionem.

25. *Ecce Lector* ſapientiſſime, vera & propria doctrina de conſcientia probabili. Ecce qualiter vera opinio ſit ſtatus proprij intellectus, non autem Doctorum ſententia, ad quam ſcribentes totam rem iſtam transferunt; ac inde tota materia confunditur, dicendum omittitur; non dicendum latiſſimè tractatur & ferè inutiliter controuertitur. Antequam vero ad hæc impugnanda veniamus, vtiliter declarabimus & limitabimus doctrinam ſuperiùs traditam.

26. *Primo igitur* eam limitandam & declarandam putarem, vt iam ſupra num. 19. & 20. punxi, vt non procederet, quando ex illa actione vel omiſſione, de qua agitur, nullum vel minimum incommodum reſultaret operanti. Vt ecce, opinior vel probabiliter puto iam recitaſſe ſalutationem Angelicam, ad quam recitandam quotidie voto teneor: at reſtat formido, quæ in opinione includitur; vel prædicto modo formido, vt fortè ſim excommunicatus. In prędictis er-

go & ſimilibus terminis temere & imprudenter, vt ſine iuſta cauſa, videor omittere recitationem ſalutationis Angelicæ vel me immiſcere ſacris, colloquij cauſa. Nam illa agere vel omittere nullum mihi incommodum afferunt, nullum onus inducunt vel producunt. Cur ergo illud periculum etiam remotum, quod minatur formido non vitem? Num non ſufficit interpretari Dei benignitatem noluiſſe graue iugum imponere, neque nos obligare ad ea quæ incommodum afferunt propter dictam formidinem? quanam ergo ratione ducti illam interpretationem, ſine cauſa extendemus ad terminos, in quibus ex ſequendo tutiori, nullum nobis damnum vel etiam libertatis priuatio conſiderabilis aut incommodum reſultat? Ego ſanè in dictis terminis crederem formandam conſcientiam, illa agere vel omittere non licere, ceſſat enim ratio, ac per conſequens doctrina tradita ex vulgata regula text. in l. Adigere. §. quamuis. ff. de iur. patron. cum ſimilibus. Pro qua li-

mitatione facit ſententia Salaſ. 1. 2. quæſt. 21. tract. 8. diſp. vn. ſect. 17. n. 6. agens de dubio hæc operáte ſentit & de probabilitate ſect. 5. n. 60. in ſolut. ad 4. vbi ait, quod licet pœnitens opinetur probabilius peccatum non eſſe mortale vel iam eſſe in confeſſione alia detectum, tenetur tamen illud fateri, ſi poteſt abſque proprio incommodo, quod dictum optimè comprobatur ex iis, quæ dicimus ad quæ non aduertens Sanch. qui illa non conſiderat, quia neque Salaſ. illis ſuum dictum probat, contrarium reſoluit, impugnans d. lib. 1. cap. 10. n. 70. Adde dicenda infra hoc cap. num. 139. & ſequentibus.

27. *Secundo* limitandam & declarandam putarem doctrinam principalem ſupra traditam, vt non procedat, quando ex actione, quam gerere volumus nobis quidem aliquod, ſed leue, proximo vero grauiſſimum ſequeretur damnum: veluti venator formidat, vt fortè ſit homo animal illud quod feram probabiliter credit, ſanè non videtur ſibi licere nec rectè

Digitized by Google

rmare conſcientiam dictantem, ſi-
peccato in illud animal ſagittam
l ignitum globolum proiicere, eſt
im grauiſſimum & vltimum dam-
um, quod proximo infertur, ſi ho-
o ſit & leue, quod ſequitur venato-
, ſi illam feram non capiat. Vnde
n videtur iuſtum, quod in iis ter-
inis formido ſpernatur, ex dictis
oximè.

. *Tertio, eandem* principalem do-
inam limitandam cenſeo, vt non
ocedat, neque liceat operari con-
formidinem circa antecedens vel,
od idem eſt, non formandam eſſe
nſcientiam licere minus tutum eli-
re cum opinione, ſiue probabilitate
ca antecedés, quando lex vel con-
ntio publica, ſiue priuata petit ex-
eſsè vel tacitè, quod actus ille fiat
modo & forma, qua firmiſſimus
validiſſimus ſit, & parti vtilior, ac
urior. Exempla ſint in tabellione,
i cum poſſit & debeat clauſulam
ponere, quia ius partis firmum ſit,
im apponit, quæ adeo ſecura non
vel fortè non erit. Similiter in eo,

Digitized by Google

qui adminiſtrat ſacramentum non obſeruata illa forma, quæ tutior eſt ad eius validitatem. Item in medico, qui non applicat tutiorem medicinam & quibuſcumque ſimilibus, qui etiam ſi opinentur, ſiue probabiliter exiſtiment, clauſulam ſcripturæ formam ſeruatam in adminiſtratione ſacramenti, medicinam &c. validum efficere contractum, ſiue ſacramentum, ſiue medicinam proficuam eſſe, peccabunt, &, vt noſtram methodum ſequamur, non iuſtè aut rectè formabunt conſcientiam ſibi licere, cum formident, vt fortè illa ſint inualida, aut non proficua & habeant viam certam & ſeueram, in qua, ſi ſequatur, nullum eſt inualiditas, ſiue nocumenti periculum. Ratio limitationis eſt ea, nam quis dubitet legem principem vel priuatum, etiam ſi non exprimat, velle, vt negotium, quod gerendum alicui committit, eo modo fiat, quo ſecurum & vtile omnino euadat & nullo modo admittere, vt etiam cum minima fiat formidine inualiditatis, quando via prorſus ſecu-

& certa apparet? Qui ergo partem
inus tutam cum formidine eligit,
gem & conuentionem infringit &
·oximo iniuriam irrogat. Probant
ι effectu dictam limitationem om-
:s illi, qui tenent in conficiendis &
lminiſtrandis ſacramentis, tutius
nnino eſſe eligendum, quos copio-
: citat Sayr. in Claui regia. lib. 1.
ıp. 7. num. 1. eos non tranſcribo, &
oſt eum Sanch. d. lib. 1. cap. 9. n.
ı. Suar. tom. 4. 3. p. diſp. 26. ſect.
. num. 5. & cum aliis Caſtro Palao
. tract. 1. diſput. 2. puncto 5. n. 3.
,minentiſſimus Cardinalis de Lugo
.. de fide diſp. 5. ſect. 1. n. 16. ad fin.
c quamuis Sanch. vbi ſupra n. 33.
ayro num. 4. Caſtro Palao num. 5.
ırobabiliorem ſententiam putet lice-
e minus tutam partem cum probabi-
ıtate eligere in conficiendis Sacra-
nentis, tamen omnes fatentur, quod
ι ſequatur proximi detrimentum, tu-
ius omnino eſt ſequendum. Item, vt
it Sanch. d. num. 33. ſi fiat contra
ommunem Eccleſiæ vſum, quia talis
·ſus habet vim præcepti. Nobis au-

tem ad propoſitum ſufficit, quod in illis terminis ſit ſequendum tutius & probat limitationem noſtram, ſicut ſimiliter probat eam, illud, quod de medico reſoluunt Azor. moral. tom. 1. 2. Inſtit. moral. cap. 17. quæſt. 11. Sanch. d. cap. 9. n. 38. Caſtro Palao d. diſput. 2. puncto 9. num. 1. reſoluentes peccare ſi vtatur medicamento, etiam probabiliter bono & apto, relicto illo, quod ſine quæſtione bonum & ſecurum eſt. Hic aduerto, quod quamuis Vaſq. vbi ſupra diſp. 64. cap. 2. num. 6. rationem ſupra factam probare videatur in Iudice, tamen licet ille debeat circa ius partium, quod probabilius eſt eligere, vt docent Sanch. d. cap. 9. n. 47. poſt Vaſq. & alios, quos citat, hanc reſolutionem non adduco in confirmationē noſtræ limitationis, quia in illis terminis nulla pars tutior eſt, vt notaui ſupra hoc cap. n. 16. Vnde Iudex ſequitur certius vel probabilius ex communibus iuris regulis, ſecundum quas iudex tenetur iuſtum eligere & iuſtitiam miniſtrare, quæ eſſe non po-

Digitized by Google

t, niſi in meliori cauſa. Agnoſco
ɔctores ſupra citatos, loqui de pro-
biliori opinione, ſuam ſuppoſitio-
m ſequentes, ſcilicet dari duas opi-
ones & ambas probabiles, quod li-
t diuerſum ſit à noſtra ſuppoſitio-
, ſcilicet, quod non datur pro con-
ria parte alia probabilitas, ſed
ntùm pro iſta & ſic aſſenſus cum
midine, tamen ratio, in qua fun-
nt illas aſſertiones in ſuo ſenſu,
m probant in noſtro. Adde om-
no dicenda infra hoc cap. n. 139.
ſequentibus, vbi hic dicta notabi-
er ampliantur & declarantur.

. *Quarto non immerito* limitanda
oque videtur principalis doctrina,
non procedat, niſi prius adhibea-
r competens diligentia ad vincen-
m formidinem. Scio hoc quoque
ctum nouum & extraneum videri
ſſe, nam Doctores hoc requiſitum
o dubio tantùm petere ſolent, dubio
im ſtante, prius eſt, vt fiat diligen-
ad illud vincendum in caſibus, in
ibus facta diligentia, & dubio per-
anente poteſt minus tutum eligi,

quod requiſitum vltra alios petit Sanch. d. lib. 1. cap. 10. n. 7. verſ. Prius; & de matrim. lib. 2. diſp. 41. num. 12. & 46. At ſtante opinione, ſiue probabilitate, quamuis hæc formidinem includat, nullibi requiſita videtur diligentia ad formidinem vincendam. Nihilominus magis puto præmittendam eſſe diligentiam ad vincendam formidinem in opinione incluſam. Præcipuè, ſi non ſit valdè oneroſa, cur enim ille, qui putat probabiliter, hodie non eſſe ieiunandum vel non eſſe feſtiuum diem vel conſanguinitatis impedimentum, intra gradum prohibitum, non dari inter eum & illam, quam ducere intendit, ieiunium vel miſſam omittet, vel matrimonium contrahet cum illa formidine, quæ in opinione includitur, ſi poteſt non difficile conſequi rei veritatem & certitudinem? Neque dicas per hoc æquiparari opinantem dubitanti, cùm inter eos ſit maxima diſparitas. Nam reſpondetur non æquiparari, nam permanente formidine, etiam ſine ſpecialis cauſæ vel rationis

Digitized by Google

teruentu, licebit operari ſecundum
inus tutam partem : non ita dubio
rmanente regulariter. Quæ dicta
nt, videtur ſentire Layman. Theo-
g. moral. lib.1. tract.1. cap.4. verſ.
ota, ibi *Tunc errorem vincibilem, at-
ue culpabilem eſſe, cùm intellectus ali-
ud agendum vel omittendum iudicat,
n ſine dubio, ſiue formidine oppoſiti.*
ergo vincibilis eſt error, qui fortè
probabilitate apparenti contine-
r, quis dubitat diligentiam ad illum
llendum adhiberi debere? Neque
cas errorem non eſſe, nam etiam,
ando quis verè errat, non putat
e errorem, nec de hoc illi conſtat,
ando diligentiam adhibet, vt agno-
at, an ſit error, immo, vt de hoc poſ-
conſtare illam adhibet, vincibili-
s ergo nihil aliud videtur, niſi for-
ido dictans. Quamuis hoc putes
rtum, tamen fortè falſum eſt : ergo
nte formidine & propter formidi-
m, videtur vincibilis error pecca-
m producere, niſi adhibeatur dili-
ntia ad illum tollendum, ex quo, vt
cemus ſub cap. de conſcientia er-

ronea. num. 6. 7. & 8. tota doctrina de conſcientia erronea vincibili, potius pertinere videtur ad doctrinam de conſcientia probabili de qua tractamus; ac per conſequens, ſicut vincibilitas erroris, ſic formido non adhibita diligentia ad illam vincendam peccatum producet. Illud hic etiam non omittendo, licet contra communem ſenſum videatur, quod ſcilicet diligentia adhibenda ad vincendam formidinem, ſiue etiam dubium non eſt dirigenda ad hoc, vt dubium ceſſet, v. g. rem eſſe meam, non eſſe ieiunandum, teſtamentum validum fuiſſe, &c. de quibus antea dubitabatur; ſed diligendam eſſe, vt appareat rem non eſſe meam, ieiunandum eſſe, &c. & ea quęrenda quæ poſſint hæc oſtendere, non illa quæ contrarium probare poſſunt. Moueor, nam tunc videor excuſari, quando contra meam libertatem diligentiam adhibui, quærendo illa, quæ poſſent oſtendere, quod falſum erat illud, quod verum opinor & fauorabile mihi vel illud, de quo dubito, quærendo illa, quæ poſſunt oſtendere

tendere rem ſe habere eo modo, quo
ıpedirer operari. Nam ſi quæram,
ıî poſſum oſtendere illud ſe habere
› modo, quo vellem, vt ſe haberet,
ıaliter inueniam contrarium? vel
l id cur cogerer? Puto ergo, modo
ædicto & ad effectum proximè no-
tum diligentiam adhibendam. Ad-
: dicenda infra hoc cap. n. 144.

§. I.

tenditur immeritò Auctores ea, quæ pertinent ad veram opinionem, quatenus eſt ſtatus proprij intellectus & ad operandum neceſſaria, tranſtuliſſe ad ſententias Doctorum, omittentes propriam & principálem doctrinam in hoc articulo tradendam & ſupra traditam.

ı. V*Idimus quid verè* & propriè ſit opinio, cum qua operari ·ct, id eſt formando conſcientiam rtam & firmam licere, non obſtan- formidine, quæ in opinione inclu- tur. Vnde iam conſtat qualiter nil commune habeat cum opinioni-

bus, ſiue potius ſententiis Doctorum, immo ſit ſtatus proprij intellectus operantis, in quo paſſim inuenimur circa quæſtiones facti in quibus, nec dantur, nec dari poſſunt Doctorum ſententiæ, ſiue etiam iuris, in quibus eas non inuenimus vel nos non mouent vel ſumus in regione, vbi libri non ſunt in vſu vel illos præ manibus non habemus. Hinc palam fit, quàm immeritò ſcribentes tractationem iſtam vtilem, ac neceſſariam omiſerint, ac totos ſe tranſtulerint ad aliam diuerſam quæſtionem & doctrinam, ſcilicet an liceat ſequi opinionem, id eſt ſententiam Doctorum probabilem contra oppoſitam probabiliorem & etiam propriam & tutiorem. Supponentes duas opiniones, ſiue ſententias oppoſitas poſſe ambas eſſe probabiles apud eundem intellectum, & nihil tractantes aut controuertentes de caſu, quo pars vna tantùm probabilis eſt vel quaſi dari non poſſit vel quaſi indubitatus ſit; cùm tamen nobis iſte tantùm caſus ſit dabilis, & dubitabilis, vt ſupra

hoc cap. latè tractauimus.

1. *Quamuis autem* Doctorum ſententiæ lato modo opiniones ſoleant appellari, ſtrictè & propriè tales non ſunt, niſi quando ipſi Doctores eas cum formidine proferunt, veluti dicendo, opinor, magis puto, probabile mihi eſt & ſimiliter. Quando verò ſuas ſententias dicunt veras aut contrarias falſas, ipſi extra terminos opinionis ſunt & illæ reſolutiones dicuntur ſententiæ, non autem opiniones ex doctrina gloſſæ, iam ſupra citatæ & expenſæ verbo *opiniones* & verbo *ſententiæ* in d. §. Reſponſa prudentum, Inſtit. de iur. nat. gent. &c. cum dictis ſupra num. 5. & benè ſentit Valentia 1. 2. diſput. 2. quæſt. 12. puncto 5. quæſt. 1. quem laudat Sanchez d. cap. 9. num. 6. & conſtat, quia cùm illi parti aſſentiantur ſine formidine aut dubitatione, illi reſolutione firmæ & certæ, competere non poteſt opinionis definitio, quæ eſt, *Aſſenſus non firmus, ſed cum formidine*, vel ſecundum dictam gloſſ. verb. opiniones. *Reſponſio cum dubi-*

Digitized by Google

tatione, & in effectu ſenſit Azor. moral. lib. 2. cap. 9. in princip. ibi. *Porrò opinionem in hoc opere accipio latè, vt eſt eadem, quod ſententia alicuius viri catholici.* Sanch. d. cap. 9. num. 16. b. *Iuxta probabilem aliorum ſententiam.* Verùm licet Doctores ſint in vera opinione circa aliquem iuris articulum, adhuc opinio illa non eſt opinio, cum qua operari licet, non enim adhuc eſt noſtra opinio, quæ omnino requiritur ad licitam operationem noſtram, quod obiter fatentur Doctores. Vaſq. d. diſput. 62. num. 17. Sanch. de matrim. lib. 2. diſput. 41. num. 4. ibi. Appellatur autem *ſcientia, opinio & dubium in particulari reſpectu operantis.* Ergo opinio Doctoris non eſt opinio alterius operantis. Ioan. Sanch. ſelect. diſput. 43. num. 48. ibi. *ob rationes ſibi probabiles.* Sayro in Claui reg. lib. 1. cap. 6. num. 2. Azor. moral. d. lib. 2. cap. 17. quæſt. 5. & quæſt. 12. ibi. *Quod locum non habet, quando probabiliter hoc vel illud ſentimus.* Vbi in noſtro ſentiendi modo pro-

Digitized by Google

abilitatem conſiſtere agnoſcit. Sanhez in Decalog. lib. 1. d. cap. 9. n. 2. Bonacin. d. 2. tom. diſp. 2. quæſt. .. puncto 9. num. 5. Caſtro Palao .. tract. 1. diſput. 2. puncto 2. num. .. vbi ait & optimè, non ſufficere d operandum, quod Doctores aſſeant, veluti me non eſſe obligatum eſtituere, ſed requiri, quod ipſe ſeniam & iudicem me non eſſe obligaum, quod adhuc infra latiùs probaitur. Concludimus igitur, neque uctorum ſententias eſſe veras opiiones, etiam ipſorũ, neque modo vllo ſſe opinionem illam, cum qua opeari licet, ad hoc enim requiritur, uod ſit aſſenſus proprius operantis c quod ipſe, vel propter fundamen, vel propter auctoritatem iudicet ltem probabiliter, id eſt cum formiine illud ita ſe habere; & tunc priium quando operans id iudicat, non tea incipit eſſe in vera opinione, uicquid iam pro illa parte eſſent ures, ſiue omnes Doctores. Quæ cta ſunt agnouit Arriaga 1. 2. tom. diſp. 24. num. 1. dicens ibi citatos

Digitized by Google

vſurpaſſe opinionem, quam certam dicunt pro Sententia, non pro iudicio probabili, quod implicat eſſe certum: opinio autem quatenus eſt ſententia alicuius illi certa eſſe poteſt.

32. Quod autem opinio, ſiue probabilitas non reducatur ad ſententias, ſiue opiniones Doctorum ex eo conſtat, quia datur in rebus & quæſtionibus facti, vbi nulla datur, neque dari poteſt ſententia Doctorum, quod agnoſcunt Sanch. d. cap. 10. n. 36. verſ. Quippe. vbi probabilitatem conſiderat circa factum, an nouerit, & num. 9. ad fin. ibi. *Adhuc reputet probabiliter rem eſſe ſuam*; & de matrim. lib. 2. diſput. 44. num. 4. vbi conſiderat probabilitatem circa impedimentum, quod eſt factum & nemo inficiatur, immo paſſim reſoluunt Doctores cum probabilitate, circa factum operari poſſe caſus ſpeciales reſoluentes & generaliter docet Layman. Theolog. moral. lib. 1. tract. 1. cap. 5. num. fin. dicens quod ſicut dubium, ſic opinio alia eſt de iure, alia de facto. Caſtro Palao d. diſp. 2. pun-

Digitized by Google

ꝭo10. num. 1. & generaliter Sanch.
l. cap. 9. num. 12. docens vtramque
partem fieri probabilem poſſe per in-
trinſeca principia.

3. Dices Doctorum ſententias, ſi-
ue opiniones probabiles, vt aiunt,
eſſe legitimam cauſam, vt nos quo-
que deueniamus in opinionem eius,
quod aſſerunt & in hoc ſenſu dici,
licere illas ſequi. At multipliciter
reſpondetur. 1. Hoc non probare
totam doctrinam materiæ de con-
ſciētia probabili, pertinere ad caſum,
quo inuenitur ſententia Doctorum
aliquid aſſerentium, cùm principa-
lius ſit tradenda pro caſibus & termi-
nis frequentiſſimis, in quibus vel non
inueniuntur opiniones Doctorum vel
quæſtio eſt circa factum & circa hæc
sumus in probabilitate. 2. Reſpon-
detur diuerſum eſſe aſſignare cauſas
iuſtas deueniendi in opinionem, quæ
multæ ſunt & diuerſæ, ab eo, ſcilicet,
cauſam illam eſſe opinionem, cum
qua operari licet: nam aliud eſt cauſa
opinionis; aliud verò ipſa opinio. Vi-
de dicenda infra num. 193. cum ſe-

Digitized by Google

quentibus; neque apta eſſet doctrina, quæ hic nos doceret cauſas deuiniendi in opinionem, quando enim aliqua traditur doctrina non ſimul traduntur cauſæ cauſarum, eſſet enim procedere in infinitum: neque tandem Doctores in hoc ſenſu appellant Doctorum ſententias, opiniones: ſed in eo, quo ſignificatur eſſe veras opiniones, cum quibus operari licere dicunt. 3. Reſpondetur, quòd neque ſemper Doctorum opinio prædictum operatur effectum, vt nos quoque in opinione conſtituat, ſed aliquando maiorem, ita vt nos conſtituat in certitudine, aliquando minorem, quia nos non mouit, vt illi aſſentiamur, neque enim ad id tenemur, neque precisè debemus vel etiam ſolemus remanere in opinione, ſi Doctores in opinione ſint, vt Doctores aſſerant, nos eſſe in opinione, ſiue probabilitate, quando opinio Doctorum pro ea datur, præcipuè cùm ſæpè ipſis Doctoribus illa aſſertio, non ſolùm ſit probabilis, ſed certa. Vltimo reſpondetur, quòd quando tandem vel

Digitized by Google

propter fundamenta vel propter au-
ctoritatem, ſequentes Iuriſconſultum
in l. Labeo. verſ. Nam quorſum. ibi.
*Sed & ſi magnopere me Tuberonis &
ratio & ſententia mouet.* ff. de ſupelle-
ctil. leg. mouemur ad idem opinan-
dum cum Doctoribus, à noſtra appro-
batione incipit eſſe & dici noſtra &
neceſſaria ad operãdum opinio, quod
apertè ſentit Sanch. d. cap. 9. n. 21.
ibi. *Adde quoque eam verè eſſe eius
opinionem, cùm tamquam probabili illi
aſſentiatur.* Et merito, nam non ideo
minus dicitur mea eſſe opinio, quia
ab alio accepi, ſicut non minus mea
eſt pecunia, quia ab alio acquiſiui vel
ſcientia, quia à magiſtro didici.

34. Ex dictis infertur, perperam
formari ab ſcribentibus de re iſta
quæſtionem, controuertendo ſcilicet,
an ſequi liceat probabilem alienam,
&c. quomodo paſſim loquuntur.
Nam ſi aliena eſt opinio, non propria,
qualiter ſequi poterit vel opinio pro-
babilis dici, cùm iſta ſit aſſenſus ope-
rantis, vt ſupra probauimus? Sin au-
tem propria ſit per aſſenſum eidem

Digitized by Google

parti præſtitum, quare aliena dicitur?
Adde dicenda infra num. 181.

55. *Certè puto* totam huius rei inuolutionem ortum habuiſſe à mala & abuſiua acceptione opinionis, ſecundum quam prima facie & non rectè aduertenti aut diſtinguenti, opinio accipitur (prout vulgo accipi ſolet) pro ſententia Doctorum. Hinc duas contrarias ambas probabiles, id eſt pro ſe habentes non parui momenti fundamenta & alteram probabiliorem ſupponunt. Hinc tota confuſio & improprietas oritur. Quod ſi rectè aduertatur & firmiter obſeruetur, veram opinionem, aliud eſſe ſcilicet aſſenſum vnius partis, non quidem vnius ſententiæ, cum formidine contrariæ partis; facile patebit qualiter ad rem iſtam nullatenus pertineat Doctorum opinio.

56. *Hinc etiam* videtur deceptum fuiſſe Ioan. Sanch. ſelect. diſput. 43. ad num. 48. vbi ſerio conatur probare non dari opinionem circa factum & talem opinionem verè dubium eſſe. At eum fefellit dicta inciuilis ac-

ceptio, ſecundum quam nihil aliud creditur opinio, quàm ſententia Doctorum; vnde cùm iſta non detur circa factum, credidit Doctor ille ingenioſiſſimus opinionem circa factum dari non poſſe, quod verum eſſet, niſi falſa eſſet ſuppoſitio. At ipſe ſibi contrarius probabilitatem circa factum agnoſcit eadem diſput. num. 2. quod paſſim omnes agnoſcunt: aliquos citauimus ſupra num. 32. & apertius agnoſcit Layman. Theologiæ moralis lib. 1. tract. 1. cap. 5. n. ad fin. Dicens, quod *ſicut dubium, ſic opinio alia eſt de Iure, alia de facto.* Sicut per contrarium dubium non ſolùm facti eſt, ſed etiam iuris, vt ſcribunt Sanchez d. lib. 1. in Decalog. cap. 10. n. 2. Vaſq. d. q. 19. diſput. 65. cap. 3. num. 11.

37. Ex eodem fonte procedit improprietas dicendi opinionem probabilem & ſuppoſitio, quod poteſt eſſe improbabilis, quorum primum de vera opinione dictum, eſt ſuperfluum. 2. verò implicatio, nam vera opinio ſemper eſt probabilis, immo

ipſa probabilitas eſt opinio, id eſt aſſenſus formidoloſus & ſunt Sinonima, vt probaui ſupra hoc cap. n. 6, & ſic non poteſt eſſe improbabilis & per conſequens, vel ſuperfluè additur opinioni, qualitas probabilis; vel falſo, ſi ſupponitur, poſſe improbabilem eſſe. In abuſiua opinione, quæ ad propoſitum non pertinet, ſcilicet Doctorum ſententia dari poſſunt dictæ qualitates, immo ideo Doctores opinioni illas tribuerunt, quia putarunt opinionem veram, de qua agimus, nihil aliud eſſe, niſi Doctorum ſententiam, ex quo, vt dicebamus, tota res iſta fuit confuſa.

§. II.

Probatur ſingulariter & efficaciter, non poſſe eundem intellectum pro eodem temporis momento, eſſe in opinione, ſine vera probabilitate partium contrariarum.

38. A*Nte aliud* aduerto, quod licet opinio & probabilitas idem ſint, vt probauimus ſupra hoc

cap. num. 6. vtar frequentiùs probabilitatis nomine, ſiue termino, quia opinio ſolet ſignificare ſententias Doctorum, de quibus hic non eſt ſermo. Item quia etiam vulgariter loquendo probabile dicimus illud cui aſſentimur cum formidine. Tandem quia ſic conſtando de vera probabilitate, conſtet per conſequens abuſiıam eſſe illam, quæ conſiſtit in rationibus, ſiue auctoritatibus ſtantibus ›ro aliqua parte, de qua infra n. 42. ›it autem quicquid ſit de nomine, illo ¦uidē ſignificare & probare intendinus aſſenſum opinatiuum ſtare non oſſe pro vtraque contradictionis arte, ſimul in eodem intellectu, v. . teneri vel non teneri ieiunare, reituere vel teſtamentum aut contra:um validum eſſe & nullum eſſe, rem ſe & non eſſe ſuam, dari & non da- impedimentum matrimonium dimens vel impediens. Hoc autem tentiſſimè tractari oportet, nullus ıim alius articulus huius materiæ nti eſt momenti. Ex eo enim ſequir confirmatio vel deſtructio om-

niuim fere reſolutionum à Doctoribus in hac re traditarum. Et quidem omnes de materia tractantes quos longum eſſet allegare, alij probant, leuiter tamen. Alij pro vero ſupponunt tantum, at non probant, poſſe veramque contrariam partem probabilem eſſe; immo nunquam vnam tantùm probabilem conſiderant, nec de hoc caſu agunt vel aliquid quærunt, ſed de illo in quo altera partium eſt probabilis & minus tuta; Altera verò probabilior & tutior. Neque vtriuſque partis probabilitatem conſiderant tantùm in ſententiis Doctorum, in quibus talis ſuppoſitio aliquo modo poſſet ſuaderi & fallere, ſed generaliter, adeo vt Sanch. d. lib. 1. in Decalog. cap. 10. num. 9. ad fin. ſcripſerit, poſſe aliquem putare probabiliter rem eſſe ſuam & non eſſe ſuam & num. 35. ad fin. poſſe opinari probabiliter vouiſſe & non vouiſſe, & de matrim. lib. 2. diſput. 44. vbi ait coniugem poſſe petere & reddere debitum, ſi habet probabilem aſſenſum vitæ prioris viri

melius dixiſſet coniugis) & ſimili-
er probabilem aſſenſum mortis, quia
icitum, inquit, eſt amplecti opinio-
em probabilem valloris matrimo-
ij. Idem ſentit Suar. de pœnit. tom.
. diſput. 22. ſect. 9. num. 4. & de
enſur. tom. 5. diſput. 40. ſect. 5.
um. 2. & de religion. 2. tom. tract.
. lib. 4. cap. 5. num. 5. dicens: du-
ium poſitiuum (quod tunc contin-
ere aiunt; quando vtriuſque partis
qualia fundamenta non parui mo-
ienti conſiderantur) eſſe probabili-
item vtriuſque partis & in illam re-
olui. Et quod magis eſt Sanch. ſiue
o eo citati d. cap. 9. num. 18. dixe-
nt generaliter, quòd ille, qui ſolum
racticè probabiliter aliquid eſſe li-
itum iudicat, iudicat etiam proba-
iliter eſſe illicitum, quod etiam ſen-
t Eminentiſſimus Cardinalis de
ugo de fide d. diſp. 5. ſect. 1. n. 16.
rriaga 1. 2. diſput. 25. num. 31. bi.
o autem ipſo, quod vna pars eſt ſo-
m ſub opinione probabili, iam altera
poſita probabilis eſt, vt per ſe patet.
. *Verum ſemper* exiſtimaui ipſi na-

Digitized by Google

turalis rationis luminis repugnans aſſerere, quæ prædicti Auctores aſſerunt & generaliter ſupponunt de probabilitate vtriuſque partis contrariæ, quod facillimè & efficaciter probabimus, & lectori candido ſuademus, ſi ipſe debitam attentionem dicendis adhibeat & imprimis excutiat ab intellectu contrariam doctrinam, qua fuerit imbutus, illam reaſſumendam, ſi hæc non placeat. Vt igitur illa clara & plana euadat & contra impugnationem noſtram nulla admittatur euaſio.

40. In primis præmitto, me non dubitare fieri poſſe & paſſim contingere, quod vtraque pars contraria, videlicet rem eſſe & non eſſe meam; Priorem coniugem viuere & defunctum eſſe: Contractum eſſe & non eſſe vſurarium: Teſtamentum hoc validum & inualidum eſſe, pro ſe habeat auctoritates, rationes, ſiue fundamenta non parui momenti, aliquando æqualia, aliquando inæqualia. At negare id producere veram probabilitatem, cum qua operari li-

:ere dicitur, ſiue, vt propriùs & ſe-
:undum methodum noſtram loqua-
nur, negare cum tali genere impro-
)riæ probabilitatis circa antecedens
itè aut iuſtè deduci dictamen, ſiue
ormari conſcientiam licere rem pe-
ere, contractum celebrare, &c. Im-
no aſſerere tunc nos non eſſe impro-
)abilitate vera alicuius partium, ſed
n vero & proprio dubio circa quæ-
tionem, an res ſit mea, an contra-
tus ſit vſurarius, quæ decidendæ
roponuntur, ac per conſequens nos
;erere debere, ac quando ſumus in
ero dubio circa antecedentia illa, à
uorum deciſione pendet an liceat,
&c. Aduertendo iterum, quod no-
nine probabilitatis intelligimus ve-
am opinionē, id eſt aſſenſum vnius
artis cum formidine, modo decla-
ato ſupra num. 38. Non autem pro-
abilitatem impropriam, de qua infra
um. 42.

1. 2. *Præmitto*, neque etiam dubi-
re, aut negare, duas partes contra-
as eſſe poſſe probabiles apud diuer-
ɔs intellectus, ſiue etiam apud vnum

ſucceſſiuè, vt bene dixit Monteſin. 1, 2. diſput. 29. quæſt. 5. num. 153. At quando id contingit apud diuerſos intellectus ceſſat repugnantia, nam vna pars accipit probabilitatem apud vnum illi aſſentientem & non contraria. Altera verò apud alium intellectum ſimiliter. Quando autem contingit apud eundem intellectum ſucceſſiuè, etiam ceſſat prorſus repugnantia & contradictio, nam nos non dubitamus, immo diximus cap. 1. num. 11. poſſe aſſenſum & ipſam conſcientiam mutari nouis ad hoc repertis fundamentis, ſeu aliter, quàm prius conſideratis, ita vt modo aſſentiar rem eſſe meam vel contractum vſurarium, cum tamen antea aſſentirer contrariæ propoſitioni. At hoc non eſt ſimul aſſentiri ambabus contrariis, quod & non illud negamus, ac impugnamus.

42. 3. *Præmitto*, aliud & maximè diuerſum eſſe quærere, an aſſenſus opinatiuus, id eſt cum formidine, ſiue vera probabilitas, poſſit præſtari & ſtare ſimul circa reſolutionem quæ-

ſtionis, de qua agitur, ſcilicet rem eſſe & non eſſe meam, vel contractum eſſe & non eſſe vſurarium, ita vt vtrique earum aſſertionum intellectus aſſentiatur. Aliud verò eſſe, quærere, an poſſit præſtari aſſenſus opinatiuus vtrique illarum partium, dicendo, videlicet & ſentiendo: hæc pars habet pro ſe fundamenta non parui momenti: & ſimiliter contraria, non tamen iudicando circa quæſtionem, ſaltem probabiliter decidendo, an res ſua ſit, an contractus ſit vſurarius, &c. Priori modo certiſſimum mihi eſt & patentiſſimum, non poſſe præſtari vel ſimul ſtare aſſenſum opinatiuum pro vtraque parte contraria, quod paulo infra latiſſimè probabo. Secundo autem & poſteriori modo, non dubito poſſe dari pro vtraque parte aſſenſum opinatiuum, ſiue probabilitatem, immo certitudinem, quia ſcilicet certum eſt & euidens pro vtraque parte, dari fundamenta non contemnenda. At contendo & manifeſtè probabo infra n. 74. & aliàs, talem probabilitatem

non eſſe ſufficientem ad licitè operandum, cùm non ſit circa quæſtionem, de qua decidenda tractabatur & quæ decidi debet, ſaltem probabiliter, aſſentiente ſcilicet proprio intellectu operantis, quod ſcilicet res ſua eſt vel contractus non eſt vſurarius, vt poſſit deducere dictamen ſibi licere eam petere vel contractum celebrare. Quo tamen aſſenſu dato, iam alius ſimilis in contrarium ſimul ſtare nullo modo poterit; eo autem non dato, non eſt aſſentiri illi quod dictant illæ partes, nam alia dictat: contractus eſt vſurarius. Alia verò contrarium, ſed alij diuerſo, quod ad rem non pertinet, ſcilicet vtraque partium habere pro ſe fundamenta vel auctoritates, quod maximè obſeruandum eſt, nam ex non cognitione & in diſtinctione prædictorum maximè diuerſorum, procedit illuſio, qua Doctores in hac re tenentur & pertinacia, qua plures defendunt probabilitatem vtriuſque partis contrariæ, intelligentes probabilitatem conſiſtere in eo, quod pro vtraque inue-

ıntur auctoritates, vel fundamen-
non parui momenti, cùm tamen
ra probabilitas ſit aſſenſus opinati-
s vnius partis. Sin autem dicas
n hoc, ſed illud probabilitatem eſ-
, tranſeat. At negabimus conſtan-
, illo genere probabilitatis operari
ere.

. 4. *Præmitto*, quòd licet nulla
ur repugnantia, ſiue contradictio
er propoſitiones aſſerentes, hanc
rtem & contrariam eſſe probabiles
prædicto ſenſu, ſcilicet aſſertionem
tantem cõtractum eſſe vſurarium
ere pro ſe rationes, ſiue auctori-
es non parui momenti & ſimiliter
ıtrariam. Tamen ſtare non poſ-
ıt duæ propoſitiones aſſerentes
ıtractum eſſe & non eſſe vſura-
m, etiam ſi non abſolutè, ſed pro-
ıiliter & cum formidine aſſeran-
, nam illæ, vt patet, manifeſtam
ıtinent contradictionem & inuol-
ıt repugnantiam. Vnde non benè
ıteſin. d. diſput. 29. quæſt. 5.
n. 158. (credens facillimo nego-
tolli difficultatem, quæ inuenitur

in præſtatione aſſenſus etiam opinanatiui, duabus partibus contrariis & adeo torquet Doctores) dixit nullam dari contradictionem, ſiue repugnantiam inter propoſitiones aſſerentes hoc & contrarium probabile. Nam id verum non eſt intellectũ de propoſitionibus prolatis circa ipſam rei eſſentiam, vt ita dicam ſcilicet an ſit vel non vſurarius contractus, ſed circa merita & qualitatem duarum propoſitionum, dicendo ſcilicet, vtramque habere pro ſe fundamenta non contemnenda, quod nihil repugnat, immo euidens eſſe ſolet vtraque aſſertio in dicto ſenſu, aduertendo quod ideo non repugnant dictæ aſſertiones, quia non ſunt ſuper vna tantùm re, ſed ſuper duabus, repugnarent autem ſi eſſent circa qualitatem vnius tantùm rei, veluti an contractus ſit vſurarius, qui ſunt noſtri termini, repugnaret enim dicere probabiliter eſſe vſurarium & probabiliter talem non eſſe & huic, & contrariæ parti probabiliter aſſentiri. Neque reſponderi poteſt, vt reſpon-

Digitized by Google

dere conabatur Doctiſſimus quidam Theologus & inſignis Magiſter Conimbricenſis dicens, probabilitatem non reſpuere obiectum, vt eſt à parte rei, ſed comparatum ad noſtram cognitionem imperfectam & ſic poſſe eſſe ſimilem reſpectu obiectorum oppoſitorum, vt ſcilicet hæc & contraria aſſertio probabilis ſit. Nam replicatur, nos non aſſerere præcisè cognoſcendum eſſe obiectum, prout eſt à parte rei, ſed illud cognitum ſecundum noſtram imperfectam cognitionem vno modo vel certo vel probabiliter (totum ſemper intelligitur reſpectu propriæ exiſtimationis, vt admonuimus & probauimus ſupra hoc cap. num. 4.) iam non poſſe alio & contrario modo ſimul cognoſci. Quod ſi rationes vel alia fundamenta, non ſinant propter eorum contrarietatem, noſtram imperfectam cognitionem iudicare ſaltem probabiliter circa veritatem obiecti à parte rei, ſed tantùm, quod pro vna & contraria parte dentur fundamenta, non contemnenda, tunc verè nos nihil

iudicare circa veritatem à parte rei, ac per conſequens circa illam eſſe in vero & proprio dubio & proinde nos gerere debere tamquam in vero dubio conſtitutos, nihil omnino conducente, vt dicamur eſſe in probabilitate vtriuſque partis, quòd agnoſcamus pro vtraque eſſe non parui momenti fundamenta, hoc enim conuincet probabilitatem lato modo ſumptam propoſitionum, non autem reſolutionis circa quæſtionem decidendam, ſcilicet an contractus ſit vſurarius, quæ reſolutio requiritur ad operandum, vt ſupra ſatis probauimus & explicauimus.

44. 5. *Præmitto*, nullo modo eſſe conſiderandam per ſe probabilitatem vtriuſque partis ſeparatim, ſine reſpectu ad fundamenta contrariæ, ſic enim vera, vt plurimum, vtraque appareret; ſed eſſe conſideranda ſimul fundamenta partis contrariæ, hæc enim infringũt oppoſita, ſicut ab ipſis inuicem infringuntur. Quod patet, nam ideo dubitant & controuertunt Doctores an opinionem probabilem ſequi

ſequi liceat, quia eſt in contrarium alia, etiam probabilis vel probabilior, nam ſi altera ſola eſſet, vix ratio dubitandi daretur. Et exemplis probatur: nam ideo dubito quis Petrum occiderit, quia, licet ſatis probetur occiſorem fuiſſe Franciſcum, tamen ſimilis vel melior probatio ſuadet Ioannem occiſorem fuiſſe, cùm autem vnum tantùm fuiſſe conſtet, ideo incertum eſt qualis fuerit, quia de vtroque probatur & ceſſaret incertitudo, ſi conſiderarentur tantùm hæ vel illæ probationes. Vnde obſcurum & dubium, in quo pro reo iudicandum eſt, dicitur reſultare per contrarias probationes æquales per gloſſ. in caſus poſitionis in regul. cùm ſunt partium 11. d. regul. iur. in 6. Ideo etiam Iuriſconſultus incertitudinem conſiderat in caſu text. in l. Duo ſunt Titij. ff. de teſtament. tutela, & in l. ſi fuerit. ff. de rebus dubiis; quia alter quoque inuenitur Titius, in quo eadem ſigna concurrunt, quod ſi vnus tantùm eſſet, incertitudo ceſſaret. Si ergo contrariæ partis fun-

Digitized by Google

damenta ſunt æqualia, dubium reſultat: ſin parui momenti, formido, at ſemper attenduntur. Quæ dicta ſunt benè ſentit Suar. de religion. tom. 2. tract. 6. lib. 4. cap. 5. num. 5. ibi. *Quia illa probabilitas facit certitudinem moralem, quando non eſt alia ſimilis in contrarium.* Quæ vltima verba notanda ſunt ad propoſitum. Optimè & recenter Arriaga 1. 2. tom. 3. diſp. 24. num. 30. ibi. *Licet pro vtraque parte habeat rationes, ſi illæ ſunt omnino æquales, tam parum poterit præferre vnam alteri, quàm ſi nullam haberet pro qualibet earum.*

45. *Iis præmiſsis* iam procedamus ad probandum illud, quod aſſeruimus ſupra numero 39. ſcilicet fieri non poſſe, vt vtraque pars contraria ſit probabilis ſimul apud eundem intellectum vel altera probabilior in eo ſenſu, qui veram probabilitatem inducit; nempe aſſentiando, cum formidine tamen, veluti rem eſſe ſuam & non eſſe ſuam: Contractum eſſe & non eſſe vſurarium. Quo probato & ab impugnationibus liberato, pro-

babimus illam aliam abuſiuam & impropriam probabilitatis ſpeciem, quam dari concedimus, ſcilicet quod vtraque pars habet pro ſe rationes, ſiue auctoritates, nullo modo eſſe ſufficientem ad operandum, ſiue, vt noſtra & propria methodo vtamur, ad formandam conſcientiam licere, veluti rem petere vel contractum celebrare. Deinde oſtendemus in prædictis terminis, non probabilitatem, ſed verum & proprium dubium reſultare. Tandem probantes, quod ſi aliquo modo poſſet in illis terminis eſſe & dici vtriuſque partis contrariæ probabilitas, cum illa non liceret operari, ſiue formare conſcientiam dictantem peccatum non eſſe, &c.

46. *Probatur ergo* 1. noſtra aſſertio in ſenſu proximè explicato & quidem efficaciter ex ipſa opinionis, ſiue, vt dicunt, conſcientiæ probabilis deffinitione, eſt enim *Aſſenſus vnius partis cum formidine contrariæ*; vt definiunt Sanch. de matrim. lib. 2. diſp. 41. num. 2. & in Decalog. lib. 1. cap. 9. n. 2. Bonac. d. quæſt. 4. puncto 6.

opinionis definitio vni tantùm, non etiam contrariæ ſimul competere poteſt ; quod ſanè eſſet contra definitionum naturam & officium, quod eſt aſſignare genus & differentias, vt res cognoſcatur & ab aliis diſtinguatur, quod non conſequeretur, ſi vtrique parti contrariæ poſſet eadem definitio competere. Sin autem dicas & explices modo aliquo non eſſe contrarias, loqueris contra definitionem, quæ contrarias appellat. Addo quod aliàs deberet definiri: *Aſſenſus vtriuſque partis*. Item, quod ſi particula vnius, non adderetur ad excluſionem alterius & contrariæ, deberet abſolutè definiri, Aſſenſus alicuius partis, ſiue propoſitionis. Quæ omnia ipſo naturali lumine, vltra iuris & philoſophiæ præcepta probari videntur. Nec credo, quod aliter intelligi poſſent, niſi accipiendo opinionem abuſiuè pro ſententia Doctorum, quod latè ſupra num. 31. impugnaui, quaſi opinio ſit vna ex illis ſententiis & contraria ſententia, alia opinio & aſſenſus vnius partis ſit aſſenſus Do-

Digitized by Google

ctorum pro vna parte, & ſimiliter aliorum Doctorum pro alia & contraria parte, quo ferè modo audiui quendam doctum Theologum explicantem. Vel accipiendo aſſenſum vtriuſque partis pro aſſenſu, quem præſtare poſſumus vtrique parti, ſcilicet dicendo. Hæc habet pro ſe fundamenta non parui momenti, & ſimiliter de contraria: In quo quidem ſenſu licet fateamur, quod non implicat dari dictos aſſenſus, tamen huic ſpeciei non poteſt competere dicta definitio, cùm illi aſſenſus non ſint vnius partis, ſed duarum vel plurium, neque cum formidine, ſed euidentes. Tandem noto, quod cùm definitio meminerit partis contrariæ, non dixit eius etiam aſſenſum eſſe, ſed quod aſſenſus vnius debet eſſe cum formidine contrariæ, quod quid importet dicemus infra num. 50. Pluſquam ergo patens eſt definitionem competere opinioni veræ, quæ eſt aſſenſus formidoloſus, in quo paſſim inuenimur circa vnam partem contradictionis, ſcilicet contractum eſ-

Digitized by Google

ſe vſurarium, nullo modo tunc contrariæ partis aſſenſum habentes, immo diſſenſum etiam formidoloſum (quia certum & firmum diſſenſum tunc haberemus, quando oppoſitam partem veram ſine formidine iudicaremus) non autem competere vtrique parti contrariæ, quod palam probatum remanet.

47. *Dicet aliquis*, vt dicentem audiui virum doctum facile reſponderi argumento proximè ex definitione deducto, definitionem cõpetere huic illi & alteri parti; cui applicatum, ſicut enim definitio animalis rationalis competit Petro, Ioanni, &c. Sic ſimiliter definitio opinionis huic & contrariæ parti applicatur & competit. Indigna ſanè ſolutio, vt in ea impugnanda tempus conſumatur. At quia mirabilis eſt ingeniorum varietas, nulla reſponſio ſuperflua eſt. Quis precor, negat eandem opinionis definitionem infinitis poſſe competere caſibus & aſſertionibus. Aliud diuerſiſſimum aſſerimus, quod ſcilicet in eodem tempore, quo competit vni,

Digitized by Google

in illa caſus occurrentia non poteſt ſimul compete contrariæ. Alteri verò occurrentiæ duarum partium contrariarum competere poſſe, quis dubitat? Et hoc ſolum conuincit friuolum illud & abſimile exemplum animalis rationalis definitionis. Detur exemplum, in quo definitio competat partibus, ſiue rebus contrariis & fatebimur inutile eſſe noſtrum fundamentum à definitione ſumptum. At eius efficacia exemplo apparebit. Electio eſt nominatio vnius de capitulo in Prælatum (non eſt neceſſarium ad propoſitum canonizare definitionem) ſi duo eligantur, poteritne cuilibet electioni competere definitio? Abſit; qui enim dicit vnius, excludit pro ea vice electionem alterius, ſiue duorum & generaliter quando dico oppoſitores concurrunt & dicitur vnum eſſe eligendum, nullo modo poſſunt elegi duo pro illa vice & concurrentia: Duæ igitur partes contrariæ ſunt quaſi oppoſitores, ſi ergo dicitur opinionem eſſe aſſenſum vnius partis, non poteſt pro illa occurrentia eſſe aſ-

ſenſus ambarum contrarium, ſed vnius tantùm. Neque dicas alteram deponi & ſic remanere aſſenſum vnius tantùm, nam neque tales depoſitiones voluntarias admittimus, immo illas impugnauimus ſupra cap. 1. num. 9. & 10. & adhuc infra hoc cap. iterum reprobabimus num. 77. & 78. & ſi fortè & iuſtè deponitur remanet vna tantùm probabilis, quod eſt intentum.

48. *Minus adhuc* eliditur efficacia prædicti argumenti per reſpõſionem, quam aſſignabat doctiſſimus alter Theologus & Conimbricenſis Magiſter inſignis, videlicet non aſſentiri duabus partibus copulatiuè, ſed diſiunctiuè. Vix percipio ſenſum & minus effectum, nunquam enim dubitaui diſiunctiuè aſsentiri; at hoc non tollere difficultatem, neque vidi alium Doctorem ſic eam tollere conantem, deinde reſpondendo proſequitur. *Qui aſſentitur duabus diſiunctiuè, non eſt in opinione vna tantùm, concedo: Non eſt in opinione duplici diſiunctiuè nego.* Et inferiùs. *Qui*

Digitized by Google

dicit opinionem eſſe aſſenſum vnius partis, ſolum dicit, quod eadem opinio non eſt aſſenſus alterius partis, non autem negat aſſenſum etiam alterius partis eſſe aliam opinionem. Agnoſco tanti viri authoritatem & vix illum impugnare audeo, etiam tacito nomine, at ego non impugno, ſed defendo meum argumentum, quod ipſe impugnat & ſoluere conatur. Concludit ergo quod definitio, aſſenſus vnius partis optimè competit illi, qui aſſenſum præſtat vtrique parti; At ſic deberet definiri opinio: aſſenſus vtriuſque partis. Omitto repugnantiam, ſed ago tantùm de vi, & ſignificatu definitionis. Omitto etiam omnia ſupradicta, quibus probatur definitionem ſolùm competere poſſe vni partium pro illa occurrentia ambarum contrariarum, ſolum dico mihi nouum eſſe, quod aliquis ſit in duplici opinione, & illi competat definitio dicens eſſe aſſenſum vnius. Pro aliis occurrentiis, quis dubitat poſſe vnum intellectum eſſe in mille opinionibus? Præterea cùm negari non poſſit, ſal-

tem aliquando opinantem eſſe in aſſenſu vnius tantùm partis, vt expreſsè docet Suar. tom. 4. de pœnit. diſput. 22. ſect. 9. num. 4. & apertè agnoſcunt Sanch. d. lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 18. poſt medium. *Illius partis, cuius aſſenſum habet*; & cap. 10. num. 9. 36. 44. & 65. fine, & de matrim. lib. 2. diſp. 44. quaſi per totam; & alij citandi infra num. 58. dicendumne eſt ita competere definitionem, quando eſt aliquis in opinione vtriuſque partis, ac quando eſt in opinione, id eſt aſſenſu formidoloſo vnius tantùm? Ad illud, quod additur, ſcilicet, dicentem opinionem eſſe aſſenſum vnius partis, nihil aliud ſignificare, niſi quod eadem opinio non eſt aſſenſus alterius partis, reſpondeo definientem in eo ſenſu in vanum & ſuperfluè adiicere particulam, *vnius*, aptius enim eam omitteret & ſimpliciter diceret opinionem eſſe aſſenſum alicuius partis, immo propoſitionis. Certè mihi nihil patentius eſt, quàm definitionem competere vni tantùm parti duarum

contrariarum, quod planum eſt, rationi naturali conforme & nullum continens obſtaculum, ſiue inconueniens, cæteros verò intelligendi & reſpondendi modos eſſe excogitatos ad defendendam illam inueteratam ſuppoſitionem probabilitatis duarum partium contrariarum.

49. 2. *Probatur*, nam ſecundum ipſam definitionem quando ſumus in opinione vnius partis habemus tantùm formidinem contrariæ, non autem dicit definitio, quod eius etiam aſſenſum habemus. Ergo, &c. *Formido autem in eo conſiſtit, vt quis per actum reflexum iudicet, rationes illius partis, cuius aſſenſum habet non eſſe euidentes, ſed tantùm probabiles, atque ita poſſe accidere, vt contraria opinio fortè ſit vera.* Sunt verba Sancij d. lib. 1. cap. 9. num. 18. quod etiam in effectu latiùs tamen explicans, docet Vaſq. 1. 2. quæſt. 19. diſput. 67. cap. 2. num. 6. & diſp. 62. cap. 5. num. 26. Sayr. d. lib. 1. cap. 5. num. 1. Ex relato ergo Sancij loco conſtat, formidinem ſolum operari, quod euidens non ſit illa pars, cui

aſſentimur cum formidine, agnoſcit ergo, quod illi tantùm parti aſſentimur ibi, *Illius partis, cuius aſſenſum habet*, non alteri de qua tantùm remotè formidamus, vt fortè ſit vera. Sentit beno Napar. in cap. Inter verba corol. 53. num. 135.

50. Verum plures & inter eos inſignis ille Conimbricenſis Theologus, aliter rem iſtam intelligunt, ne obſtet ſuæ ſuppoſitioni duarum partiũ contrariarum probabilium, & ait formidinem vnius partis conſiſtere in eo, quod obiectum, cui præſtatur aſſenſus non eſt euidens. Et ſic ſimiliter accidere in parte contraria. At replicatur fateri quidem ideo alteram partem eſſe probabilem tantùm & non certam; at negare, poſſe tunc pro illa occurrentia fieri, vt contraria quoque ſimiliter aſſenſum probabilem pro ſe habeat, cùm ſit præoccupatus pro alia parte contraria. Reducendo ad memoriam, quod diximus & probauimus ſupra num. 44. Scilicet non eſſe conſideranda fundamenta vnius partis ſine reſpectu ad fundamenta contrariæ, nam ſic, vt

plurimùm quælibet pars non ſolùm probabilis, ſed etiam certa appareret, quia ſcilicet ſæpè fundamenta dantur, quæ vtramque probant veram, niſi conſiderarentur in contrarium fundamenta partis oppoſitæ, quod dicto loco probauimus & explicauimus. Hinc non admitto formidinem reſultare ex inefficacia tantùm fundamentorum illius partis, immo compertum mihi eſt, ſæpè illam & etiam dubium reſultare ex fundamentis, ſiue auctoritatibus ſtantibus pro parte contraria, quorum ſi vis eſt æqualis vel ferè dubium reſultat, vide infra num. 80. cum ſequentibus. Sin autem ſunt parui momenti reſultat eorum formido, quæ operatur, vt in contraria parte, cui aſſentimur non ſimus firmi & certi. At cùm formidinem tantùm habemus contrariæ, maximè inæqualis eſt rerum ſtatus, nam maximam & notabilem inclinationem habemus illi parti cui aſſentimur, contrariæ verò ferè nullam; vnam quaſi veram, contrariam quaſi falſam iudicamus & non illam

prorſus veram iudicamus, quia vel eius fundamenta non ſunt omnino ad id efficacia, vel fundamenta contrarię id impediunt, licet ſint leuiora & parui momenti. Ex qua ratione per contrarium, neque hanc prorſus falſam iudicamus. Suppoſito autem pro vero, quod formido ſæpius cauſetur ex fundamentis partis contrariæ, ſequitur, quod ſi ipſa quoque probabilis eſſet & multò magis, ſi probabilior, reſultaret quidem oppoſitæ parti, non ſolùm formido, id eſt leuis timor, ſed magnus & iuſtus metus, cum pro ea parte conſiderarentur æqualia & maiora ſiue fortiora fundamenta. Deinde formido & ſcrupulus idem eſt, vt benè deducitur ex iis, quæ Sayr. d. lib. 1. cap. 14. num. 1. Vnde optimè definitur à Soto de ſecreto memb. 3. quæſt. 2. concl. 3. *vt ſit formido ſtans ſimul cum oppoſita opinione*, & diceмus ſub cap. de conſcientia ſcrupuloſa. Quis autem dicet ſcrupulum tantùm habere, an contractus ſit vſurarius, quando etiam aſſentitur vſurarium eſſe & probabilius id putat?

¶ Tandem, vt iam id concludamus; Ego quidem, paſſim in me ſentio aſſenſum vnius partis non firmum, ſed cum formidine oppoſitæ, cuius tamen nullum omnino habeo aſſenſum, ſed tantùm illam prorſus falſam iudicare non audeo, nam licet alteri notabiliter incliner, non tamen eam prorſus certam iudico & per conſequens, nec contrariam falſam, & tunc mihi compertum eſt eſſe in opinione, ſiue probabilitate eius partis, cui aſſentior, non autem contrariæ, & puto omnes ita paſſim ſentire, & formidinem in tali opinione incluſam nihil aliud puto, niſi leuem timorem ne fortè contraria ſit falſa, hoc autem mihi per conſequens oſtendit illam longe eſſe à probabilitate. Examinet ergo quiſque ſuum ſentiendi modum, & fortè inueniet ita quoque ſentire, non autem ſibi quoque eſſe probabilem contrariam partem eius cui aſſentitur.

51. 3. *Probatur*, quia probabilitas dicit maiorem conuenientiam prædicati cum ſubiecto, vt ait Vaſq. 1. 2.

quæſt. 19. diſp. 62. cap.3. in princip. Sayr. d. lib. 1. cap. 5. num. 1. & 2. & ſic communiter loquimur & nos ipſos explicamus, quando vnam partem alteri notabiliter præferimus & quaſi veram putamus, tunc enim dicimus illam probabilem, nullo modo de contraria idem ſentientes. At maior conuenientia prædicati cum ſubiecto, aut verior aſſertio, pro vtraque parte contraria eſſe nequit, quia implicat vtramque reſpectu alterius, maiorem conuenientiam habere, vt patet; ergo, &c.

52. 4. *Probatur*, quia cum contrariarum eadem ſit natura, ſi duæ partes contrariæ poſſent apud eundem intellectum ſimul eſſe probabiles vtique ambæ poſſent dici & eſſe improbabiles, ſiue non probabiles, quod quidem aſſerere ridiculoſum eſſet & adhuc magis patet vis argumenti, ſi ad abuſiuas opiniones, id eſt Doctorum ſententias applicetur. Nam finge quod iſtius Auctores, vt ſolent contrariam ſuæ falſam ſiue improbabilem dicunt & per contrarium huius

Auctores illam ſimiliter falſam, vel improbabilem dicunt. Ecce ex auctoritate Auctorum & ex fundamentis, vtraque pars diceretur improbabilis. Nam non magis eorum auctoritates & fundamenta concludunt ſuarum partium probabilitaté, quam illi tribuunt, quam improbabilitatem, quam contrariis partibus ad inuicem aſſignant. Sanè argumentum irrefragabile videtur, & ſi videtur nouum & abſurdum prout eſt, dicere vtramque partem contrariam improbabilem, cùm potius tunc res dicenda eſſet dubia (prout etiam dici debet, quando vtraque pars videtur probabilis, vt infra latè probabimus) & tamen non videtur abſurdum dicere, vtramque partem probabilem, hoc procedit ex antiquo & inueterato vſu ita dicendi, qui potens eſt ad operandum, quod non abhorreant plura, quæ ſi de nouo dicerentur, abſurda reputarentur.

53. Reſpondebat Theologus ille Doctiſſimus, ad probabilitatem minus requiri, quam ad improbabilita-

tem, nam inquit; *ad hoc vt propoſitio ſit probabilis ſufficit, quod aliquibus fide dignis viſa ſit probabilis. At velit improbabilis non ſufficit, vt talis viſa fuerit aliquibus etiam fide dignis: quia improbabilitas dicit negationem probabilitatis, ac proinde exigit vt ex nullo capite inſit probabilitas: in hoc autem euentu ineſt ex auctoritate aliorum & ex ratione, quæ illos mouit: ergo in hoc euentu propoſitio dicenda eſt ſimpliciter probabilis, improbabilis autem, ſolum ſecundum quid, id eſt huic, vel illi.*

54. Replicabam 1. non poſſe percipere cur minus requiratur ad probabilitatem, quàm ad improbabilitatem, neque enim mihi aliquid probat ratio facta, nam etiam probabilitas dicit æque negationem improbabilitatis. Cur ergo, precor, magis infixa remanet probabilitas in vna parte, quia aliqui fide digni eam probabilem dixerunt, quam improbabilitas, ſi totidem vel fortè plures æque fide digni, ſiue potius periti eandem partem improbabilem dixerunt? Num magis credendum eſt duobus

peritis aſſerentibus gemmam eſſe veram, quàm totidem, ſiue etiam pluribus æque peritis aſſerentibus eſſe falſam, quia iſti dicunt negationem bonitatis? Neque adducatur aut conſideretur exemplum de teſtibus affirmantibus, quibus magis creditur, quàm negantibus, quia illud procedit quando negatiua eſt improbabilis, veluti Titium non fuiſſe occiſorem, ſeipſum autem quando coarcta probatur vel ſumus in re, in qua eodem modo ſciri poteſt negatio, ac affirmatio, veluti, quod Titius erat niger, poteſt enim iſta pars negatiua albedinis æque probari, ac contraria & affirmatiua albedinis. Nullo ergo modo agnoſco differentiam vel maioritatem rationis. 2. Sequeretur, quod ſic pars ſemel effecta probabilis, iam amplius fieri non poſſet improbabilis, cuius contrarium verum eſt & paſſim contingit & probabimus infra num. 121. oſtendentes nullam, etiam, communem Doctorum ſententiam habere ex ſe probabilitatem, neque hanc naſci antequam proprius

operantis intellectus illam producat per aſſenſum illius partis. Vnde miror virum grauiſſimum citato loco, tam apertè ſuppoſuiſſe probabilitatem eſſe infixam in ipſa aſſertione aliquorum Doctorum, cùm tamen aliis locis non inficietur ſine aſſenſu noſtro, probabilitatem reſultare nõ poſſe, ſin autem ille interuenit iam ex hoc, non antea probabilitas reſultat, vt probauimus ſupra hoc cap. n. 33. Tandem noto, quod ſi dicta reſponſio aliquo modo procedere poſſet, nunquam tamen locum habere poſſet in frequentiſſimis terminis, in quibus ſumus in opinione, non tamen propter auctoritates Doctorum, quia ſcilicet quæſtio eſt facti vel iuris, in qua Doctores non inueniuntur. Cùm ergo tunc non poſſit conſiderari aliqua opinio iam facta & operãs illam, producere debeat ex propriis fundamentis, cur non æque poſſet contingere vtramque partem ſibi videri improbabilem, ſi fieri poſſet per contrarium, quod vtraque ſibi eſſet vel videretur probabilis? Sanè neque id,

neque illud contingere poteſt.

55. 5. *Probatur*, quia cùm aliqua pars nobis eſt probabilis, per conſequens contraria nobis eſt improbabilis, nam contrarium probabilis, eſt improbabile. Sicut contrarium veri, eſt falſum: & boni, eſt malum. Sicut ergo quando dicimus inter duo contraria; hoc eſt verum vel bonum, intelligimus & ſignificamus contrarium eſſe falſum vel malum. Sic etiam quando hoc probabile ſentimus vel dicimus, veluti rem eſſe noſtram vel contractum non eſſe vſurarium, contrarium improbabile ſentimus & dicimus tacitè, ſcilicet improbabile eſſe, rem eſſe alienam, vel contractum vſurarium.

56. Reſpondebat etiam Theologus ille inſignis, in primis negando, quod exiſtente in aliqua propoſitione contraria, vno contrariorum: neceſſe ſit alterum eſſe in propoſitione illi appoſita, cuius contrarium oſtendi dicebat illis exemplis propoſitionum contrariarum, quæ ſimul ait, ſunt falſæ & improbabiles; *Vt omnis homo*

Digitized by Google

eſt albus: Nullus homo eſt albus. Omnis occidens peccat: nullus occidens peccat. Verum in primis etiam noto, quod ſiquidem dicit, vtramque eſſe improbabilem, poterat concedere ad præcedens argumentum reſpondendo, fieri poſſe, quod vtraque pars eſſet improbabilis, quod tamen ibi non conceſſit. Deinde debuit reſpondere ad ſimilia in comprobationem argumenti huius num. præcedenti adducta, oſtendendo, an contrarium ſoleat vel poſſet contingere in eiſdem illis ſimilibus. Tandem debuit adducere magis apta exempla, prædictorum enim diſparitas ex eo patet, quia illæ propoſitiones non aſſeruntur de aliquo ſubiecto in particulari, prout oportebat, vt aliquid ad propoſitum conuincerent, ſed aſſerentur de homine in communi, vnde cùm conſtet aliquos homines eſſe nigros, aliquos vero albos, nihil mirum ſi vtraque propoſitio abſolutè prolata falſa ſit, noſtræ autem aſſertionis termini ſunt, quando inter duas partes contrarias in ſpecie vel in particu-

lari, veluti rem eſſe meam & non eſſe meam : hunc contractum eſſe vel non eſſe vſurarium, de aliqua aſſeritur, quod eſt vera vel probabilis. In iis ergo terminis contendimus, quod eo ipſo de contraria aſſeritur, quod eſt falſa, ſiue improbabilis, quod neceſſariò contingit, nam iſta iudicans ſcit & ſupponit à parte rei aliam eſſe veram, aliam autem falſam & curat iudicare & agnoſcere in qua iſta, in qua verò illa qualitas ſit, vnde ſi alteri parti tribuit vnam, contrariæ debet & vult tribuere contrariam, quod ſi non facit, ſaltem cum formidine nihil iudicat & remanet dubius, quæ maximè aduertenda ſunt: nam ex contrario reſultant difficultates & perplexitates huius articuli & totius materiæ. Itaque in terminis exemplorum, in contrarium adductorum non ſcimus, aut ſupponimus alteram ex propoſitionibus eſſe veram à parte rei, alteram falſam; immo ſcimus vtramque falſam; In noſtris verò terminis ſcimus alteram à parte rei veram; vnde patet, quare in ſpecie exemplorum

exemplorum non tribuamus veritatem vni partium, falſitatem verò alteri, & qualiter per contrarium neceſſario id fiat in terminis, de quibus agimus. Sic omnino ſimiliter dicimus de alio exemplo adducto; ſcilicet: *Omnis occidens peccat*, &c. Conſtat ergo, quàm diſſimilia ſint exempla ad probandum quod intenditur.

57. Addebat idem vir ſapientiſſimus, quod licet probabile & non probabile opponantur contradictoriè, inde ſolum ſequi, quod vnum eorum poſſit prædicari de quocumque ſubiecto; ſed non ſequi, quod altero eorum exiſtente in aliquo ſubiecto, oporteat alterum eſſe in ſubiecto oppoſito. Nulla autem ratione, ſiue exemplo hæc dicta probat, vnde neque illis conformari poſſum, cùm contrarium mihi ſit compertum, & eo ipſo quod probabile & non probabile ſiue improbabile opponuntur, optimè conueniunt duobus contrariis ſubiectis, probabile ſcilicet huic, improbabile verò alteri & contrariæ parti. Addo dictis. Quod axioma eſt,

affirmatum de vno oppoſitorum, de altero negari; Ex regul. text. in l. ſi vt certo. §. ſi duobus vehiculum. ff. commodati. Ergo ſi probabilitas affirmatur de vna parte oppoſita, de altera per conſequens negatur. Deinde quæro, ſi ſumus in ſcrupulo, veluti rem noſtram fortè non eſſe, vel fortè contractum eſſe vſurarium, quidnam precor eſt pro parte contraria, nonne probabilitas? certè, vt probauimus ſupra ex Sayr. d. lib. 1. cap. 14. n. 1. & ex Soto de ſecreto. memb. 3. quæſt. 2. concl. 3. ergo per contrarium, quando ſumus in probabilitate vnius partis, pro contraria, ſiue circa illam in ſcrupulo, non in ſimili opinione ſumus. ¶ Tandem teſtor vniuerſos homines ſcientes diſcurrere & agnoſcere, quid intra ſe ſentiant, exceptis iis, qui doctrina probabilitatis vtriuſque partis ſunt imbuti: & dicant, an quando aliquam partem ſibi probabilem dicunt & iudicant, non ſimul iudicent contrariam improbabilem? An non vtantur termino, *probabiliter*, quando no-

babiliter vnam partem alteri præferunt & quaſi veram iudicant? An quando aliquid bonum iudicant non conſequenter contrarium iudicent malum? Num quando audimus aliquam partem eſſe improbabilem, non intelligimus contrariam eſſe probabilem? eodem igitur modo per contrarium intelligere debemus, quando vnam probabilem eſſe audimus. Ponuntur duæ gemmæ, ſi de hac dico: Iſta mihi probabiliter videtur vera, num non tacitè dico alteram eſſe probabiliter falſam, etiam ſi de ea nihil expreſsè aſſeram, quando ſcitur & ſupponitur, alteram eſſe veram, alteram falſam, licet incertum ſit & quæritur qualis vera, qualis autem falſa. Sanè argumentum noſtrum efficaciſſimum eſt & euidens & benè probatur ex text. in Clem. Ne Romani. de electione. §. Verùm. ibi, *Præſumendum eſt probabiliter, quod breuiter celebretur electio.* Et in Clem. Cauſam. eodem tit. §. Verum. ibi. *Poſſit veriſſimiliter peruenire.* Quæro igitur an dicendum ſit, quod Ponti-

ſex ſper. ns probabiliter electionem breuiter celebrandam, etiam probabiliter ſperabat eam differendã, an verò, quod pro improbabili habebat eſſe differendam. Certè res adeo patens eſt, vt ſuperfluum iam videatur illam amplius probare.

58. 6. *Probatur*, nam ſecundùm ipſos Auctores aſſertionis impugnatæ aliquando (mihi ſemper) ſumus in probabilitate vnius tantùm partis, quod expreſsè docet Suar. tom. 4. de pœnit. diſput. 22. ſect. 9. num. 4. & apertè agnoſcunt Sanch. d. lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 18. poſt medium, & cap. 10. num. 9. 36. 44. & 65. in fine, & de matrim. lib. 2. diſput. 44. quaſi per tot. Sayrus in Claũi reg. lib. 1. cap. 5. num. 1. & 2. & cap. 8. num. 3. Filliuc. tract. 19. cap. 2. num. 40. Monteſin. d. diſput. 29. num. 159. & ſequenti. Eminentiſſimus Cardin. de Lugo. de fide diſp. 5. ſect. 1. num. 18. Garc. de benef. p. 7. cap. 2. num. 24. & deducitur ex text. in cap. Inquiſitioni. de ſentent. excom. §. Verum. Dicant ergo &

exemplificent Auctores ſententiæ, quam impugnamus, quando debeamus dicere nos eſſe in probabilitate vnius tantùm partis, & quando in probabilitate vtriuſque: nam ſi dicant in probabilitate vnius tantùm partis nos eſſe, quando contrariæ nullam habemus formidinem, hoc dictum eſſet falſum; nam tunc eſſemus in certitudine, non autem ſolùm in opinione illius partis, ſin quando formidinem habemus, hoc ipſum ego aſſero eſſe opinionem, ſiue probabilitatem vnius tantùm partis. Sin tandem dicant in probabilitate vtriuſque partis eſſe, quando datur formido contrariæ & inſimul pro ea ſunt fundamenta, illamque æque vel magis probabilem reddentes. Replicabimus definitionem dicere eſſe aſſenſum vnius partis cum formidine contrariæ; vnde cùm id detur in opinione vnius partis, non ſolùm aliquando, ſed ſemper huic ſpeciei competit definitio, non verò illi, in qua ſimilia fundamenta conſiderantur pro parte contraria, ſic enim creſceret formido

in iuſtum metum, nec dici poteſt ita præſtari poſſe aſſenſum duabus partibus, ſicut vni & adeo fieri probabilia contraria per aſſenſum ita diuiſum inter duas partes, ac quando vni tantum datur ſciente & ſupponente operante, quod vni tantum verè præſtandus eſt, altera quippe (licet non agnoſcatur qualis) eſt aſſenſu indigna, vt pote falſa.

59. 7. *Probatur*, quia admittendo ambas contrarias partes eſſe probabiles, videlicet rem eſſe meam & non eſſe meam: Dari & non dari impedimentum matrimonij, &c. remouetur falſitas ab vtraque propoſitione, cùm tamen certum & indubitatum ſit in aliqua illarum eſſe, quod tamen non contingit, quando vna tantum partium probabilis eſt, tūc enim aſſignatur falſitas alteri partium, ſicut etiam contrariæ veritas, licet non firmiter, ſed probabiliter tantùm, id eſt cum formidine.

60. Reſpondebat Theologus ille ſapientiſſimus, *id eſſe verum de falſitate ſpeculatiua; ſeu à parte rei* (quia

ſcilicet illa verè datur in altera partium) *Non verò de falſitate practica, prout obiectum comparatur cum noſtra cognitione imperfecta.* At replicabam in hac re non attendi niſi ad modum, quo noſtra cognitio rem repræſentat, & ad propriam exiſtimationem, vt probauimus ſupra num. 4. & dicemus infra. Neque vllam aliam veritatem aut falſitatem ſpeculatiuam conſiderari, vtpote incognoſcibilem. Quæro autem an noſtra cognitio, quando neſcit in qua parte ſit falſitas, quia vtrique attribuit veritatem, dicatur eſſe in probabilitate vtriuſque partis, an verò in dubio? Nam noſtra cognitio non debet putare vel aſſerere illud, quod ſcit à parte rei implicare. Cùm ergo ſciat, à parte rei implicare, quod nulla pars contraria falſa ſit; non poteſt iudicare etiam probabiliter nullam contrariarum partium falſam eſſe. Poterit quidem aſſerere falſam, quæ fortè à parte rei vera eſt & per contrarium, quia hoc nihil implicat nec repugnat & ſolùm repugnat vtramque, etiam probabi-

Digitized by Google

biliter veram iudicare aut falſam. Quando ergo ſibi videtur eſſe illud, quod ſcit repugnare, verè nihil iudicat & eſt in proprio & vero dubio, non in probabilitate vtriuſque partis.

61. 8. *Probatur*, quia probabilitas cōparatur præſumptioni iuris, quam Sanch. d. lib. 1. cap. 10. num. 13. dicit probabilem coniecturam, & verè talis eſt, & includit formidinem, aliàs non præſumptio, ſed certitudo eſſet. At ius nunquam præſumit pro vtraque parte contraria, ſed pro vna tantùm. Ergo ſimiliter probabilitas, non poteſt dari pro vtraque parte contraria.

62. 9. *Probatur*, quia numquam Pontifices in iure canonico, neque Iuriſconſulti in ciuili, cùm referant opiniones, ſiue ſententias contrarias, dixerunt vtramque probabilem eſſe, & ſic hanc vel illam ſequi poſſe. Immo raro antiquiores ſcribentes id dixerunt, cùm hodie vix aliquid ſit, quod probabile non dicant, referentes pluras, ſententias & inter eas gra-

Digitized by Google

dus probabilitatis diſtribuendo. Confirmatur, quia Imperatores & etiam Iuriſconſulti poſteriores deciderunt controuerſias aliorum Iuriſconſultorum, bene agnoſcentes quod ſi contrariæ in Iure ponerentur, reſultaret dubium & nulla ſequi poſſet. Vnde Iuſtinian. in l. 2. Cod. de veteri iure enucleando, dixit nihil in iure contrarium reliquiſſe.

63. Reſpondebat Doctiſſimus ille Theologus, Innocentium tertium relatum in cap. literas. verſ. Nos autem. de reſtitut. ſpoliat. iudicaſſe probabiles tres diſcrepantes ſententias ibi relatas; ſiquidem, ait, nullam ex illis reprobare, neque alicui præiudicium inferre velle. Idem feciſſe Pontifices in aliis quæſtionibus, veluti in quæſtione de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis Matris relinquentes opiniones, ſiue ſententias contrarias intra terminos probabilitatis. Item legiſlatorem noſtrum Luſitanum ſatis cenſuiſſe, opiniones contrarias poſſe eſſe probabiles eo ipſo, quod opiniones appellauit. Verùm replicabam

me non dubitare in iure opiniones nominari, præcipuè pro ſententiis vſurpando; at aſſerere nulſibi vis dixiſſe, aut inſinuaſſe vtramque contrariam continere probabilitatem, & hanc vel illam ſequi poſſe. Deinde textum in d. cap. litteras, nihil probare: nam Pontifex non dicit vtramque ex illis ſententiis ſequi licere, & multo minus vtramque eſſe probabilem, quod etiam ſi diceret, nihil conuinceret ad propoſitum, nam explicandus eſſet, vt ſignificaret vtramque partem habere pro ſe rationes dignas aſſenſu, non autem quod aſſenſu vni cum effectu præſtito, iam contraria poſſet eſſe probabilis apud illum intellectum, bene tamen apud alium.

¶ Neque ſummos Pontifices dixiſſe probabiles opiniones contrarias circa conceptionem Beatæ Virginis, ſed tantùm illas non improbare, vnde potius concluditur, quod rem dubiam & indeciſam reliquerunt, quàm probabilem pro vtraque parte. Deinde licet vtramque probabilem dixiſſent, quod negamus, nihil aliud id

conuincere, niſi quod ſupra explicauimus, ſcilicet quod non temere ageret, qui iſtam, neque qui illam & contrariam ſequeretur, an non vtramque poſſe apud eundem intellectum verè probabilem eſſe, id eſt pro ſe habere aſſenſum. Sicut nos, quando ſumus in re dubia, non audemus dicere temerarium illum; qui iſtam vel illam partem, etiam firmiter aſſerit, at tunc verè nobis res dubia eſt. Aliud ergo noſtro argumento probare intendimus, videlicet ius nullum dixiſſe poſſe aliquem conſtitui in probabilitate vtriuſque partis, & ſic operari ſecundùm minus tutam; Immo textum in cap. Iuuenis. de ſponſal. & in cap. ſignificaſti: & 2. de Homicidio, & alios, in quibus ſtatuitur in dubiis tutius eligendum, ſatis oſtendere non poſſe dari probabilitatem pro vtraque parte, aliàs tales dicerentur illæ, de quibus ibi, quia, vt infra probabimus & expendemus, in caſibus illorum iurium pro vtraque parte rationes illas ſuadentes dabantur.

64. 10. *Probatur*, quia aliàs ſeque-

Digitized by Google

retur abſurdum, nam ſi contendentibus hinc, inde Doctoribus, tu dicas vel ſcribas vtramque eſſe probabilem, ſequeretur, quod te vno & eodem Auctore vtraque pars contraria ſe tueretur, & pro vtraque allegaberis, quod mirum eſſe dixit bene in ſimili Filin. in cap. Rodulphus. col. ante penult. de reſcript. Immo potius nulla partium te auctore tuebitur (quod non minus abſurdum eſt.) Nam eo ipſo, quod ambas approbas nulli auctoritatem adducis, hæc enim conſiſtit in prælatione quæ vni contra aliam tribuitur. Item ſequitur aliud inconueniens, nam te aſſerente circa factum modo hoc, modo contrarium, mendax diceris. Te verò conſulente circa ius Actori, videlicet, teſtamentum eſſe validum; Reo verò, idem teſtamentum eſſe nullum, improbus vel inſipiens meritò iudicaberis & nullus pro ſe tuam allegare poterit auctoritatem, eo ipſo, quod vtrique illam præſtas, etiam probabiliter tantùm.

65. Reſpondebat Theologus ille

eximius: *Non eſſe mirum approbari ab eodem, vtramque partem ſumptam practice, non ſpeculatiuè, neque per conſequens eſſe inconueniens; quod nullam iudicet falſam vel veram ſpeculatiuè, at practicè iudicare vtramque veram, quia iudicat ſecundùm vtramlibet poſſe operari ſine temeritate, formata ritè conſcientia practica iuxta illam, etiam ſi exiſtimet veritatem ſpeculatiuam eſſe in oppoſitum.* At quamuis iam ſupra ſimiles reſpondendi modos impugnauerim, quia tamen frequentiſſimè illa diſtinctione, practicè vel ſpeculatiuè, vtitur Doctor ille ad ſoluenda mea argumenta, hic demonſtrabo, qualiter illa diſtinctio ad noſtrum & ſimilia argumenta ſoluenda, nullam vim habeat & aliqua non tuta dicta reſponſio contineat. Iterum ergo aduerto, quod præſens controuerſia non adhuc eſt circa peccatum, nec an illud committatur in ſequenda vna duarum partium probabilium, ſed eſt, an poſſint apud eundem intellectum duæ partes contrariæ (quæ nihil adhuc commune habent, cum

peccato.) Veluti quod hoc teſtamentum eſt validum & non eſt validum: Quod datur & non datur impedimentum inter hos coniuges, poſſint ſimul ſtare, vt probabiles in eodem intellectu, eo ſcilicet vtrique aſſentiendo, quamuis non firmiter. Videamus ergo, vtrum ad propoſitum applicari poſſit dicta diſtinctio? Pro quo iterum ad memoriam reduco, quod dixi ſupra hoc cap. num. 35. hic addens, quod in ſpecie de qua agimus, nihil practicum, nihil etiam ſpeculatiuum dici poteſt, cùm ſit vna & ſimplex quæſtio, hic & nunc & vna tantùm aſſertio, vnum iudicium, non alterum circa rei naturam, alterum circa operationem, qualiter eſſe debuerat, vt aliquo modo poſſet conuenire dicta diſtinctio, quam etiam indicto ſenſu latiſſimè improbauimus cap. præcedenti à num. 35. Cùm ergo quæritur qualis ſit rei natura, id eſt an validum, an inualidum ſit teſtamentum & hoc in tua exiſtimatione & ſentiendi modo (non enim ad amplius, vtpote tibi impoſſibile &

ognoſcibile obligaris) qualiter ap-
reſpondes : practicè tibi vtrum-
e verum, quid hic, precor, ſignifi-
, *practicè*, quale autem eſt huius
ıctici *ſpeculatiuum* ? Sanè Doctor
: eximius tranſitum fecit vlterius
conſcientiam & reſolutionem cir-
peccatum, vt diſtinctioni locum
ıenirent. At aduertere debuit nos
illo adhuc non tractare & aliud
ıgè diuerſum controuertere, circa
od nullo modo prædicta diſtinctio
:um habere poteſt. ¶ Dixi, paulo
ɔra : non omnia illius reſponſionis
è tuta, quia tale non puto illud,
od addit, ſcilicet ; *licet exiſtimet
ritatem ſpeculatiuam eſſe in oppoſi-
m.* Nam à veritate ſpeculatiua pen-
t omnino formatio conſcientiæ, ita
illam non poſſimus formare, v. g.
ère rem petere vel legatum, ſi ſci-
ıs rem eſſe alienam vel teſtamen-
m inualidum, quæ, ad veritatem
eculatiuam dicuntur pertinere,
eò, vt neque quando dubitamus de
ritate ſpeculatiua nobis per viam
gulæ liceat formare Conſcientiam

non peccare, quod latè probabimus infra cap. 3. Vnde multo minus licere debet quando conſtat de veritate ſpeculatiua in contrarium. Manet ergo dictam reſponſionem nullo modo elidere vim noſtri argumenti.

66. *Et in effectu* duas partes contrarias non poſſe ambas eſſe probabiles apud eundem intellectum tenet Cornejo 1. 2. tract. 8. circa quæſtionem 19. diſp. 13. dub. 1. Caſtro Palao d. diſput. 2. puncto 2. num. 4. Idem obiter, quaſi ab ipſa natura cōpulſi, agnouerunt ipſi contrariæ ſententiæ, ſiue potius ſuppoſitionis defenſores. Monteſin. 1. 2. diſput. 29. quæſt. 5. num. 153. dicens poſſe dari in diuerſis hominibus, ſiue in eodem ſucceſſiuè, ſic intelligens, pro eodem tempore, non poſſe dari in eodem homine, & num. 152. vbi dicit, opinantem probabiliter, habere aſſenſum determinatum vnius partis. Sanchez d. cap. 9. num. 18. ibi, *illius partis cui aſſentitur*. Lorca 1. 2. diſp. 39. verſ. ſed nihilominus, dicens, quod licet vtraque pars non poſſit eſſe pro-

babilis, poteſt tamen talis videri, & alij citati ſupra num. 58. qui agnouerunt probabilitatem pro vna tantùm parte, in quo, ſi perſiſterent, ceſſaret noſter labor. ¶ Vir quidam & Magiſter ſapientiſſimus, cui inter alios harum obſeruationum copiam feci, faſſus eſt & agnouit ingenuè, nullo modo fieri poſſe duas contrarias partes actualiter probabiles, eſſe apud eundem intellectum illis aſſentientem, addens id ſentire ſaniores Theologos. Quod non complacendi ſtudio faſſus fuit, nam in effectu aliam aſſignauit viam, vt ſequi poſſet doctrina communis, quam impugno, de illa via agemus infra. Etiam vir alter Doctiſſimus cuius impugnationes frequenter refero, ſæpè faſſus eſt, circa ſpeculatiuum non poſſe duas partes eſſe probabiles, at ſtatim aliis modis declarabat, ſi ego illud mihi ſufficere replicabam.

67. *Ego quidem* duo aſſeram. 1. adeo intellectui, & naturali rationi repugnare traditionem, quam impugno, vt audeam aſſerere, quod numquam

plures intellectus in eam conuenire poſſent, ſi alios eam docentes vel ſupponentes non audiuiſſent, aut legiſſent. At alij alios ſequentes & magis iam communem videntes, potius aliorum auctoritate, quàm proprio iudicio ducti, vt plurimum idem amplectuntur. Eo vel maximè quia ad magna volumina ædenda properantes, non licet pro qualibet aſſertione examinanda immorari, quod longum eſt & faſtidioſum, nec facilè, ſed difficillimum eſt noua quærere fundamenta ad nouas opiniones, licet euidentiſſimas comprobandas & receptas euertendas.

68. *Secundum eſt*, non eſſe credendum, ſcribentes intellexiſſe poſſe præſtari aſſenſum vtrique parti contrariæ in ſenſu, quem impugnamus, ſed in eo tantùm, quod ſcilicet vtraque pars habet pro ſe fundamenta non contemnenda, quo modo poſſent omnes intelligi & explicari, (in quo quidem ſenſu nullam dari contradictionem, ſiue repugnantiam faſſi ſumus ſupra hoc cap. num. 42.) Niſi

oſi ſtatim confunderent non obſer-
antes dictam diſtinctionem , ſed
quaſi obiter & ſuppoſitiuè traden-
es, quod impugnamus, quod ſi in
ictam diſtinctionem conueniremus,
olum reſtaret probandum, cum tali
pecie abuſiuæ probabilitatis operari
on licere, quod infra oſtendemus.

9. *Tandem omnes* ferè Auctores
mpugnatæ traditionis agnoſcunt dif-
cultatem incidendi in duos aſſenſus
ontradictorios , cui difficultati &
uidem maximæ , vt occurrerent, di-
iſi ſunt in duas principaliores ſen-
entias: altera dictat non poſſe eun-
em intellectum per propria, & in-
rinſeca rei principia iudicare vtram-
ue opinionem probabilem, quia id
ſet , intellectum duobus contradi-
toriis aſſentiri ; At bene poſſe per
xtrinſeca principia, id eſt Doctorum
uctoritatem iudicare contrariam
ententiam eſſe probabilem ; huius
ententiæ auctor eſt Vaſq. 1. 2. q.
9. diſp. 62. cap. 3. num. 10. quem
lures ſequuntur , quos non refero,
eque explico, quæ dicantur princi-

pia intrinſeca, eſt enim notum, & non eſt noſtri inſtituti circa ſimilia immorari. Altera ſententia dictat etiam per intrinſeca principia fieri poſſe, eundem intellectum vtramque opinionem probabilem & alteram probabiliorem iudicare, huius Auctor eſt Sanch. d. lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 12. quem poſtea ſecuti ſunt plures.

70. *Verum neque* vno, neque alio modo probabilitatem vtriuſque partis contingere poſſe apud eundem intellectum, mihi ex dictis compertiſſimum eſt, & tenet Caſtro Palao d. diſp. 2. puncto 2. num. 4. & quidem aduerſus ſententiam Sancij, quæ abſolutè contrarium aſſerit, obſtat 1. aduerſariorum ſententia. 2. obſtant omnia ſupra conſiderata fundamenta. 3. quod ipſe ibidem ſentit vtramque partem poſſe eſſe incertam, quod vel verum non eſt, quia aliàs per contrarium vtraque poſſet eſſe certa, quod nemo ducet: vel illa incertitudo reſoluitur in dubium, quod verius eſt, non autem in probabilitatem

vtriuſque partis. 4. quia rationes ab eodem adductæ ſolùm conuincunt poſſe nobis videri veram vtramque partem, & neque iſtam ita certam eſſe, quin alia probabiliter ſuſtineri valeat. Quod quidem paſſim contingere nullatenus dubito, at aſſero, vel hanc probabilitatem eſſe abuſiuam, illam, ſcilicet, quæ nihil aliud importat niſi, quod vtraque pars habet pro ſe fundamenta non parui momenti, quæ nullo modo ſufficit ad operandum; vel reſolui in verum & proprium dubium iuxta dicenda & probanda infra. Aut ergo contra doctrinam Sancij obſtant vniuerſa ſupra conſiderata; aut ſi eſt intelligenda de dicto probabilitatis abuſiuo modo, nos illam admittimus, at corruit doctrina ſuper illa fundata, quod ſcilicet liceat cum illa probabilitate operari, nam nullo modo licet, vt paulò infra probabimus.

71. *Neque etiam* difficultas ceſſat, per illam diſtinctionem Vaſq. & ſequacium, inter principia intrinſeca & extrinſeca: Nam 1. noto, quod

retenta illa ſententia non poteſt dari, aut conſiderari probabilitas pro vtraque parte in quæſtionibus facti, ſiue iuris, pro quibus Doctores non inueniuntur, quæ plurimæ ſunt, & tamen illius ſententiæ defenſores non aduertunt, neque reſoluunt quid agendum, quando aliæ rationes dictant rem eſſe alienam, vel impedimentum dari inter me & coniugem, vel teſtamentum Titij nullum fuiſſe, aliæ verò ſimiles contrarium? an dicar in probabilitatem alicuius illarum partium, & qualis conſtitutus, an verò in dubio vel qualiter tunc formare debeam conſcientiam, an licere petere vel retinere rem vel legatum, vel matrimonio vti: an vero per cõtrarium? Deinde notabiliter aduerto, quod neque etiam cum dicta diſtinctione concedunt ipſius ſententiæ defenſores ſtare poſſe aſſenſum etiam probabilem, dictantem, v. g. eligens minus dignum tenetur reſtituere digniori & contrarium, ſcilicet: Eligens minus dignum non tenetur reſtituere digniori; hoc enim eſſet habere aſſen-

ſus contradictorios, ſed tantùm poſſe eundem intellectum habere aſſenſum diuerſæ propoſitionis, ſcilicet per intrinſeca principia. Probabilis eſt opinio, quæ dicit eligentem minus dignum non teneri reſtituere digniori, quia hæc propoſitio non eſt contradictoria illius, quæ dictat: eligens minus dignum tenetur reſtituere digniori, ita Vaſq. citato loco; Sayr. d. lib. 1. cap. 5. num. 3. Caſtro Palao d. tract. 1. diſput. 2. puncto 2. num. 4. Quæ quidem ſententia ſic declarata tollit quidem omnino difficultatem in ea parte, qua aſſenſus contradictorij conſiderantur, ſic enim prorſus ceſſant; At incidit in aliud & patens inconueniens, quod ſcilicet eo modo non habemus veram probabilitatem ad operandum requiſitam, vt bene aduertit Caſtro Palao d. num. 4. dicens, iudicium illud ſcilicet: Probabile eſt me non eſſe obligatum, vel plures ſentiunt me non eſſe obligatum reſtituere, inſufficiens eſſe ad operandum, immo debere me ipſum ſentire, non eſſe obli-

gatum: Hoc autem dato iam eſſe aſſenſum contradictorium illius, quem habebam per principia intrinſeca, ſcilicet me eſſe obligatum reſtituere, quod omnino certum credo.

72. *Alij aliter* hæc intelligere videntur, ſcilicet non poſſe vtramque partem contrariam probabilem eſſe; at poſſe talem videri, vt dixit Lorca 1. 2. diſput. 39. verſ. ſed nihilominus. Alij autem videntur exiſtimare, probabilitatem eſſe quid diuerſum ab aſſenſu opinatiuo, & eam definiunt alio modo, dicentes eſſe illam opinionem, quæ pro ſe habet rationes alicuius momenti, dummodo in contrarium nihil ſit conuincens, ita Sanch. d. cap. 9. num. 6. & Filliuc. d. cap. 4. num. 133. & alij paſſim. Hi autem totum ſenſum opinionis dirigunt in ſententias Doctorum, quarum aliæ poſſunt eſſe probabiles dicto modo, aliæ verò improbabiles, vera autem opinio, id eſt aſſenſus alicuius partis, nullo modo poteſt eſſe improbabilis, ſed idem eſt, ac probabilitas, & hæc idem quod opinio, vt probaui ſupra

hoc

hoc cap. num. 6. & eſt manifeſtum. Alij probabilitatem appellant ipſam apparentiam veritatis, quæ pro vtraque parte datur aliquando; Ita doctus quidam Theologus, qui cum Lorca ſupra citato conuenire videtur.

73. *Verum licet* omnes iſti modi intelligendi & alij ſimiles oſtendant, in talibus ſpeciebus probabilitatum non dari repugnantiam, & poſſe ſtare in eodem intellectu pro vtraque parte contraria, tamen clariſſimum eſt, eas nihil commune habere cum vera opinione, ſiue probabilitate, quod iam ſupra innuimus, & hic iterum & amplius probabimus. Et conſtat quia intellectus, qui videt pro vtraque parte rationes non indignas aſſenſu, adhuc non eſt in opinione, id eſt aſſenſu alicuius, ſed ſe præparans & deliberans ad aſſenſum præbendú, quem ſi vni præſtat, ſcilicet negatiuæ, v.g. contractum non eſſe vſurarium, iam affirmatiuæ præſtare non poteſt, aliàs eſſent manifeſtè contradictorij aſſenſus. Antequam autem præſtetur

aſſenſus ſolum dici poteſt, quod præſtatur non ipſi aſſertioni, quod eſt vel non vſurarius contractus, ſed illi partibus contrariis, ſcilicet hæc pars habet pro ſe rationes & ſimiliter contraria. Non ergo iudicat etiam cum formidine, an contractus ſit vel non ſit vſurarius, ſed, quod partes illæ habent pro ſe rationes alicuius momenti. Videas ergo an idem ſit iudicare de meritis partium, & de veritate quæſtionis circa quam ipſæ partes verſantur: & an non ſit diuerſiſſimum dicere: hic contractus eſt vſurarius, ab eo ſcilicet: Rationes alicuius momenti ſuadent hunc contractum eſſe vſurarium? Vltimum quidem bene dici poteſt de vtraque parte contraria, non ſic primum. Deinde in tali ſpecie, cur diceretur operari cum probabilitate, ſiue opinione probabili, num ille aſſenſus, ſcilicet, quod partes habent pro ſe fundamenta alicuius momenti, non eſt certus & euidens? vt benè aduertit Caſtro Palao d. tract. 1. diſp. 2. puncto 2. num. 4. Sanè huiuſmodi abu-

ſiua acceptio probabilitatis impropriæ & apparentis, pro vera & propria, (quæ conſiſtit in aſſenſu vnius partis, & eſt iudicium licet formidoloſum ſuper ipſa quæſtione, quæ intellectui decidenda proponitur) plures decepit, præcipue illos, qui nihil aliud putant eſſe opinionem, niſi ſententiam Doctorum, in qua quaſi infixam ſupponunt probabilitaté, quod ſi exempla proponant, vt ſemper precor, in quæſtionibus facti, ſiue iuris, in quibus Doctores non inueniuntur, facilius illis patebit, quàm abuſiua & impropria ſit illa probabilitas, & qualiter verum dubium producat circa quæſtionem, de qua dicenda agitur.

74. *Quod autem* prædicta ſpecies probabilitatis non ſufficiat ad deducendum dictamen, & formandam conſcientiam licere, v.g. contractum vel matrimonium celebrare, quando, vt dictum eſt, non iudico illum non eſſe vſurarium vel impedimentum non dari, ſed tantùm, quod rationes, ſiue auctoritates dantur pro parte id di-

ctante, patet 1. quia indicta ſpecie non habemus aliquem aſſenſum, non eſſe vſurarium contractum vel impedimentum non dari, & ſic non decidimus antecedens à quo pendet formatio conſcientiæ, vnde illam dicto modo formare non poſſumus. 2. quia videmus in contrarium, ſcilicet, quod contractus non eſt vſurarius, aliàs ſimiles rationes, vnde non eſt cur præferamus illas, quas ſequentes deducamus conſcientiam ſecundùm minùs tutam partem, vt probabimus infra num. 102. 3. quia negari non poteſt, quod valdè diuerſi ſunt termini, & longè diſpar cauſa inter caſum, quo aſſentimur vni tantùm parti, veluti contractum non eſſe vſurarium vel impedimentum non dari, non autem contrariæ, cuius tantùm formidinem habemus & inter caſum, quo vtrique aſſentimur, ſiue potius aſſentiri videmur: Nam in priori caſu multò magis illa præfertur & quaſi vera habetur. At qui etiam in dictis terminis plures antiquiorum Doctorum negarunt ſpernendam dictam

formidinem, vel licere ex anteceden- ti non firmiter & certo iudicato, deducere, dictamen licere, v. g. contractum illum celebrare, vt ſupra num. 18. diximus; ergo, non eſt negandum in adeo diſpari ſaltem cauſa, illam ſententiam habere locum. 4. quia, vt infra probabimus dicto num. 102. etiam conceſſo, quod poſſet dari vera probabilitas pro vtraque parte, nihilominus non liceret in talibus terminis formare conſcientiam, licere operari ſecundum minus tutam partem, ergo multò minus formanda eſt, quando pro vtraque parte conſideratur dicta abuſiua, & impropria probabilitas. 5. quia, ſi ſufficeret dari rationes pro aliqua parte, vt ſine aſſenſu illius propoſitionis poſſemus illam prudenter ſequi, reſultaret abſurdum, nam pro quo, precor, errore non dantur alicuius momenti rationes? 6. quia ſi huiuſmodi probabilitatis ſpecies ſufficeret ad operandum, ſequeretur, quod per huiuſmodi viam & circuitum conſequeremur illud, quod via recta con-

ſequi non poſſumus, facta videlicet per dictum circuitum probabili vtraque parte, quod directè per aſſenſum vtriuſque partis fieri nequit, vt probauimus ſupra à num. 38. Quæ dicta ſunt in effectu probat, non tamen ſic plura conſiderans, aut expendens fundamenta Caſtro Palao d. tract. 1. diſput. 2. puncto 2. num. 4. dicens prædictam impropriam probabilitatem non ſufficere ad operandum. Neque dicas ſequi licere illam partem, quæ dicto modo probabilis eſt, quia in contrarium nihil eſt conuincens. Vel quod licet dubium detur ſpeculatiuum, datur tamen certitudo practica: Nam huiuſmodi euaſiones impugnabimus infra variis locis.

75. Neque etiam ceſſat prædicta principalis difficultas duorum aſſenſuum contradictoriorum, per ea quæ ſcripſit Lorca 1. 2. dicta diſput. 39. verſ. ſed nihilominus, dicens & probare contendens aſſenſum probabilem non repugnare cum alio, & contrario etiam probabili, ſicut pugnat verum cum falſo, & adducens exem-

plum duorum contrariorum, qui poſſunt eſſe in eodem ſubiecto in gradibus remiſſis. Nam reſpondetur, quod ſi frigus & calor concurrant in eodem ſubiecto, ſi calor notabiliter præualeat, dicetur ſubiectum calidum & per contrarium, ſi contraria qualitas præualeat. Sin autem pro gradibus æqualibus vel ferè concurrant, tepidum, non autem calidum & frigidum dicetur. Sic in propoſito, ſi veritas alicuius partis præponderet notabiliter, illa dicetur probabilis non contraria, ſi verò veritas & falſitas in aliqua propoſitione concurrere videantur in gradibus remiſſis, non dicetur propoſitio vera & falſa, ſed dubium verum reſultabit, ſicut quando duorum contrariorum mixtura inuenitur in aliquo ſubiecto, nam eo ipſo, quod qualitates contrariæ in eo concurrunt, dubitatur cuius ſit qualitatis; Vnde hanc Lorcæ ſolutionem merito impugnat Monteſin. d. diſp. 29. num. 165.

76. Minui valet, quod ait idem Monteſin. d. diſput. 29. quæſt. 5.

num. 168. putans facillimo negotio diſſolui difficultatem, de qua agimus aduertendo nullam contradictionem continere: hoc eſt probabile & hoc, id eſt contrarium, etiam probabile eſt; Nam replicatur illud veriſſimum eſſe, vt ſupra non ſemel faſſi ſumus. Immo nullam contradictionem inuoluere: hoc eſt certum & hoc, id eſt contrarium eſt certum, nam contradictio ſolum eſt, quando dicitur hoc eſt certum, & hoc idem non eſt certum, veluti iſte contractus eſt vſurarius, & hic idem contractus non eſt vſurarius. At licet non detur contradictio inter propoſitiones illas, tamen ſtare non poſſunt, cùm ſciamus & ſupponamus alteram ex illis falſam eſſe, alteram veram, licet non agnoſcamus liquido qualis vera, qualis autem falſa ſit. Deinde reſpondetur, quod ſi propoſitiones aſſerantur eo modo, quo debent, vt ad propoſitum aliquid conuincant, contradictorias reddi. Veluti: Hunc contractum eſſe vſurarium, & non eſſe vſurarium, quod repugnantiam & con-

tradictionem continet, etiam ſi vtrumque probabiliter tantùm aſſeratur, non aliter, ac ſi dicerem. Probabiliter puto, vel credo nauem ex India veniſſe. Et ſimiliter probabiliter credo non veniſſe, eſt enim dicere veniſſe, ac non veniſſe, quamuis probabiliter tantùm id eſt cum formidine ſit dictum.

77. Non magis difficultas ceſſat per id, quod reſpondebat vir quidam in Theologia doctiſſimus, dicens, quod licet fateretur pro vtraque parte contraria, dari ſimul non poſſe aſſenſum opinatiuum, tamen iudicantem pro vtraque parte dari probabilitatem (intelligit cum Monteſin. ſupra citato num. 167. probabilitatem aliud eſſe diuerſum ab aſſenſu, & conſiſtere in cognitione fundamentorum, & rationum non parui momenti, quæ ſunt pro vtraque parte) facilè poſſe ex imperio voluntatis alteri, modo & alteri, id eſt contrariæ, poſtea aſſentiri, & ſicut potens eſt voluntas mouere intellectum, vt ex duobus æqualibus bonis vnum præeligat, ſic

Digitized by Google

potens eſt mouere intellectum, vt ex duobus æqualiter veris apparentibus, alteri modo, alteri poſtmodum aſſentiatur. Et rectè dicit eſſe in aſſenſu vtriuſque partis illum, qui eſt in potentia proxima habili & expedita, vt aſſenſum præſtet parti, cui maluerit, & iuxta quam maluerit operetur, quod quidem non deficebatur eſſe ex mente Monteſini 1. 2. diſp. 29. quæſt. 5. num. 164. quod etiam ſentire videtur num. 152. Nam replicatur ex dictis nullo modo probabilem eſſe vtramque partem, vera probabilitate, antequam aſſenſus alicui parti præſtetur, eo autem vni parti conceſſo, iam alteri præſtari non poſſe, niſi ex noua cauſa, quæ ſuadeat aſſenſum alteri parti, non illi pro qua erat debeti: Neque hæc fieri pro voluntatis imperio, neque enim video qualiter voluntas poſſit mouere intellectum ad credendum illud, quod, vt ſupponimus, non credit; ſi enim credit, quia voluntas inclinat inſenſibiliter, & incognoſcibiliter intellectum ad credendum, quod operanti magis

placet, iam perperam ſupponimus quod intellectus aliter intelligit, & voluntas eum mouet, vt credat, quod ille non credit. Abſurdum ergo videtur dicere, quod poſſum, quia volo aliquid intelligere aliter, quàm verè & naturaliter intellectus proponit, quod quidem, ſi fieri poſſet, eſſet quoque in noſtra poteſtate dicere: Nolo de hoc dubitare, ſed pro probabili habere, vel nolo id tantùm probabile, ſed certum credere, quod nemo aſſeret poſſe fieri. Tandem, vt ſupponimus, voluntas non vult imperare intellectui, ſed ab eo edoceri petit, quid bonum, quid verò malum ſit, vt hoc fugiat & illud amplectatur, vnde perperam ſupponitur illam prætendere imperare intellectui, quod tamen ſi vellet, non poſſet conſequi, quod in effectu agnouit idem Monteſin. d. diſput. 29. quæſt. 5. num. 152. & melius num. 263. Caſtro Palao d. tract. 1. diſput. 2. puncto 2. num. 1. Layman. Theolog. moral. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 2. verſ. Notandum. & tract. 2. cap. 2. num. 6.

Digitized by Google

poſt Vaſq. 1. 2. d. quæſt. 19. diſput. 66. cap. 2. num. 9. melius diſp. 67. cap. 1. num. 3. & 4. optimè contra Caietan. Lorca 1. 2. diſput. 40. in princip. Vaſq. d. diſput. 66. cap. 1. num. 3. Monteſin. d. diſp. 29. num. 263. citans Ariſtotel. in 3. de Anima, dicentem non eſſe in poteſtate noſtra opinari vel non opinari. Meliùs & recenter Arriaga 1. 2. tom. 3. diſput. 24. num. 29. prorſus negans voluntati huiuſmodi imperium. Quando igitur pro vtraque parte intellectus videt rationes, cùm ſciat à parte rei alteram falſam eſſe, vel naturaliter alicui notabiliter inclinatur, & illi aſſentitur, cum formidine, quod ſi facit ſibi probabilis eſt illa pars, non contraria. Sin autem nulli notabiliter inclinatùr, in vero dubio eſt, quænam vera ſit, quænam falſa, vnde non poteſt dici, quod ex duobus bonis vnum eligit, probabilitas enim nihil ex ſe boni habet, ſed tantùm quatenus oſtendit partem veram, illa autem quæ vtramque veram oſtendit, non poteſt eſſe non fallax, cùm

ſciamus à parte rei alteram eſſe falſam, & non minus nos inducere in periculum, quando vtramque veram oſtendit, quam quando vtramque falſam, adeo enim exponimur periculo eligendi falſam, quando vtramque veram repræſentat, ac ſorti eligendi veram, quando vtramque falſam proponit, vnde nullo modo competit exemplum de eligente vnum ex duobus æqualibus bonis, nec ſolutio, quam impugnamus vim aliquam habet.

78. Neque etiam difficultas, de qua agimus, modo vllo ceſſat, per ea, quæ de depoſitione alterius partis conſiderarunt illi quos tacito nomine citat, at nec ſequitur, nec reprobat in ſubſtantia. Azor. moral. d. lib. 2. cap. 17. num. 7. Caſtro Palao d. tract. 1. diſput. 2. puncto 2. num. 4. ibi. *Quapropter cùm ſecundum opinionem aliorum, vis ſoperari iudicium tuum probabile, de obligatione ſuſpendere debes & potes, cùm non ſit euidens & clarum, & conſequenter non neceſſario rapiens intellectum*; & allegat

Sanch. Nam vel iſta depoſitio fit naturaliter & ex iuſtis cauſis, & tunc non eſt in conſideratione, quod antea eſſes in contraria opinione, & ſuccedunt dicta ſupra cap. 1. num. 11. & in effectu remanes in opinione, ſiue probabilitate, id eſt aſſenſu probabili vnius tantùm partis, quod nos fieri poſſe non negamus. Vel depoſitio illa fit pro libito, & ad imperium voluntatis, & hoc aſſerere eſt ludere verbis, & contra dicta, & probata numero præcedenti, & d. cap. 1. num. 9. Quibus addo, quod ſi talis depoſitio fieri poſſet, melius eſſet, & facilius non aſſumere opinionem illius partis, quam aſſumptam deponere. Item, quod altera depoſita, non ſolum probabilis, ſed certa contraria remaneret, nam, vt plurimùm, ſecundum dicta ſupra hoc cap. num. 44. ideo frequenter probabilis tantùm, non autem certa nobis fit pars aliqua, quia ſcilicet fundamenta aliqua, quæ pro contraria ſunt, non ſinunt nos peruenire in certitudinem illius, cui aſſentimur, licet illa pro ſe haberet

fundamenta ſufficientia ad illam reddendam certam, niſi adeſſent fundamenta, quæ pro contraria faciunt. Si ergo circa iſtam ſuſpendimus intellectum, illi contraria, non ſolum probabilis, ſed certa ſæpè remanebit. Vnde non eſt dicendum illud, ex quo tot abſurda ſequerentur.

§. III.

Probatur verè eſſe in dubio illum, qui vtramque contradictionis partem probabilem exiſtimat.

79. AD *clariorem* probationem prædictæ veræ aſſertionis, præmittendum eſt. 1. Dubium tunc eſſe quando intellectus pendet in æquilibrio in neutram partem potius inclinans. Ita definiunt Sanch. in in Decalog. d. lib. 1. cap. 9. num. 2. & de matrim. d. lib. 2. diſp. 41. num. 2. Bonacin. d. 2. tomo diſp. 2. quæſt. 4. puncto 6. à num. 3. Aduertendo, quod licet intellectus aliquam propenſionem habeat ad aliquam partium contrariarum, ſi tamen partia

fuerit, non deſinet eſſe dubium, neque tranſibit in opinionem, ſiue probabilitatem, ad hanc enim requiritur maxima & notabilis propenſio, quæ in effectu ſit aſſenſus, quod notant Sanch. d. lib. 1. cap. 10. num. 4. Filliuc. d. tract. 21. cap. 4. num. 174. Banac. d. quæſt. 4. puncto 7. num. 1. Reducendo quoque ad memoriam, quod admonuimus & probauimus ſupra num. 44. ſcilicet fundamenta vel auctoritates, quæ conſiderantur pro altera parte, pro ſua vi deſtruere ſimiles auctoritates vel fundamenta, quæ ſunt pro altera & contraria parte, & ab iis ad inuicem illam deſtrui vel elidi, addendo hic aliud exemplum, ſcilicet: heri pro certo habui Anglos iam receſſiſſe à portu Olyſiponenſi, quia duos fide dignos de hoc teſtificantes audiui. Hodie autem omnino incertus ſum de veritate illius aſſertionis & ſic in dubio, quia duos alios æque fide dignos, contrarium teſtificantes audiui. Vnde ergo venit incertitudo & reſultauit dubium, niſi ex eo, quod horum aucto-

Digitized by Google

ritas illorum auctoritatem & fidem deſtruit, ſicut ab illis ad inuicem deſtruitur & infringitur.

80. *Probatur* ergo noſtra aſſertio: Nam tunc verè contingit æquilibrium intellectus, quando æqualiter vel ferè vtramque partem contrariam probabilem exiſtimat & dignam aſſenſu. Et patet exemplo libræ materialis (ex qua deducitur metaphora ad æquilibrium intellectus) nam non minus reſultat æquilibrium, quando in vtraque lance æquale, ac quando in nulla pondus eſt. Vnde etiam ſi fieri poſſet, quod vtrique parti præſtaretur aſſenſus, reſultaret æquilibrium & per conſequens dubium.

81. Reſpondebat Doctiſſimus ille Theologus, & magiſter Conimbricenſis, concedere dicta procedere in dubio latè ſumpto, non autem in dubio ſtrictè ſumpto, & per conſequens illud, non hoc reſultare in dicta ſpecie & addebat: *Oportet tamen aduertere circa quid maneat dubius, qui vtramque opinionis partem iudicat probabilem, vt appareat non eſſe inconue-*

Digitized by Google

niens, vt ſic ſit dubius. Eſt ergo dubius de ſtatu obiecti à parte rei, quod eſt eſſe dubium ſpeculatiuè: ſed non eſt dubius de ſtatu eius comparati cum noſtra cognitione imperfecta, quia certus eſt vtramlibet partem poſſe à nobis iudicari veram, ſine temeritate, quod eſt eſſe certum practicè, & hoc ſufficit ad licitè operandum iuxta vtramlibet partem.

82. Replicabam multipliciter: 1. definitionem dubij ſupra traditam, & ſimilitudinem æquilibrij competere vero & proprio dubio, & illi aſſignari à Doctoribus, non autem dubio latè ſumpto pro incertitudine, quæ in opinione includitur, ſi quidem eſt aſſenſus non firmus aut certus: Nam opinio licet aliquid dubij vel incertitudinis contineat, cum tamen parum ſit & multum certitudinis, neque poteſt, neque ſolet dubium appellari, ſed ſuum propriũ nomen habet, vnde definitio & ſimilitudo adducta verò, & ſtrictè ſumpto dubio competere non eſt dubitandum. 2. Notabam terminos; *ſpeculatiuè*, & *practicè*, in dicta reſponſione accipi, in ſenſu maximè diuerſo ab eo, quo ſolet accipi,

ſcilicet *ſpeculatiuè*, id eſt in vniuerſum & in communi. *Practicè*, id eſt in particulari, & hic & nunc, vt diximus & explicauimus d. cap. 1. num. 36. Indicta verò reſponſione, *ſpeculatiuè*, ſignificat veritatem à parte rei, etiam hic & nunc de hac quæſtione in particulari; *Practicè* verò ſignificat, quoad peccatum & conſcientiam, ita vt ſit ſenſus: qui dubitat *ſpeculatiuè*, v. g. an verè & à parte rei detur vel non, impedimentum matrimonij, vel an teſtamentum à parte rei validum ſit, non dubitat, immo certus eſt practicè ſibi licere contrahere matrimonium vel legatum petere. At, precor, dicat aliquis, qualem proprietatem contineant dicti termini ad ſignificanda, quæ proximè expoſuimus. Num *practicè* non ſignificat in particulari, & in ordine ad operandum etiam in iis rebus vel actionibus, in quibus non conſideratur peccatum, licitum vel illicitum, ſicut ſcientia vel ars, aut eſt ſpeculatiua, aut practica illa, quæ in generali docet, hæc quæ in particulari, & dat

formam ad operandum; conſulendum, iudicandum? Quare ergo dicitur *Practicè*, id eſt licitè & ſine peccato? ¶ At ad rei ſubſtantiam iam veniamus. Dicit reſponſio, de qua agimus, quod ille qui vtramque partem contrariam iudicat probabilem, eſt dubius de ſtatu obiecti à parte rei, non autem eſt dubius de ſtatu eius comparati cum noſtra cognitione imperfecta, quia certus eſt, &c. At obſtat, quia ſi certus eſt circa hoc & dubius circa illud, non eſt vnde dicatur eſſe in opinione, ſiue in probabilitate. Deinde iam ſupra num. 60. diximus cognitionem noſtram, licet imperfectam eſſe attendendam, & hanc nobis aliqua proponere certa (id eſt quantùm ad ſuam exiſtimationem, quæ & nihil aliud attenditur) à parte rei. Aliqua probabilia, id eſt, vnum certum (cum formidine tamen) & contrarium falſum: Aliqua tandem dubia, ſcilicet, non audente intellectu, propter inſufficientiam fundamentorũ, vel propter contrarietatem eorum, hanc partem veram, ac

contrariam falſam iudicare. Vnde non video, quid ſecum afferat hæc noſtræ imperfectæ cognitionis conſideratio. Tandem mihi ad intentum prorſus ſufficit, quod non negetur illum eſſe in dubio ſpeculatiuo, ſic enim conceſſum remanet in dubio eſſe circa illam quæſtionem ſpeculatiuam, an res ſit ſua, an teſtamentum ſit validum, an detur impedimentum matrimonij, illum, qui vtramque partem dictarum quæſtionum probabilem iudicat. Dato autem, quod ſit dubius ſpeculatiuè, id eſt circa antecedens à quo pendet an rem vel legatum retinere, vel petere liceat, vel matrimonium contrahere, ſequitur illum debere ſe gerere, tamquam in dubio, non tamquam in opinione, ſiue probabilitate conſtitutum, & ſic regulariter debere ſequi tutius, & formare conſcientiam, non licere, nam vt ſupra cap. 1. num. 27. admonuimus & probauimus, & adhuc dicemus cap. ſequenti, num. 5. tunc verè & propriè procedit regula in dubiis, &c. Quando dubium eſt ſpe-

Digitized by Google

culatiuum, ideſt circa antecedens, à quo pendet formatio Conſcientiæ, hic enim nulla alia eſt quæſtio, niſi, de Conſcientia rectè formanda, & ſic ſequitur intentum, ſcilicet conſtitutum in d. ſtatu, qui verè dubius eſt circa ſpeculatiuum, ſiue potius antecedens, debere ſequi regulas pro dubio in iure, & à Doctoribus aſſignatas, non autem regulas pro opinante, ſiue in probabilitate conſtituto traditas & ſic merito negamus, quod ille ſit certus ſibi licere, ſecundum minus tutam operari, hoc enim tantùm conceditur conſtituto in opinione, ſiue probabilitate, ideſt aſſenſu, licet formidoloſo illius partis, ſcilicet, rem eſſe ſuam, teſtamentum validum fuiſſe, &c. non autem contrariæ.

83. 2. *Probatur* principalis aſſertio, quia dubium tunc contingit, quando intellectus non audet iudicare cum formidine ſaltem, ideſt probabiliter, quænam pars contradictionis ſit vera, quænam verò falſa, cùm ſciamus & ſupponamus alteram eſ-

ſe veram, alteram falſam, quamuis non agnoſcamus in qua ſit iſta vel illa qualitas. Ille autem eſt dubius, qui non iudicat, vt ait Suar. De fide. Diſput. 19. ſect. 4. num. 1. & quidem illum non eſſe in opinione, ſiue probabilitate etiam patet ex definitione Conſcientiæ opinantis, quæ definitur *iudicium*, &c. Cùm autem iſte non iudicet, non poteſt eſſe in opinione, ſiue probabilitate. Neque dicas iudicare vtramque partem habere pro ſe rationes, non parui momenti, nam reſpondetur, id non eſſe iudicare de veritate quæſtionis ſpeculatiuæ, ſiue antecendentis; quæ quæſtio intellectui iudicanda proponitur, vt paulò infra latiùs dicemus.

84. 3. *Probatur* principalis aſſertio, nam ille qui pro vtraque parte contraria iudicat nihil iudicat, non aliter ac iudex certaminis nullum victorem iudicat, ſi vtrique decertantium palmam præſtat, vel inter eos diuidit, & res manet in eiſdem terminis, ac erat antea, ſcilicet dubia, & indeciſa, & ipſe iudex dubitaſſe

apparet, ſiquidem nullum victorem, aut victum pronuntiauit, eo ipſo, quod vtrumque ſtrenuum pronuntiauit. Non enim ab eo quæritur an decertantes ſtrenui ſint, ſed qualis vicerit. Quod exemplum eſt aptiſſimum ad probandum ſimiliter nihil iudicare illum, qui contrarias partes approbat, ſiue approbare videtur. Item probatur eadem pars illo exemplo. Finge, quod duæ monetæ proponuntur, vt iudices quænam ex vero, quænam ex ficto auro conflata ſit. Nam eo ipſo, quod iudicaueris vtramque habere veri auri ſigna, nihil iudicas, immo tũc verè dubius es qualis ſit veri, qualis autem ficti auri, cùm ſupponatur alteram eſſe ex ficto: vt ergo res dubia non remaneat debes iudicare ſaltem cum formidine hanc ex vero, illam ex ficto auro eſſe conflatam, ſin autem ad id non habes ſigna, ſiue argumenta ſufficientia in vero, & proprio dubio permanes.

85. Reſpondebat Doctiſſimus ille Conimbricenſis Theologus, agno-

ſcendo

ſcendo quidem *reſpondentem vtramque partem eſſe probabilem, reſpondere veritatem ſpeculatiuam eius, quod quæritur eſſe nobis incertam & dubiam; At certam eſſe practicam, cuius gratia inquiritur ſpeculatiua. Certum quippe tunc eſt quod licet credere vtrumque, & iudicem diuidentem brauîum inter certantes ſatis declarare, non ſibi conſtare quis ſit dignior, at ſatis ſibi conſtare vtrumque eſſe ſtrenuum. Item aliter reſpondere de veritate obiecti eſſe temerarium, quia certitudo de veritate ſpeculatiua eſt nobis moraliter impoſſibilis. Item reſpondentem aliquam partem eſſe probabilem, eo ipſo reſpondere, licere operari ſecundum illam quicquid ſit de veritate à parte rei:* Quæ omnia vir ille Doctiſſimus ſæpiſſime repetit, credens ex hoc dicendi & diſtinguendi modo diſolui prædicta, & alia adducta, & adducenda fundamenta.

86. Verùm replicabam, prout efficaciter replico, mihi ad intentum ſufficere, quod fateatur dubium ſpeculatiuum reſultare, vt paulo ſupra

num. 82. expendi, ac per conſequens non eſſe certum licere operari, vel tale dictamen deducere. Item non eſſe temerarium, immo neceſſarium ad operandum, certo, vel ſaltem probabiliter reſoluere antecedens, veluti quod res ſua ſit, teſtamentum validum, impedimentum non dari, vt poſſit formari conſcientia dictans licere petere legatum, &c. Quid enim temerarij, aut inſoliti habet reſpondere cum certitudine, ſiue aſſenſu firmo aut ſaltem formidoloſo, aliquam partem eſſe veram & contrariam falſam, vel quando non ita iudicamus, niſi in dubio ſimus? Eodem modo miror Doctiſſimum virum dicentem & ſæpius repetentem, certitudinem de veritate ſpeculatiua eſſe nobis moraliter impoſſibibilem, nam paſſim ſumus in certitudine circa dictas quæſtiones ſpeculatiuas, eo modo quo certum in propoſito accipitur, id eſt quantùm ad propriam operantis exiſtimationem, quæ in propoſito attenditur, vt iam ſupra diximus num. 4. In hoc ergo ſenſu aliquan-

Digitized by Google

do ſumus certi, aliquando dubij, cur ergo conſideratur moralis impoſſibilitas, vt certi ſimus? Num hic conſideratur aut modo vllo attenditur aut petitur certitudo, quæ nobis omnimodo incognita eſt, ſcilicet infallibilis, quæ Deo tantùm nõ hominibus poſſibilis eſt? Abſit. Nam ſic nulla ſcientia vel euidentia eſſet tuta ad operandum, quia (quamuis nos id nullo modo timeamus) poterit fortè falſa eſſe propoſitio, quam euidentem iudicamus. Si ergo in hoc ſenſu dicit dubium ſpeculatiuũ reſultare, quando vtraque pars eſt probabilis, immerito loquitur, nam in dicto ſenſu, etiam quando ſumus in certitudine, immo euidentia diceremur eſſe in dubio ſpeculatiuo, iuxta proximè dicta, quod eſſet abſurdum: neque vidi vnquam Auctorem in dicto ſenſu conſiderantem ſpeculatiuum, immo ſpeculatiuum appellant illud, quod nos antecedens, v. g. an res ſua ſit, an coniux viuat, quæ paſſim certo, paſſim cum formidine reſolui, & aliquando circa illa in dubio nos rema-

Digitized by Google

nere ſupponunt & agnoſcunt. Vide dicta cap. 1. num. 36. & 37. & ibi citatos. Item in hoc tantùm ſenſu poteſt dici impoſſibile nobis eſſe aſſequi certitudinem. At vt proximè diximus, nullo modo talis ſenſus ad rem pertinet, in eo vero, qui ad rem iſtam pertinet, ſcilicet, quantùm attinet ad exiſtimationem noſtram, dicimur eſſe in certitudine, probabilitate, ſiue dubio circa quæſtionem, an validum ſit teſtamentum, an res noſtra ſit, &c. & hæc certitudo, probabilitas, ſiue dubium, quæ attenduntur, dici poſſunt à parte rei, non in dicto improbato & impertinente ſenſu, ſed ad differentiam probabilitatis, quæ conſideratur in partibus, non dicendo, an à parte rei ſit teſtamentum validum, ſed quod vtraque pars contraria habet pro ſe rationes: Aut quando dicimus, quod licet incerti ſimus de veritate à parte rei, quia vel non decidimus antecedens, vel cum formidine decidimus, tamen certi ſumus id, vel illud faciendum: nam per illum terminum: *à parte rei,*

Digitized by Google

ſignificamus, deciſionem ipſius quæſtionis principalis & antecedentis ad differentiam deciſionis, quæ perfertur circa peccatum an ſit, vel non in opere ſtante in deciſione circa realem bonitatem operis. Item dici poſſunt ſpeculatiua, ſcilicet quia verſantur circa antecedens. At meum non eſt illos terminos defendere aut probare, cùm ſæpe dixerim & ſupra probauerim ad rem, de qua agimus, non eſſe neceſſarium vel aptum, niſi ſcire & aduertere, quod probabilitas ſiue dubium ſemper conſiderandum eſt circa antecedens, à cuius reſolutione pendet modus formandæ conſcientiæ: & de hac probabilitate, ſiue dubio, non de ea vel eo, quæ eſt in ipſa conſcientia, modo ſupra declarato cap. 1. num. 26. & 27. tradenda eſſe omnia, quæ ad præſentem materiam pertinent. Et tandem (quod eſt intentum, de quo nunc agimus) eſſe in dubio, non in probabilitate circa antecens, an res ſua ſit, an teſtamentum ſit validum, illum qui vtramque partem contrariam probabilem dicit.

Digitized by Google

87. Iam ergo, & nunc primo percipio qualiter intelligat, & declarare intendat rem iſtam Doctiſſimus ille Theologus. Conſiderat igitur duas contrarias Doctorum ſententias, vel aliàs duas contrarias partes habentes pro ſe fundamenta non parui momenti, alteram dictantem hoc licere, id eſt non continere peccatum, alteram verò contrarium aſſerentem, quo ſuppoſito vtramque probabilem dicit, ac eo ipſo vtramlibet ſequi licere. Itaque conſiderat (quod & communiter fit) probabilitatem, non quidem circa ſpeculatiuum, vt dicunt, ſiue potius circa antecedens, à quo ſemper & præcisè pendet reſolutio, an ſit peccatum in opere & modus formandæ conſcientiæ licere vel non: quod tamen nullo modo ita, ſed per contrarium faciendum eſſe admonuimus, & probauimus ſupra per diſcurſum, præcipue cap. 1. num. 26. cum duobus ſequentibus. Vnde cùm nullam aliam conſideret quæſtionem, niſi illam, an ibi ſit, vel non ſit peccatum, & circa hanc habere probabilitatem,

Digitized by Google

& per conſequens licentiam operandi, ſecundum quam maluerit partem ſupponat, nullum ibi dubium ſtare, vel interuenire poſſe conſiderat, niſi illud, quod ſpeculatiuum dicit in eo ſenſu, de quo latè numero præcedenti. Cùm tamen debuiſſet aduertere, quod noſtra argumenta non tendunt ad probandum verum dubium dari, quando aliquis eſt in opinione, ſiue probabilitate circa ipſum peccatum, quamuis id etiam ſequatur ex dictis & dicendis, ſed tendunt ad probandum verum dubium dari, quando aliquis eſt, ſiue potius eſſe videtur in opinione, ſiue probabilitate vtriuſque partis, & pro vtraque conſiderat non parui momenti fundamenta circa ſpeculatiuum, vt dicunt, ſiue potius, vt nos dicere ſolemus, circa antecedens, id eſt, an teſtamentum validum fuerit, an impedimentum conſanguinitatis detur inter me & Bertam, quod & non illud prius probandum aſſumpſi, tum quia quæſtio & doctrina, de qua agimus procedit quando dubium, ſiue probabilitas eſt circa

antecedens, non quandò eſt circa ipſum peccatum an ſit in opere, vt dicto cap. 1. locis proximè citatis diximus. Tum quia multò magis apparet repugnantia probabilitatis vtriuſque partis in quæſtionibus non tangentibus peccatum, præcipuè, ſi ſunt quæſtiones circa factum vel circa ius, & tamen circa eas non inueniuntur Doctores. De hoc ergo agamus & non de ſpecie, in qua probabilitas conſideratur circa ipſum peccatum, & ſunt ſententiæ licere & non licere. Nam ſi probauero, vt iam probatiſſimum credo, vtramque partem cuiuſlibet quæſtionis, non poſſe habere veram probabilitatem apud eundem intellectum, immo tunc verum dubium dari, quando vtraque probabilis apparet, ſiue veram ſe repræſentat, facillimo negotio oſtendam, immo iam oſtendi ſupra cap. 1. num. 27. & ibi citatis, tunc procedere doctrinam de dubio & probabilitate, quando hæc dantur circa antecedens, à quo pendet peccatum, ſiue modus formandæ conſcientiæ, veluti in exemplis pro-

poſitis eſt antecedens, an teſtamentum validum fuerit, illius quæſtionis, an liceat petere legatum, quia videlicet huius quæſtionis reſolutio ex nihilo alio pendet, niſi ex reſolutione illius antecedentis. Vnde quæſtio eſt; quamnam reſolutionem debeamus habere circa peccatum, & an illud detur in petitione legati, ſi dubitamus an validum ſit teſtamentum, in quo fuit relictum vel formidamus, vt inualidum ſit fortè.

88. Neque dici poteſt ſatis iudicare illum, qui iudicat vtramque partem eſſe probabilem, & vtramlibet ſequi poſſe quicquid ſit à parte rei de bonitate actionis. Nam replicatur in primis nullo modo ad propoſitam quæſtionem reſpondere, vel de illa iudicare, qui interrogatus an res mea ſit, vel an detur impedimentum inter ipſum & vxorem, vel an hodie ieiunandi ſit præceptum vel ſimile, reſpondet pro vtraque parte dari rationes non parui momenti, vel auctoritates grauiorum & peritiorum, nam neque reſoluit quæſtionem pro-

poſitam, neque interrogans exit à dubio, immo illud permanet, quia ille nihil aliud quærit, niſi ſcire, quænam illarum pars ſit vera, quænam autem falſa, qui autem id illi non aperit, ſaltem cum formidine, ideſt alteram notabiliter præferendo, & fere certam dicendo, & per contrarium oppoſitam ferè falſam, nihil iudicat. Alias diceretur iudicare iudex, qui ſententiam proferendo nihil aliud decideret, niſi Actoris, & ſimul rei cauſam habere pro ſe non leuia fundamenta, ſiue Doctiorum auctoritates. Quis ergo dubitaret iudicem ſic pronunciantem nihil iudicare, cum debeat alterum abſoluere vel condemnare? ſic in propoſito. Minus adhuc ad propoſitum iudicat ille, qui de dictis quæſtionibus interrogatus reſpondet: Tu quidem ſecundum vtramuis operari licitè potes: Nam ego nullo modo quæro adhuc de licentia, vel prohibitione operandi, ſed quæro illa ad diuerſum finem, vel quæro an Phenix auis ſit rubei, vel albi coloris. Dicatur ergo an aliquid

decidat, vel ad quæſtionem reſpondeat, qui dicit tantùm fundamenta, vel auctoritates eſſe pro quolibet colore, has hunc, illas verò illum eſſe ſuadentes. Omitto, quod tutum non eſt quod ſupponitur, ſcilicet vtramlibet partem ſequi poſſe, cùm immo ad contrarium probandum, ideſt non rectè formari Conſcientiam licere rem petere, vel matrimonium contrahere, quando dicto modo vtraque pars probabilis dicitur, hæc ſcribamus.

89. 4. *Probatur*, principalis aſſertio ex ipſo naturali ſentiendi, & loquendi modo, nam quis, precor, non ſentit & dicit ſe in dubio conſtitutum, quando videt æquales probationes, aſſertiones vel auctoritates in contrarium? Nonne dubius ſum an Angli iam receſſiſſent à portu Vlyſiponenſi, quia audiui tres fide dignos hoc, & tres alios ſimiles, contrarium aſſerentes? Non dicimus dubias, quæſtiones omnes illas, quæ pro vtraque parte habent defenſores; Audi Diuum Thomam ſtatim referendum.

90. 5. *Probatur*, auctoritate Angelici Doctoris in 3. ſententiarum diſtinctione 23. quæſtione 2. articulo 2. vbi ait; *Quando verò homo non habet rationem ad alteram partem, magis quàm ad alteram quod neſcientis eſt, vel quia ad vtramque habet, ſed æqualem, quod dubitantis eſt, tunc nullo modo aſſentit, cùm nullo modo determinetur eius iudicium, ſed æqualiter ſe habet ad diuerſa.* Idem ferè repetit quæſt.14. de Ver.art.1.in Corpore. ibi. *Quandoque intellectus non inclinatur magis ad vnum, quàm ad aliud, vel propter deffectum mouentium, ſicut in illis problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ mouent, ad vtramque partem, & iſta eſt dubitantis diſpoſitio, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis.* Quid amplius? Aut quid expendendum, adeo planum & naturali rationi conforme ſanctiſſimi Doctoris teſtimonium.

91. *Deindè probatur* etiam apertiſſimè, & validè auctoritate ipſorum

Digitized by Google

Auctorum contrariam partem defendentium (quamuis nullus peruenerit ad examinandum, an potius dubium, quàm probabilitas reſultaret in terminis, de quibus agimus, & multò minus noſtra fundamenta conſiderauerit, ſed de plano omnes probabilitatem vtriuſque partis ſuppoſuerint nihil habere cum dubio) qui ipſa naturali ratione quaſi compulſi, paſſim fatentur dubium reſultare, quando pro vtraque parte efficaces rationes, ſiue auctoritates dantur, ſiue vtraque pars probabilem ſe repręſentat: Ita Vaſq. 1. 2. quæſt. 19. diſput. 62. cap. 3. num. 10. & diſput. 65. cap. 1. num. 4. vbi dubium exemplificat. *Cum rationibus adductis pro vtraque parte contradictionis, conatur intellectus cognoſcere in aliqua conuenientiam, &c.* Et infra ibi. *Periculum autem hoc naſcitur, quod rationes ex vna parte indicent eſſe peccatum, & ex alia etiam indicent non eſſe, neque intellectus inter has duas partes ſciat diſcernere, cum vtraque pars ſe offert.* Et diſp. 67. num. 6. ibi. *ſed vtrinque rationibus ita*

Digitized by Google

trahitur, vt alteri aſſentiri non poßit; Idem ſentit diſput. 63. cap. 1. num. 2. vbi citat Scotum; Ergo palam agnoſcunt rationes pro vtraque parte dubium, non autem probabilitatem producere. Idem fatetur obiter Sanch. d. lib. 1. cap. 10. num. 3. ibi. *Dupliciter poteſt intellectus tacitè dubitare, an aliquid liceat: Prius quando rationibus vtrinque repræſentatis eſt pendulus, nec indicat, an ſit licitum, nec ne*. Et num. 4. ibi. *ob vehementes rationes æquè pares*. Et num. 9. Verſ. quippe, vbi idem ſentit; & cap. 9. num. 51. ibi. *At verius eſt quoties æquè pendet dubitatio in vtramque partem, quia res vel in iure vel facto, æquè dubia eſt; & ita æquali probabilitate fulta, &c.* Ecce æqualem probabilitatem, dubium appellat. Quid clarius? Et eodem cap. num. 16. ibi. *ſed etſi per intrinſeca principia* (ſunt rationes, & fundamenta) *neutrius aſſenſum habeat, ſed inter vtramque hæſitet, &c.* Et lib. 2. cap. 7. num. 12. & alijs locis vbi ſimiliter loquitur. Idem colligitur ex Sayr. d. lib. 1. cap. 5. num. 1. ibi. *Conſcientia dubia*

Digitized by Google

eſt, quando rationes, &c. & cap. 13. n. 5. ibi. *Quando autem manent rationes vtrinque probabiles* (agit de dubio, & proſequitur decidendo dictum caſum, per regulas pro dubio aſſignatas,) idem manifeſtè agnoſcit. Pat. Suar. l. 2. diſput. 12. tract. 3. ſect. 5. num. 1. vbi agens de dubio, & docens quando contingat, ita ait: *Vel propter rationes vtrinque probabiles cum tanta æqualitate, vt intellectus meritò dubitet, & ſuſpendat aſſenſum.* & tom. 4. de pœnit. diſput. 22. ſect. 9. num. 7. Monteſin. l. 2. diſput. 29. quæſt. 4. num. 72. ibi: *Vel quia adductis fundamentis pro vtraque parte, neſcit ponderare vtra ſit probabilior, & ita manet ſuſpenſus, atque in neutram inclinans ſuum aſſenſum vel iudicium.* Similiter loquitur num. 77. & 163. Filliuc. d. tract. 21. cap. 4. num. 127. ibi; *Reſpondeo in hoc caſu rem non eſſe dubiam, hoc eſt æque probabilem,* &c. & num. 142. ibi; *Tunc autem eſt dubia iuſtitia, quando ſunt variæ opiniones & contrariæ.* Caſtro Palao d. tract. 1. diſput. 2. puncto 8. num. 2.

Digitized by Google

ibi; *Verum ſi ſubditi dubium habeant poſitiuum, hoc eſt rationes probabiles pro vtraque parte,* &c. idem intellexerunt Valentia, Sotus, Burgos de Paz. Ban. Salon. Tolet. Manuel. Aragon. Petrus de Ledeſma, & Mercado, quos citat Sanch. d. cap. 9. n. 50. & 52. defendentes non licere aduocato patrocinari pro Actore, quando pro Reo eſt opinio probabilior vel æquè probabilis, quia ſcilicet per hoc res efficitur dubia, & in dubiis Reo fauendum eſt non Actori. Nouiſſimè Arriaga 1. 2. tom. 3. diſput. 24. num. 27. ibi. *Quando eſt æque dubia, ſeu probabilis vtrinſque cauſa.* Et quidem quaſi ipſa natura dictante ſolemus dicere, eſſe dubiam, non autem probabilem quæſtionem, quando pro vtraque parte inuenimus Doctores, ſiue fundamenta, ita paſſim loquuntur ſcribentes, quos infinitum eſſet recenſere, præ manibus habeo. Guttier. de iuram. confirm. p. 1. cap. 20. n. 33. verſ. Profecto, ſic dicens. *Profecto articulus hic dubius eſt, in quo ſunt fundamenta pro vtraque parte,* &

infra. *Precipuè cùm vtraque opinio habeat Auctorem non contemnendum.* Sanch. in Decalog. lib. 4. cap. 38. num. 16. vbi poſt relatas contrarias opiniones, ait: *Fateor rem eſſe ſatis dubiam.* & lib. 2. cap. 11. num. fin. ibi; *Fateor rem eſſe valdè dubiam, & vtrinque vrgere rationes, & auctoritates grauium Doctorum*, &c. Sic dubitare dicimus, an S. Damaſus fuerit Luſitanus, an Hiſpanus. Item quis conditor fuiſſet Vlyſiponenſ. Ciuitatis. Ex qua Prouincia oriundus Henricus Comes noſter, & Regum noſtrorum Progenitor, quia habemus contrarias ſententias circa dictas quæſtiones. Ideo Felin. dubitauit de vera lectura extrauagantis. Ad vitanda ædita in Concil. Baſilienſi, quia vt refert Sayr. de cenſur. lib. 2. cap. 12. num. 8. Alij qui dicto Concil. præſentes fuerunt, alio modo. Alij contrario illam æditam aſſerebant. Et in effectu id, quod probare intendimus, tenent apertè Adrianus quodlibet 2. puncto 3. & contra Suar. Garc. de benef. p. 7. cap. 2. num.

Digitized by Google

24. ibi. *Quando ex parte facti ſunt vtrimque rationes, ſeu coniectura probabiles, neceſſario reſultat dubium de tali facto, & debet homo ſe gerere tamquam in re dubia, quantumuis habeat pro vtraque parte iudicium probabile.* Cuius tamen dictum non probamus quatenus agnoſcit ſequi poſſe probabilem ex parte iuris, relicta contraria probabili, &c. & ſimiliter improbamus, quod ait Sayr. in Clau. reg. lib. 1. cap. 11. num. 13. dicens, iudicem poſſe iudicare ſecundum probabilem ex parte iuris relicta probabiliori, non autem quando probabilitas vtriuſque partis eſt ex parte facti. Nam nulla efficax differentiæ ratio conſiderari poteſt.

92. Dices prædictos Doctores, non contrariari ſibi vel aliis ſerio defendentibus probabilitatē vtriuſque partis, nam intelligendi ſunt, vt ſignificent dictis locis, tunc dubium dari, quando adductis fundamentis, ſiue rationibus pro vtraque parte intellectus ſuſpenditur & nulli aſſentitur. Tunc autem probabilitatem dari,

quando vtrique parti aſſentitur. Quaſi in eiſdem terminis poſſit reſultare probabilitas vtriuſque partis, ſi intellectus illis aſſentiatur & dubium, ſi non aſſentiatur. Quod aliqui aſſerunt, & ſentire videtur Suar. de relig. 2. tom. tract. 6. lib. 4. cap. 5. num. 5. & de pœnit. tom. 4. diſput. 22. ſect. 9. num. 4.

93. *Verum reſpondetur*, non eſſe admittendum in eiſdem terminis, poſſe dari vel dubium vel probabilitatem, quaſi ad electionem operantis, nam hæc non fiunt pro libito vel imperio voluntatis, vt probauimus ſupra numero 78. aliàs melius faceret, qui vni tantùm parti certo, non autem probabiliter tantùm aſſentiretur. Vel ergo rationes aut Auctoritates contrariæ, natura ipſa cogente, ſuſpendunt aſſenſum vel non. Si ſuſpendunt, habemus intentum. Sin ab arbitrio operantis id pendet, fatuus erit, qui non præbuerit aſſenſum parti illi, quæ ſibi magis placuerit. At certiſſimum eſt contrariarum rationum vim ſuſpendere aſſenſum. Ita vt non

poſſit alicui præſtari, & id probant verba Sayri ſupra relata, ibi. *Conſcientia dubia eſt, quando rationes, &c.* & Suarij ibi. *Vel propter rationes vtrinque probabiles cum tanta æqualitate, vt intellectus meritò dubitet, & ſuſpendat aſſenſum.* Similiter loquitur Salaſ. 1. 2. tract. 8. num. 139. cum aliis ſimilibus, in quibus Doctores ſupponunt rationes contrarias, eo ipſo ſuſpendere aſſenſum, aliàs ſi pro libito non ſuſpenderent, deberent Doctores addere & declarare dictam ſuſpenſionem, quam ſupponunt contingere, quando rationes pro vtraque parte dantur, poſſe contingere vel non ſecundum voluntatem, ſiue diſpoſitionem operantis, & cum hac diſtinctione deberet tradi doctrina de licentia operandi, vt ſcilicet procederet, ſi datis rationibus contrariis, operans vtrique parti aſſentiretur, ſecus ſi non aſſentiretur. Quod tamen, neque dicunt, neque dici poteſt. Immo per errorem tantùm putare aliquis poteſt vtrique parti ſe aſſentiri: at verè, ſi rationes æqua-

les, vel ferè conſiderat pro vtraque parte, & earum vim probat & agnoſcit, repugnat, vt alteri parti, & multo magis vtrique aſſentiatur.

94. Dices iterum, cum pluribus, quos ratiocinantes audiui, verum dubium cum quo regulariter operari non licet, eſſe dubium, quod dicitur negatiuum, quod contingit, quando intellectus ſuſpenditur, quia non habet rationes pro aliqua parte. Veluti an ſtellæ ſint pares vel impares, aut, quot ſint arenæ maris? Dubium verò poſitiuum, quod ſcilicet reſultat ex rationibus, fundamentis vel auctoritatibus pro vtraque parte, verius eſſe probabilitatem vtriuſque partis, quàm dubium, quod docent Suar. d. 2. tomo de relig. tract. 6. lib. 4. cap. 5. num. 5. ſentit Ioan. Sanch. ſelect. diſput. 43. num. 49. Caſtro Palao tract. 1. diſput. 2. puncto 8. num. 2. Arriaga 1. 2. tomo 3. diſp. 27. num. 7. q. dubium negatiuum vt ſupra exemplificat, & ſimiliter dicit poſitiuum eſſe vtriuſque partis probabilitatem.

95. *Verùm reſpondetur*, negando du-

bium tunc ſolum contingere, quando rationes, ſiue auctoritates non inueniuntur pro aliqua parte, quod dubium negatiuum appellant. Immo hoc dubij genus proprium eſſe, cum potius neſcientia dici debeat, quod agnoſcit, & apertè docet S. Thomas ſupra citatus 3. ſentent. diſtinct. 23. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 1. ibi. *Quando homo non habet rationem ad alteram partem magis quàm ad alteram, quod neſcientis eſt, &c.* ſentit Ioan. Sanch. vbi proximè, ibi. *ſed tunc dubitat ratio, quia omnino ignorat.* Et ſic loquimur; Nam quando interrogamur, an ſtellæ ſint pares vel qualiter ſe habeat, quicquid aliud circa quod nullam habemus rationem, pro aliqua parte, reſpondemus, neſcire, non autem dubitare. Verum ergo & proprium dubium, de quo loquitur iuris regula. In dubijs, &c. Et cum quo operandum eſt, ſecundum tutiorem partem, iuxta regulam text. in cap. Iuuenis. de ſponſal. & in cap. Ad audientiam. de Homicidio. Cum ſimilibus. Et dubium illud, quod contin-

git, quando ſunt rationes æquales, vel ferè pro vtraque parte contradictionis. Quod etiam (ſcilicet dubium, quod poſitiuum appellant, non autem illud, quod negatiuum dicunt, verum dubium eſſe) ex eo patet, nam omnes Doctores ſupra citati n. 91. tunc dubium appellant, quando pro vtraque parte rationes dantur. Sin autem per illa verba ſignificare intenderent probabilitatem, abſurdè loquerentur, cùm diuerſum & proprium nomen habeat probabilitas, quod etiam diuerſitatem rei inſinuat, argumento text. in l. ſi idem. Cod. de Codicillis. Tandem probatur, quia indictis iuribus ſtatuentibus tutius ſequendum, dubium reſultabat ex rationibus pro vtraque parte. Nempe in cap. Ad audientiam, quia rationes, & coniecturæ aliæ ſuadebant percuſſum ex vulnere deceſſiſſe. Aliæ verò contrarium; ſimiliter in caſu text. in cap. ſignificaſti. el. 2. etiam de homicidio, vt patet ex principio, & verſ. & quidem. In caſu autem text. ind. cap. Iuuenis, de ſponſ. dubium reſul-

tabat ex rationibus contrarijs, ſuadentibus, ſcilicet alijs copulam fuiſſe, alijs non fuiſſe conſumatam; & ſic in ſimilibus: & patet: Nam, qualiter, precor, fieri poteſt, quod aliquis dubitet, an alium occiderit, vel an cum aliqua copulam conſumauerit, niſi rationes illum in dubitationem inducant? Item quis dubitans non dicit rationem dubitandi ſibi talem eſſe? Adde dicenda cap. 3. n. 38.

96. *Ex dictis conuincitur*, quod reſpondebat Doctiſſimus ille Theologus Conimbric. dicens Doctores late citatos ſupra n. 91. dixiſſe, dubias quæſtiones illas, lato modo loquentes, nam dubium ſignificat, quidquid non eſt certum, & ſic comprehendit probabile. Addens, quod, ſi regula: *In dubiis tutius eſt eligendum*, extenderetur ad dubium opinatiuum, eſſet manifeſtè falſa. Nam vt dicebamus, conuincitur, quia ſic abſurdè loquerentur Doctores, appellando opinionem, dubium. Item negamus dubium ſignificare quicquid non eſt omnino certum, pro hoc enim ſtatu eſt nomen

proprium

proprium opinionis, ſiue probabilitatis, neque illo nomine dubij vti Doctores pro probabilitate, & ſuccedere omnia dicta num. præcedenti. Ad illud autem, quod additur, reſpondeo: neminem aſſerere regulam *in dubiis, &c.* extendi ad probabilitatem, at nos *contendere* verum dubium, non autem probabilitatem eſſe, quando rationes dantur pro vtraque contraria parte. Dum autem dicitur probabilitas, dubium opinatiuum, nullo modo conſentio tali loquendi modo, vt pote conſtituenti vnum mixtum, quod non datur, immo repugnat aliquem eſſe in dubio, & opinione circa idem, aut ergo eſt in dubio aut in opinione, non autem in dubio opinatiuo, quod nomen nouiter inuentum videtur, ad placandam difficultatem, de qua agimus, at ſtare non poteſt ex dictis.

97. *Et in effectu* verum dubium eſſe, & tutius eligendum, quando pro vtraque parte contraria ſunt opiniones, ideſt, ſententiæ Doctorum, apertè docuit Diuus Thomas quodlibet.

Digitized by Google

8. quæſt. 13. ibi. *ſed tamen in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & ſic, tali dubio manente habens plures præbendas ſe periculo committit, & tunc proculdubio peccat magis amans, &c.* Alexand. part. 2. quæſt. 112. de ignorant. in 8. caſu vlt. ibi. *Quæritur de illo, qui dubitat de aliquo contractu, an ſit ſimonia, an non, eo quod, quidam Doctores dicunt eſſe ſimoniam, & quidam alij negant? Quid ergo ſit facturus cùm ignoret; Reſpondetur ei eſſe abſtinendum ab huiuſmodi contractu, ne ſe committat diſcrimini, &c.* Idem docet Adrian. quodlib. 2. a. 1. quos referunt licet non ſequantur Vaſq. l. 2. deſput. 62. cap. 1. num. 1. & cap. 2. n. 8. Azor. moral. d. lib. 2. cap. 16. quæſt. 2. idem tacitè ſentiunt omnes ferè ſcribentes, qui nunquam relinquunt controuerſiam in æquali probabilitate, quaſi ita nihil deciderent, ſed ſemper alteram partem probabilem dicunt, vt ita videantur aliquid iudicare, & exire à dubio. Faciunt quæ ſcribit Arriaga citandus infra num. 103. fine.

98. Reſpondebat Doctiſſimus ille Magiſter Conimbricenſ. in hæc verba: *S. Thomas immeritò citatur ab AZor; tum quia verba, quæ citat, non continent eam ſententiam, tum etiam quia D. Thomas alijs locis docet oppoſitum. Addo, quod eo ipſo loco benè intellectus, docet oppoſitum, ait enim, quod ſi habens plura beneficia ex conflictu opinionum, an liceat ea habere non inducitur in dubitationem, non peccat. Ergo cùm tutius eſſet ea non habere, planè ſequitur D. Thomam ibi ſenſiſſe, quod in conflictu opinionum, ſeu in dubio opinatiuo, non oportet ſequi, quod eſt tutius.*

99. Replicabam I. quærendo alia loca, vbi S. Thomas dicitur docere oppoſitum, me quidem ſcire locum ſupra citatum, & relatum num. 90. vbi apertius ſentit, id quod probare intendimus. Deinde explicationem loci D. Thomæ proximè citati eſſe datam, & illationem deductam ex ſenſu contrario, nam S. Doctor dicit, quod qui ex contrarietate opinionum inducitur in dubitationem, pec-

cat, &c. Argumentum autem factum, fuit deductum ex ſenſu contrario, ſcilicet: ergo per contrarium dicit, quod ſi non inducitur in dubitationem poteſt habere plura beneficia. Ad intentum ſufficit, quod ex contrarietate opinionum poſſit induci dubitatio, quod etiam apertiùs probant Alexand. & Adrian. ſupra citati: Argumentum autem à contrario ſenſu deductum, libenter concedimus, cùm nos nullo modo aſſeramus, quod preciſe res ſit dubia eo ipſo quod ſententiæ contrariæ dantur, poterit enim operans alteram habere pro certa, vel probabili vera probabilitate, ſcilicet cum formidine illi præſtando aſſenſum, non contrariæ. Aliud diuerſum aſſerimus, & probare contendimus, ſcilicet ſæpè contrariarum ſententiarum, ſiue rationum æqualitatem vel fere nos inducere in dubium, & hoc ſemper contingere, quando vtraque probabilis apparet, nam ſicut alteri tantùm aſſenſum præſtantes in vera ſumus probabilitate, ſic vtrique præſtare co-

nantes in vero dubio ſumus. Hæc autem omnia naturaliter contingunt, modo ſic, modo ſic, pro modo motionum, non enim ſtat fixa, in ſententia aliqua, vera probabilitas, ſed pendens à proprio operantis aſſenſu, quod magis patet in illis quæſtionibus, in quibus Doctores non inueniuntur vel ſunt circa factum. Sin autem quæras quam motionem debeat habere, & in quo ſtatu rite & rectè conſtitui debeat, qui videt ſententias contrarias, dum nihil amplius de illis iudicat. Reſpondebimus, in dubio ſe eſſe putare debere, quod adhuc probabimus infra varijs locis. Non tandem aſſerimus plures Doctores hæc, quæ probare intendimus agnouiſſe, maximus enim eſt contrariorum numerus, ſed oſtendere iam aliquos hæc ſenſiſſe, licet nullus ita probaſſet.

100. *Pro coronide aduerto* non eſſe deducendum argumentum, ſcilicet, in hoc caſu ſunt rationes, vel auctoritates pro vtraque parte, & tamen negari non poteſt licere operari ſecundum minus tutam partem, ergo

vtraque eſt probabilis vel non obſtat, quod in contrarium ſit alia ſimiliter probabilis, vt ſecundum minus tutam operari liceat. Nam facile reſpondetur plures eſſe caſus & terminos, in quibus ſtante vero dubio operari licet, ſecundum minus tutam partẽ, vt cap. ſequenti dicemus, vnde dictum argumentum non procedit.

101. *Concludo igitur* apparentem vtriuſque partis probabilitatem, verum dubium eſſe, quo ſtante circa antecedens, debet operans formare conſcientiam ſecundum regulas iuris diſponentes tutius eſſe eligendum, quod qualiter procedat ſub proprio capite, de conſcientia dubia trademus, & explicabimus.

§. IV.

Probatur non licere operari ſecundum minus tutam partem, etiam ſi per impoſſibile fieri poſſet, vtramque probabilem eſſe.

102. Dato autem, at nullo modo conceſſo, quod vtraque

pars contraria poſſet ſimul probabilis eſſe, vera probabilitate, quæ aſſenſum petit, adhuc tamen ſequi non poſſet minus tuta, vel, vt methodo noſtra vtamur, non rectè formabitur conſcientia licere. Probatur, nam ratio propter quam ſupra hoc cap. num. 19. & 20. reſoluimus cum probabilitate vera, id eſt opinione, ſiue aſſenſu formidoloſo circa antecedens, v.g. rem noſtram eſſe: Impedimentum matrimonij non dari: Teſtamentum validum fuiſſe, rectè formari conſcientiam licere rem retinere, vel etiam petere & ſimiliter legatum vel matrimonium cōtrahere, illa eſt, quia ſcilicet ille, qui eſt in vera probabilitate vnius partis, illam multo certiorem putat, & habet contrariæ tantùm formidinem, non aſſenſum, vnde illa cui aſſentitur notabiliter contrariæ præfertur, iuxta dicta citatis locis. At ſi daretur in contrarium alia æquè probabilis ceſſaret dicta ratio, non enim tunc ſpernenda eſſet, at ſpernitur formido, immo nulla maior ratio daretur, vt minus tuta ſequi poſ-

Digitized by Google

ſet, ſiue potius formari conſcientia ſecundum minus tutam, immo ſecundum tutiorem formari deberet, vt inferiùs probabimus: at ceſſante ratione legis, ipſa quoque legis diſpoſitio ceſſat ex regula text. in l. Adigere. §. Quamuis. ff. de iure patronat. & in l. Cum pater. §. Dulciſſimis. ff. de legatis 2. ergo, &c.

103. Probatur ergo in dictis terminis, ſi dari poſſent, non licere operari, ſiue potius formare conſcientiam ſecundum minùs tutam partem, ſcilicet in exemplis numero præcedenti adductis, licere rem vel legatum petere, vel retinere, aut matrimonium contrahere, nam ſi (vt ſupponimus) pro parte tutiori ſunt æqualia fundamenta ſimiliter aſſenſum ſibi auocantia, cur minus tuta præferenda, cùm in hac periculum peccati ex ſua natura conſideretur? Præterea, quando pro vtraque parte contraria dantur fundamenta vel probationes, idem in effectu eſt ac ſi pro nulla darentur, quod probauimus ſupra num. 44. Et confirmatur quia non minus iudi-

candum eſt pro Reo, quando neque ille, neque Actor probat iuxta vulgatam regulam text. in l. Actor. Cod. de probat. & in l. qui accuſare. Cod. de edendo; quàm quando vterque probat text. in regula, cùm ſunt partium. de regul. iur. in 6. ſic intelligenda ſecundùm gloſſ. ibi in caſus poſitione, & ſentit Garc. de benef. 7. part. cap. 2. num. 18. & citati à Caſtro Palao d. diſp. 2. puncto 11. num. 1. ſentit Arriaga 1. 2. tom. 3. diſput. 24. num. 28. & ſequentibus. Item quia pars tutior eſt illa, pro qua ſtat præceptum & poſſidere dicitur, vt docet Sanch. de matrim. lib. 2. diſp. 41. num. 37. at in pari cauſa, qualis eſt in terminis, de quibus agimus, pro poſſeſſore iudicandum eſt, & melior eſt eius conditio, ex regula in pari. d. tit. in 6. Ergo ſtante opinione, vt dicunt, probabili pro obſeruantia præcepti illa eſt preferenda & ſequenda, immo vt propriè loquar, ſtante probabilitate pro vtraque parte antecedentis, ſcilicet talem cauſam excuſare & non excuſare à præcepto ieiu-

nij, vel reſtitutionis formanda eſt conſcientia ſecundum tutiorem partem, qualis eſt illa, quæ dictat præceptum impleri. Facit efficaciter, nam qui videt cōtrariam partem probabilem, eo ipſo hanc probabiliter falſam reputat, nam contrariæ Auctores, ſiue fundamenta non magis conuincunt illam eſſe veram, quàm hanc illi contrariam eſſe falſam, vnde bene ſcripſit Eminentiſſ. Card. de Lugo de fide. diſput. 5. ſect. 1. num. 5. quod ille qui probabiliter tantùm aliquid credit, ſimul iudicat ad illud credendum non habere motiua ſufficientia, & num. 6. vbi dicit, quod qui iudicat probabiliter tantùm aliquid eſſe verum, ſimul iudicat probabile eſſe, quod eſt falſum, quæ intelligenda ſunt, quando ſupponitur etiam probabilis contraria pars, nam ſi vna tantùm probabilis ſupponatur (prout verè ſupponi debet, nam vera probabilitate vna tantùm poteſt eſſe probabilis, vt latè per diſcurſum huius capitis probauimus) non rectè diceretur ſimul iudicare illud eſſe falſum,

nam tale non iudicat, neque ad id motiua habet, qui vnam tantùm partem probabilem iudicat. Et quidem Eminentiſſimum de Lugo in dicto ſenſu locutum fuiſſe, apertiùs declarauit num. 18. ibi. *Si verò appareat probabilitas etiam partis contrariæ, contra obligationem ſequitur, vt iudicet etiam ſe non obligari.* Si ergo iudico ſimul rem non eſſe meam vel teſtamentum fuiſſe inualidum, quando iudico rem eſſe meam, vel teſtamentum fuiſſe validum, cur ex adeo incerto antecedenti deducam dictamen, licere, quod tutum non eſt, vel cur magis iudicabo rem meam eſſe, &c. quam contrarium? Cur comparabo hos terminos illis, in quibus vera probabilitas datur pro vna tantùm parte, ſcilicet rem eſſe meam, teſtamentum validum fuiſſe? Et cùm non ſine quæſtione tranſeat, an cum dicta vera probabilitate rectè formemus conſcientiam licere, quod negarunt citati hoc capite num. 18. Qualiter id aſſeremus, quando contraria pars adeo fortibus innititur auctoritatibus

& fundamentis, quæ huius fundamenta elidunt, ſicut ab ipſis ad inuicem eliduntur, vt probauimus ſupra hoc cap. num. 44. Quæ dicta ſunt ſenſit Arriaga 1. 2. diſput. 25. num. 20. 24. & 25. dicens non minus periculum eſſe operari cum probabilitate vtriuſque partis, quàm cum dubio.

104. Quæ dicta ſunt exemplis etiam & auctoritatibus comprobantur, quæro enim, an dici poſſit aliquem prudenter agere, ſi vxorem ducat hæſitans an ſit ex infecto ſanguine, quia tres fide digni aſſerunt eſſe ex puro ſanguine, ſi tamen tres alij æque fide digni contrarium aſſerunt? Vel ſi iter faciam per loca ex ſe periculoſa, quia habui fundamenta ſuadentia periculum ceſſaſſe. Si tamen ſimilia habui ſuadentia non ceſſaſſe? Nonne contra legem amicitiæ faciam, ſi agam aliquid, quod poteſt eſſe amico ingratum, quia habeo fundamenta ſuadentia tale non eſſe. Si tamen ſimilia habeo contrarium ſuadentia? quo exemplo vtitur Azor. d.

Digitized by Google

lib. 2. cap. 18. quæſt. 3. ad probandum non licere operari cum dubio; at ratio æque in noſtra ſpecie militat, dato quod non verè ſit dubium, ſed probabilitas, quando pro vtraque parte illa apparet. Qui vtramque partem veram etiam probabiliter tantùm dicit, cùm ſciat à parte rei alteram eſſe falſam, non minus exponitur periculo inueniendi falſam quam eligit, quàm exponeretur, ſi vtramque improbabilem, ſiue probabiliter falſam iudicaret, neque per contrarium iſte minus exponeretur ſorti inueniendi veram, quam ille. Eſt ergo mera incertitudo, & videt ſic operans æque exponi periculo agendi, quod in ſe bonum non eſt, ac ſorti inueniendi bonum, ſi ſecundum minus tutam partem operetur, quod non contingit, quando altera tantùm pars probabilis eſt, nam tunc multò magis, & quaſi certo credit ceſſare periculum, quod fortè illa pars ſit falſa. Cur ergo quando dicta æqualitas conſideratur licebit agere illud in quo peccatum dari poteſt, vel;

proprius loquendo, cur magis ſupponendum antecedens (circa quod conſideranda eſt probabilitas, vt admonuimus ſupra cap. 1. num. 10. & hoc cap. num. 8. & adhuc explicabimus infra cap. 3.) ſe habere illo modo, ſcilicet rem eſſe meam, vel validum eſſe teſtamentum, quam contrario? & hac incertitudine data circa antecedens, cur debet deduci dictamen, poſſe rem peti vel legatum? Et in effectu hoc, quod aſſerimus tenent; Silueſt. verb. Dubium. quæſt. 2. Conrad. de contract. quæſt. 110. concl. 1. tract. 7. Corduba in ſuo lib. quæſt. lib. 2. quæſt. 3. dicentes non licere ſequi minus tutam ſtante æquali probabilitate vtriuſque partis. Idem ſentiunt Adrian. Soto, & Maior, quos, vltra dictos citat, licet non ſequatur Vaſq. 1. 2. quæſt. 19. diſput. 62. cap. 2. num. 8. ſentiunt omnes ferè, qui nunquam relinquunt vtramque ſcientiam contrariam in æquali probabilitate, ſed ſemper alteram probabiliorem dicunt, vt conſiderauimus ſupra num. 97. fine.

Digitized by Google

105. *Quæ dicta* & probata ſunt ſupra proximè, multò magis procedunt quando pars tutior probabilior etiam eſt & minus tuta, minus probabilis (ſupponendo, at non conceſſo, quod vtraque poſſet eſſe probabilis, altera probabilior) in quibus terminis validiores adhuc redduntur rationes ſupra factæ, vnde plures tenuerunt minus probabilem & minus tutam ſequi non licere contra probabiliorem tutiorẽ. Eos citat Sanch. d. cap. 9. num. 13. Filliuc. d. tract. 21. cap. 4. num. 129. ducti efficaciſſimis fundamentis ibi adductis, adeo vt quidam, quem tacito nomine immerito reprehendit idem Filliuc. vbi proximè num. 132. dixerit: communem ſententiam contrarium docentem, pernicioſæ inſcitiæ prolapſionem, at melius dixiſſet, ſi id aſſereret de communi ſententia ſupponente duas contrarias partes, poſſe probabiles ſimul eſſe probabilitate vera quæ ad operandum requiritur, & eſt aſſenſus cum formidine, &c.

106. Dices cum Bonacin. d. diſ-

put. 2. quæſt. 4. puncto 9. num. 5. & cum aliquibus doctis, quos ratiocinantes de hac re audiui, præcipuè eximium illum Conimbric. Theologum, ac Magiſtrum, quem ſæpè citaui, quod eo ipſo, quod iudicamus vtramque partem probabilem practicè, iudicamus per conſequens vtramlibet nobis licere. Vnde ſuppoſita vera probabilitate vtriuſque partis, inquiunt, non poteſt non licere, etiam ſecundum minus tutam operari.

107. *Verum ſi rectè* aduertatur, conſtabit huiuſmodi argumentum nullius eſſe momenti, quod magis patebit, ſi reducatur ad memoriam in propoſito probabilitatem, ſiue aſſenſum opinatiuum conſiderari, circa vtramque partem contradictionis antecedentis, ſcilicet an res ſua ſit, an teſtamentum fuiſſet validum, non autem conſiderari circa peccatum, ſcilicet an liceat rem vel legatum petere, ſic enim, qui circa hoc in probabilitate, ſiue opinione eſſet, iam haberet conſcientiam formatam. Vn-

Digitized by Google

de nulli alij doctrinæ, ſiue quæſtioni locus remaneret, iuxta latè dicta, & probata ſupra cap. 1. num. 26. & 27. Quæſtio autem noſtra eſt de conſcientia formanda, ritè & rectè, quando probabilitas, id eſt aſſenſus opinatiuus datur circa antecedens. Quo ſuppoſito, patet dicentem probabile eſſe rem eſſe ſuam vel teſtamentum validum, non eo ipſo dicere, licere eam vel legatum petere, immo deductionem huius conſequentis pendere ab alia media ratione latè facta, & explicata ſupra hoc cap. num. 19. Quæ ratio vbicumque ceſſat, per conſequens ceſſat illa reſolutio, & licentia deducendi dictamen licere, quod patet per limitationes additas à n. 26. Etiam quando vera & propria probabilitas antecedentis interuenit. Neque enim probabilitas eſt aliquid quaſi à Deo vel natura ipſa factum, ita vt, ea ſtante, ſemper, & neceſſario ſequatur licere ſecundum minus tutam partem operari. Quod autem in terminis, de quibus agimus eſſet ratio, quare regulariter ex antecedenti

probabiliter reſoluto, veluti rem eſſe ſuam, ſequitur rectè deduci dictamen licere rem petere, &c. probauimus apertiſſimè paulo ſupra. Sanè tota ratio deceptionis, qua perſuaſi Doctores tenaciter aſſerunt non poſſe ſtare, quod aliqua pars ſit probabilis, & tamen illam ſequi non liceat illa eſt, quæ proximè puncta fuit, quia ſcilicet exiſtimant probabilitatem conſiderari circa illud, an ſcilicet liceat, ſic enim iudicans probabiliter licere, iudicare iam non poteſt, non licere, quod ſi conetur intellectus, in repugnantiam incidet & ſic in verum dubium, etiam probabiliter tantum illa iudicando. (Optarem, vt ſicut Doctores, hanc repugnantiam pro ſe conſiderant ad prædictum intentum, illam ſimiliter conſiderarent ad noſtrum principale.) At, vt dicebamus, debuerunt aduertere probabilitatem non eſſe conſiderandam circa quæſtionem, an liceat, ſed circa antecedens, à quo illius reſolutio pendet: veluti an teſtamentum validum ſit, an res ſua

ſit, quo antecedenti probabiliter tantùm reſoluto, intrat alia quæſtio, an ſcilicet rectè deducatur dictamen licere rem vel legatum petere, non obſtante illa formidine, quæ in probabilitate vera includitur. Probabilitas ergo non conſideratur circa hanc quæſtionem, ſed circa illa priorem, cuius materia reſoluitur in terminos, circa quos hæc poſterior quæſtio verſatur. Vnde patet quare nihil repugnet probabile eſſe teſtamentum validum fuiſſe, & tamen non eſſe deducendum dictamen licere legatum petere, non aſſero, non licere, ſed repugnantiam non continere, immo citati ſupra hoc cap. num. 18. tenuerunt non licere propter formidinem, quod fortè (indicto exemplo) ſit inualidum teſtamentum & citati ſupra num. 28. cum communi, docuerunt, cum probabilitate circa validitatem ſacramentorum, non licere illa adminiſtrare ſecundum minus tutam partem. Adde omnino dicenda num. 139. & ſequentibus. Concludimus ergo non ſequi: Probabile eſt, ergo

licet, ſed hoc pendere ex ratione media, quæ ſemper conſideranda eſt; illa autem, quæ ad propoſitum impedit, vt ex antecedenti probabili, deducatur dictamen licere (quod aliàs regulariter conceſſum eſt) illa eſt, quia quando in contrarium ſimilis probabilitas ſupponitur, ceſſat ratio ſupra conſiderata num. 19. Quæ ſolum procedit quando vna tantum probabilis eſt; vera probabilitate, iunctis ijs, quæ ſupra hoc §. Diximus, & explicauimus! Addendo quod etiam ſi conſideraretur probabilitas circa quæſtionem an liceat, adhuc in ſpecie, de qua agimus non liceret minus tutum ſequi, quia, ſicut operans (vt ſuppono) habet dictamen licere, ſic per contrarium habet ſimul dictamen non licere, immo verè reducitur in dubium, vt §. præcedenti oſtendimus, illa enim dictamina contraria ſtare non poſſunt, & ſe inuicem elidunt.

108. Reſpondebat adhuc multipliciter inſignis ille Conimbric. Theolog. contendens diluere rationes à

Digitized by Google

nobis factas ſupra num. 103. & 104. & ſuſtinere doctrinam aſſerentem, datis duabus partibus probabilibus, licere ſequi minus tutam & minus probabilem, contra tutiorem, & probabiliorem, & inter alia vtebatur hoc ſyllogiſmo: *In quæſtionibus practicis licet mihi ſequi quicquid eſt probabile: ſed huius quæſtionis, quæ eſt practica, vtraque pars eſt probabilis, vt ſupponitur; ergo licet mihi ſequi vtramlibet.* At facile reſponderi prædicto ſyllogiſmo replicabam; diſtinguendo maiorem: licet mihi ſequi, quod eſt probabile, quando pro contraria parte non eſt aliud ſimile probabile, concedo: Quando eſt ſimile probabile, nego maiorem. Ratio diſtinctionis remanet ſatis probata per diſcurſum huius §. 1. notando, quod, vt numero præcedenti probauimus, & explicauimus, probabilitas, neque eſt conſideranda circa quæſtionem an liceat. Vnde non erat dicendum in ſyllogiſmo: licet mihi ſequi, &c. quæ & alia ſimilia omitto latiùs tractare: Nam generaliter iam admonui quæ-

Digitized by Google

ſtionem eſſe de conſcientia forman-da, & probabilitatem conſiderandam circa antecedens, quæ ſi iterum de nouo ſint aduertenda, & ſigillatim impugnanda quæ contra illas noſtras obſeruationes, & ſuppoſitiones à Doctoribus ſunt dicta, & Doctiſſimus ille Theologus paſſim ſuam, & communem methodum ſequendo docet, eſſet in infinitum procedere. Quot verò exceptiones habeat maior dicti ſyllogiſmi, videas infra num. 139. & ſequentibus.

109. Deinde negabat habentem per has auctoritates, vel fundamenta dictamen licere, habere per contrarias dictamen non licere, dicens quod licet operans poſſet, tamen non tenebatur hoc dictamen deducere, quando, vt ſupponitur vtraque pars probabilis eſt. Verùm replicabam, iam ſupra pluribus locis præcipuè n. 78. probaſſe ſimilia dictamina, non pro libito, ſed ipſa natura cogente deduci vel non. Vnde ſi ſupponimus hoc licere, quia probabile, etiam debemus dicere non licere, quia contra-

rium probabile eſt, quod rationibus, & auctoritatibus probaui ſupra hoc §. num. 103. Patet etiam, quia quando ſum in probabilitate vera votum emiſiſſe: rem eſſe alienã: matrimonium eſſe nullum, &c. teneor votum implere: rem reſtituere: matrimonio non vti, quod fatentur Sanch. Suar. & alij citati ſupra hoc cap. num. 19. quod ita non eſſet ſi in mea electione eſſet deducere vel non dictamen, non licere, quod nullo modo deducerem in terminis dictorum exemplorum. Immo etiam in dubio conſtitutus diceret, nolle dictamen deducere ſibi non licere. Cæterum, certum eſt, hæc pro libito non fieri, immo iam ab ipſa natura facta eſſe, quando ſupponitur vtraque vel alia pars probabilis, in primo enim caſu dubium verum, in 2. verò probabilitas, & per conſequens dictamen ſic, vel ſic neceſſariò deducendum reſultat.

110. Præterea reſpondebat; ſufficere eligere minus tutum, quia imprudenter non agit, qui in probabi-

libus practicis, eligit tutum, relicto tutiori. Addens, quod ſi non ſufficeret eligere tutum, oporteret ſæpè eligere minus probabile, cùm ſæpiſſimè tutius, ſit minus probabile. At replicabam 1. mirari, quod ſupponatur vtrumque tutum, nam quamuis ſit probabile, non per id dicitur tutum, cùm pars minus tuta dicatur, etiam ſi millies probabilis ſit vera probabilitate, immo licet certa videatur, quæ dictat licere non ieiunare, non reſtituere, &c. quia tutum vel non tutum conſideratur reſpectu naturæ ipſius actionis, non autem reſpectu rationum, ſiue fundamentorum illam partem vel actionem licitam ſuadentium, quod latè probauimus & explicauimus ſupra hoc cap. num. 13. cum ſequentibus, & omnes agnoſcunt, immo ipſemet ſapientiſſimus Theologus, aliàs non differret tutum à probabili. Neque minus tuta dicitur, quia in effectu tuta ſit, ideſt licita, ſed quia in ea, datur periculum peccati, ſi fortè falſæ ſint rationes ſuadentes licere.

Quod

Quod tamen in tutiori non contingit, nam quamuis falſa fortè ſint fundamenta ſuadentia me non teneri ieiunare, ſiue reſtituere, tamen in ieiunando vel reſtituendo peccatum eſſe non poteſt. ¶ Voluit ergo fortè dicere Theologus ille Doctiſſimus, & cum eo Caſtro Palao, qui ſimiliter loquitur d. tract. 1. diſput. 2. puncto 2. vtramque partem reddi licitam, & in hoc ſenſu vtramque tutam ſuppoſuit, ideſt licitam. At ſunt maximè diuerſi termini. Verum, dicto ſenſu accepto, argumentum ſupra in principio numeri factum improprietatem, & inuolutionem continet, ſic enim dicendum eſſet: Poſſe nos ſequi licitum relicto magis licito, quod quàm abſurdum ſit, nemo non videt. Tandem ſit, quicquid ſit de proprietate vel improprietate dicendi, negamus prudenter agere illum, qui minus tutum ſequitur, etiam cum probabilitate, quod in eo caſu licet, quando in contrarium eſt ſimilis & multò magis, ſi maior probabilitas, ex rationibus iam ſupra factis, &

Digitized by Google

repetitis. Addendo, quod immerito ſupponitur vtramque partem licere, eo ipſo, quod ſit probabilis, cùm nulla alia ſit præſens controuerſia, niſi an liceat minus tuta. Cur ergo ſupponitur pro certa ipſa doctrina, de qua controuertitur? Num quando controuertimus, an aliquid ſit calidum, benè arguitur dicendo non eſſe frigidum, quia calidum eſt? ¶ Ad illud quod addit: aliter oportere ſæpè eligere minus probabile, quia tutius: Concedo illationem, at nego id vllum inconueniens adducere, ſi fieri poſſet vtramque partem eſſe probabilem. At verè non contingit, ſi de vera probabilitate agimus.

III. Ad exempla in comprobationem aſſertionis noſtræ adducta reſpondebat; *Quod licet in ordine ad condemnandum Reum, non magis dicatur probatum cùm Actor, & Reus æque probant, quàm cum nihil probant, tamen ad perſuaſionem priuatam plus operantur probationes æquales, quia non erit temerarius, qui iudicauerit eſſe probabile, quod teſtes alterutri depoſuerunt.*

Addebat ſæpius, quod ſi nobis non ſufficeret quæcumque probabilitas practica, eſſet nobis difficillimum honeſtè operari, & moraliter impoſſibile, quia propter deffectum noſtræ cognitionis imperfectæ, nihil morale caret controuerſia. Verùm replicabam 1. non conſiderare, quare priuatus poſſit prudenter ſuaderi & non iudex in eiſdem terminis, neque aſſignari rationem differentiæ. Deinde negabam prudenter ſuaderi priuatum, quando in contrarium videt ſimilem, & multò magis, ſi maiorem videt probabilitatem, ſiue validiorem probationem, & temerè agere, ſi indictis terminis eligat partem, in qua, ex ſua natura, poſſit dari periculum. ¶ 2. ad id, quod addebat, replicabam, iam ſæpè dixiſſe, & probaſſe nullam impoſſibilitatem dari, immo frequentiſſimè contingere, vt vna tantùm pars nobis ſit probabilis vel etiam certa, ideſt, quantùm ad noſtram exiſtimationem, quæ attenditur. Non autem requiri illam infallibilem certitudinem pro vt res

Digitized by Google

in ſe eſt, quæ nobis incognoſcibilis eſt, & Deo tantùm patet, vt iam admonuimus ſupra hoc cap. num. 86. Vnde non eſt cur conſiderentur ſimiles impoſſibilitates, neque imperfectio noſtræ cognitionis, nam illa rei natura hic conſideratur, quæ ſe noſtræ cognitioni repræſentat, non autem dubitari poteſt, quod rerum natura ſe nobis repræſentat modo ſic, modo ſic, & id aliquando cum certitudine, ideſt ſine formidine. Aliquando cum illa. Aliquando autem non audemus iudicare qualis ſit. Et ijs ſtatibus noſtræ cognitionis ſuppoſitis circa antecedens, quæritur, quid reſoluendum ſit circa peccatum, quod ſæpè diximus ſupra.

112. Neque per hæc, quæ aſſerimus infringitur notabiliter libertas operandi, nam frequentiſſimè, etiam ſi dentur ſententiæ Doctorum contrariæ ſumus in probabilitate, ideſt aſſenſu vnius, non alterius, ſæpè in certitudine, in quibus terminis frequentiſſimis libertas non infringitur, neque operari, ſecundum quod opta-

mus, impedimur. Sin autem impedimur operari ſecundum minus tutam, quando ſumus in dubio circa antecedens, quis hoc negat de iure eſſe? At in dubio adhuc ſæpè licet operari ſecundum minus tutam. In quo ergo noſtra doctrina libertatem infringit? Certè in eo tantùm quod negat licere operari, quando in contrarium ſtat ſimilis probabilitas pro parte tutiori. At hoc non eſt addere impedimentum libertati, ſed oſtendere illud, quod nemo negat reſultare ex dubio, habere propriè locum, quando vtraque pars contraria eſt probabilis, ſiue potius ſe repræſentat. Immo ex contraria doctrina reſultat nimia licentia operandi, quæ Dei optimè offenſionem continere poteſt. Vnde non eſt attendendus effectus, ſed cauſa, & an iuſta ſit pro noſtra vel contraria, quam improbamus, ſententia. Sanè ex eo videtur Theologus ille eximius conſideraſſe reſtrictionem noſtrarum operationum; quia exiſtimauit nos requirere illam certitudinem, vel probabilita-

tem naturæ rei, quæ nobis incognoſcibilis eſt, & Deo tantùm patet. At iam numero præcedenti admonuimus nullo modo illa requirere.

113. Minus adhuc noſtræ aſſertioni obſtat, aut contrariam confirmat exemplum adductū à Sayr. in Clau. reg. d. lib. 1. cap. 7. num. 5. dicente, quod ſicut perfectius eſt eſſe Virginem, quàm eſſe vxoratum: eſſe religioſum, quàm eſſe diuitem & nemo tamen ad illa perfectiora, ſecluſo voto, tenetur: Ita non tenetur ad ſequendam probabiliorem opinionem. Nam facillimè reſpondetur prædictum exemplum abſimile eſſe ſpeciei de qua agimus, nam in illis terminis vtraque pars bona eſt, altera melior; In terminis autem de quibus agimus certum nobis eſt alteram partem, vel propoſitionem malam eſſe vel falſam, licet non agnoſcatur qualis, vnde patet maxima differentiæ ratio, nam ſi fortè veræ non ſint rationes, quæ probant antecedens probabiliter ita ſe habere, veluti teſtamentum validum fuiſſe vel rem meam eſſe, operando

ſecundum minus tutam partem, quæ eſt rem petere vel legatum (nam in illis non petendis peccatum dari nequit) committitur peccatum : quod tamen nullo modo conſideratur in aliqua parte exempli adducti.

114. Eodem ferè morbo laborat, quod ait Monteſin. 1. 2. diſput. 29. quæſt. 5. num. 162. ſcilicet, quod ſicut ex duobus bonis poteſt vnum eligi, ſic ex duobus probabilibus contrariis vnum eligere licet : Et eodem modo de quo proximè reſpondetur. Addendo quod immerito conſiderat bonitatem in ipſa opinione, ſiue ſententia probabili, nam ibi non eſt: quod magis patet, ſi aduertatur probabilitatem conſiderandam eſſe circa antecedens, vnde nec bonitatem, nec malitiam continere conſtat. Bonitas ergo ſolum conſiderari poſſet in operatione, in qua tamen in vtraque parte eſſe, dici non poteſt, quantùm ex ſe, quia vt ſupponimus, pars altera ex ſe minus tuta eſt & continet periculum, licet non negemus, quod virtute rationum licita quoque reddi poſſit.

Digitized by Google

115. *Hinc etiam* extra quæſtionem eſſe exiſtimamus doctrinam Azorij moral. d. lib. 2. cap. 16. quæſt. 2. ibi. *Quando opiniones ſunt æque probabiles, certæ & tutæ, poſſe vnumquemque eligere, quam maluerit, ſicut ſi duo eſſent æquè beneficio Eccleſiaſtico digni,* &c. Nam ſi tutæ ſunt, vt in exemplo, quis dubitat ſequi licere? At dictum illud improprietatibus & inuolutionibus etiam aliis laborat, nam videtur ſignificare tutam vtramque eſſe, eo ipſo, quod eſt probabilis, hoc autem impugnauimus ſupra n. 110. Deinde ſi ſunt certæ opiniones, id eſt ſententiæ, qualiter probabiles appellat, quonam, precor, pacto poſſunt eſſe certæ & probabiles?

116. *Neque etiam* noſtra aſſertio eliditur aut contraria confirmatur, quia, vt aiunt, plura ſunt falſa probabiliora veris, quod ex Ariſtotele refert Filliuc. d. tract. 21. cap. 4. num. 130. Vnde per conſequens non debemus metu contrariæ ſententiæ etiam probabilioris exiſtimare aliam minus auctoritatem vel veritatem continere,

Digitized by Google

cum licet pro ea veritas adeo non appareat, illam fortè continebit verius, quàm contraria, quæ verior apparet. Vel quia, vt ait Sanch. d. lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 6. Non debemus iudicare improbabilem aliorum ſententiam, licet habeamus contra eam fundamentum, quod nobis inſolubile videatur. Vel quia, vt ait Caſtro Palao cum aliis d. tract. 1. diſp. 2. puncto 2. num. 2. cum probabili, contra probabiliorem operari licet, *Quia ſæpè opinio quæ alicui probabilior & tutior apparet, probabilior non eſt & tutior.* Nam reſpondetur, quod ſi noſtræ exiſtimationi ſtare non debemus, quia poteſt eſſe falſa, & partem, quæ nobis videtur falſa aut improbabilis, ſequi debemus vel poſſumus, quia poteſt eſſe vera, tota doctrina ab ipſis Doctoribus tradita deſtruitur, nullaque regula in operationibus noſtris eſt obſeruanda, ſed faciendum, quod voluntas propoſuerit, licet illicitum videatur, quia fortè poterit eſſe licitum, licet nos illud tale non iudicemus, quod nullo modo eſt

Digitized by Google

admittendum, nec credendum ſcribentes illud docere voluiſſe. Quod ait Sanch. illum ſenſum videtur continere; quod ſcilicet nemo adeò ſuæ opinioni fidere debet, vt non reputet contrariam fortè veram eſſe poſſe. At nihilominus dictum illud indiſtinctè prolatum ſuſpectum eſt, nam ſic excludit ſtatum certitudinis, quia, ſi habens fundamentum conuincens & inſolubile (quantùm ad propriam exiſtimationem, quæ attenditur) certus non eſſe debet, immo putare contrariam fortè veram eſſe, non datur caſus, in quo dicatur eſſe in certitudine, immo ſic fortè erit in probabilitate partis contrariæ, quod eſt intentum Sancij illud conſulentis, ne tenaciter ſuæ opinioni adhærens, priuetur commodo ſequendi alienam. At, vt ſæpè diximus, hæc pro libito non fiunt, ſed ſi aliqua pars videtur certa, non poteſt flecti ad libitum intellectus, vt eam pro certa non habeat. Neque ſi flectat, ita vt exiſtimet fortè veram eſſe poſſe contrariam ſententiam per id (vt credo)

poterit ſecundum illam operari, quia id ſolum conuincet, illum non eſſe in certitudine, ſed tantùm in probabilitate illius partis, non tamen huius, quam fortè veram eſſe poſſe agnoſcit, hoc enim non ſufficit ad illam reddendam probabilem, ſed requiritur aſſenſus illam eſſe veram. Minus ſtare poteſt dictum ſupra relatum Caſtro Palao; nam non ſolùm obſtant ſupra conſiderata, ſed etiam, quia ſupponit fortè non eſſe tutiorem partem, quæ tutior apparet. Nam vix conſidero qualiter quæſtio vel dubitandi ratio dari poſſit circa hoc, ſcilicet quæ pars ex ſe tutior ſit, eſt enim patens & expeditum, veluti, ieiunare, reſtituere, &c.

117. Illud tandem non obſtat, quod ſcilicet, quando vtraque pars probabilitatem, id eſt rationes non parui momenti pro ſe habet, & minus tutam partem eligimus & ſecundùm illam operamur, ſaltem ex eo videmur non temerè agere, quia in contrarium nihil eſt conuincens, quia vt ſupponimus, non eſt maior vel fal-

tem notabiliter maior ratio, vt pars contraria præferatur, cùm ergo ſimus in poſſeſſione libertatis noſtrarum actionum, dum nihil conuincens eſt, quod eas prohibitas vel malas oſtendat, cur non licebit in prædictis terminis eligere minus tutam, cùm etiam pro ſe habeat ſimiles rationes? Certè hoc tantùm argumentum, aliquid poſſet conuincere, niſi conſtaret eius vim æquè procedere, quando ſumus in vero & proprio dubio, tunc enim, etiam in contrarium nihil conuincens eſt. Statuamus autem nos eſſe in dubio, quando æqualis vel ferè æqualis probabilitas datur, vel potius dari videtur, pro vtraque parte, & fatebimur ſuam vim habere argumentū & non nihil operari, vt videbimus ſub c.3. de Conſcientia dubia.

118. *Sic iam* ab impugnationibus liberata aſſertione noſtra, illam ampliandam cenſeo, vt procedat etiam ſi pars minus tuta eſſet probabilior, nam dato, quod altera poſſet eſſe probabilis, altera probabilior, adhuc cum probabiliori ſequi non poſſet

minus tuta pars, quia maior probabilitas non mutat rei ſtatum, quia eſt tantùm maior inclinatio, quæ ſicut non ſufficit, vt quis à dubio exeat, vt benè aduertunt Sanch. in Decalog. d. lib. 1. cap. 10. num. 4. Bonacin. d. 2. tom. diſput. 2. quæſt. 4. puncto 7. num. 1. & alij, ſic ſimiliter maior probabilitas non mutat ſtatum, ſed in effectu remanet probabilitas, ſicut etiam eſt pro contraria parte. At magis vel minus non conſtituunt ſpecificas differentias ex text. in l. fin. ff. de fundo inſtructo: quod ergo negamus licere cum probabilitate, quando alia ſimilis eſt in contrarium, negamus etiam, quando illa pars ex ſe minus tuta haberet pro ſe probabiliorem, quicquid Doctores nihil dubitent de ſequenda probabiliori & minus tuta, ſed ſolùm dubitent de ſequenda minus probabili, & minus tuta, contra tutiorem & probabiliorem, ſuam ſuppoſitionem ſequentes, qua ſupponunt, vtramque probabilem eſſe poſſe. At neque ſic, vt dicebamus, ſequeretur licere operari ſecundum minu[illegible]tam.

119. Concludo igitur, quod etiam ſi dari poſſet vera probabilitas, id eſt aſſenſus opinatiuus pro vtraque parte, contradictionis, non tamen liceret operari ſecundum partem minus tutam, contra probabilitatem partis oppoſitæ, per ea, quæ hoc §. diximus, probauimus & explicauimus.

§. V.

Probatur Doctorum opiniones, ſiue potius ſententias, etiam communiter receptas, non habere ex ſe veram probabilitatem, neque magis per eas fieri poſſe vtramque partem probabilem, aut eo ipſo operari ſecundum minus tutam partem licere, ſed ſolum ſi operantem ad aſſenſum mouere contingat.

120. D*Iximus ſupra* hoc cap. §. 1. num. 130. cum ſequentibus, opiniones ſiue ſententias Doctorum, nihil commune habere cum vera opinione, id eſt aſſenſu vnius partis præſtito ab ipſo operante, ac per conſequens ad doctrinam de con-

ſcientia opinante, ſiue probabili non pertinere & ſolum poſſe cauſam eſſe, prout aliæ plures, deuiniendi in veram opinionem. Nunc autem videbimus, qualiter illæ opiniones ſiue ſententiæ, non habeant ex ſe probabilitatem, neque etiam poſtquam intellectus ipſius operantis illas iudicat aſſenſu dignas, niſi cum effectu alicui aſſentiatur iudicans ſaltem cum formidine, verum eſſe illud, quod aſſerit non contrarium.

121. *Opiniones ergo* ſiue potius ſententias Doctorum, non habere ex ſe veram probabilitatem, ex eo patet, quia vera probabilitas, quæ ad operandum neceſſaria eſt, conſiſtit in aſſenſu opinatiuo vnius partis, ab ipſo operante præſtito, neque eſt aliquid iam per alios factum, ſed de nouo faciendum per operantem, ſicut etiam certum aliquid vel dubium ex ſe non eſt, ſed huiuſmodi qualitates recipit ab intellectu hoc vel illo in particulari, ſecundum eius motum & in propoſito attenditur ipſius operantis motus, vt doctrina procedat, vt non ſe-

ſemel admonuimus & probauimus ſupra num. 4. & 33. Semper ergo hæc pendent à iudicio operantis, neque antea veram probabilitatem, certitudinem, ſiue dubium ex ſe continent, quod etiam probatur, nam ſi ſententia aliqua ex ſe probabilis, ſiue certa eſſe poſſet, iam amplius improbabilis, ſiue falſa fieri non poſſet, cuius contrarium paſſim contingit, iudicata ſcilicet nunc pro improbabili vel etiam falſa ſententia, quæ antea probabilis ſiue vera reputabatur. At nec etiam per hoc illa eo ipſo remanet falſa aut improbabilis, ſicut nec vera, quæ eam talem dicit, nam, vt dicebamus, hæc omnia pendent à iudicio particulari vnius cuiuſque hominis, cuius intellectus motus illi reddit obiectum verum, falſum, probabile, improbabile, &c. Non aliter, ac guſtus epulam ſapidam vel inſipidam: viſus, pulchrum vel fœdum & ſic de cæteris. Præterea probatur, quia Doctores aſſignant plura requiſita, vt aliqua ſententia dicatur probabilis, quod latiſſimè tractat Azor. moral.

lib. 2. à cap. 9. vſque ad cap. 16. Ergo cùm pendeat à iudicio particulari examen, an in aliqua ſententia concurrant illa requiſita, ante hoc examen, & approbationem non poteſt aliqua ſentẽtia dici probabilis, etiam impropria probabilitate & multò minus vera & propria probabilitate, quæ requirit aſſenſum opinatiuum. Deinde ſi aliqua ſententia ex ſe haberet probabilitatem, ſiue certitudinem, ſiue improbabilitatem, ſiue falſitatem, poſſemus & deberemus dicere idem obiectum probabile, certum, improbabile & falſum, quia aliæ ſententiæ illi hanc, aliæ verò, aliàs dictas qualitates illi tribuerent, quod quantùm abhorreat, nemo non videt. Item quia ſi haberent ex ſe probabilitatem, ſequeretur, quod datis duabus ſententiis contrariis, ſi intellectus ſuſpenderetur nihilominus reſultaret probabilitas, quod eſt contra omnes.

122. *Dices forſan*, ſenſum aſſertionis, quam impugnamus illum eſſe, non quidem eo ipſo aliquid eſſe pro-

babile, quia Doctores illud aſſerunt ducti fundamentis non parui momenti, ſed fieri probabile apud operantem, vbi primum illi parti aſſentitur, ſcilicet dicendo & ſentiendo: Hæc pars auctoritates, ſiue rationes non parui momenti pro ſe habet, & tales auctoritates ſiue rationes, eſſe ſufficientem & legitimam cauſam, ad deueniendum in probabilitatem dicto modo. Verùm reſpondetur, nos non negare ſententiam Doctorum eſſe legitimam cauſam deueniendi in probabilitatem, immo in certitudinem, ſi talia ſint fundamenta, vel taliter prudenter moueant auctoritates. At hoc eſſe diuerſum à re noſtra, & iam tunc operari cum propria probabilitate vel certitudine, vt diximus ſupra hoc cap. num. 33. Negare autem eo ipſo aliquam ſententiam operari in nobis dictum effectum, cum neque etiam communem ſequi teneamur, aut poſſimus, ſi nobis falſam ſe repræſentet, quod benè docent Garc. cum citatis de benef. part. 11. cap. 5. num. 364. Sayr. d.

lib. 1. cap. 11. n. 8. Layman. d. lib. 1. Theolog. moral. tract. 1. cap. 5. n. 8. Bonacin. d. 2. tomo diſput. 2. q. 4. puncto 9. num. 5. ſentit Sanch. in Decalog. d. cap. 9. num. 14. & 18. fine. Ioan. Sanch. ſelect. diſput. 14. num. 8. Item negare ſententiam Doctorum præciſè nobis eſſe probabilem tantùm, cùm etiam illius Auctores illam pro certa defendant, neque videre, quare probabile tantùm ſupponatur ſemper, quod aliqua ſententia Doctorum aſſerit. Tandem negare ſufficere ad operandum, ſiue ad formandam conſcientiam licere, quod operans iudicet tantùm illam ſententiam inniti non contemnendis fundamentis, immo aſſerere requiri omnino, quod aſſenſus ſaltem opinatiuus præſtetur illi propoſitioni, quam ſententia illa defendit, veluti quod teſtamentum validum eſt, vel quod tale impedimentum non reddidit nullum matrimonium, vt ex antecedenti, ſic probabiliter ſaltem reſoluto deducatur dictamen, ideſt conſcientia formetur, licere petere

legatum vel matrimonio vti. Quæ probauimus ſupra hoc cap. num. 19. & 42. & alijs.

123. Ex dictis cauendum cenſeo à Monteſin. 1. 2. d. diſput. 29. n. 162. ibi. *Intelligitur concluſio, quando non ſolùm à parte rei opiniones ſunt æquè probabiles, ſed etiam iudicio, & existimatione eius qui operatur.* Nam immeritò ſupponere videtur opiniones, ideſt ſententias Doctorum, de quibus agit, à parte rei, ſemoto iudicio operantis, continere probabilitatem, vel eam aliquem effectum poſſe producere.

124. Neque vim aliquam habet inſtantia Monteſin. vbi proximè, ſcilicet, quod aliàs, niſi Doctorum ſententiæ continerent probabilitatem, fruſtra illi fatigarentur in fundandis, & inculcandis ſuis ſententijs. Nam reſpondetur non fatigari in vanum, ſed ſuas fatigationes operari illud, quod natura ipſa operari rationes, & auctoritates permittit, ſcilicet ſuadere aliorum intellectus, quod tamen non omnes, & apud omnes con-

ſequi ſolet, licet pluries accidat. Non autem plus hominibus eſt conceſſum, nulli enim talis poteſtas competit, vt certum vel probabile, falſum vel improbabile aliquid reddere poſſit apud omnes, hoc enim ſoli Deo competit, & fidei cauſis conceſſum reperitur.

125. Iam ergo ex dictis & probatis hoc §. conſtat, non magis poſſe fieri vtramque partem probabilem vera probabilitate per ſententias Doctorum, quàm per fundamenta & rationes, cùm, vt probatum eſt, non inſit probabilitas aliqua ipſis ſententijs, ſed illa & vera præſtanda ſit ab intellectu operantis, vnde non minus inconuenit eundem intellectum duabus ſententijs contrarijs præſtare aſſenſum, quàm duabus alijs partibus etiam contrarijs, pro quibus conſiderat fundamenta non parui, ſiue etiam magni momenti. Quod magis patet ſi aduertas tenentem ſententias contrarias tenere debere, non quidem probabilem hanc, & illam eſſe, ſed illud, quod ipſæ ſententiæ di-

Digitized by Google

ctant, ſcilicet contractum eſſe vſurarium & non eſſe vſurarium, quod qualem contradictionem contineat, quis non videt? Dictis hoc §. adde dicenda infra à n. 193.

§. VI.

Inferuntur plura contra ea, quæ communiter docentur in materia Conſcientiæ in genere, & probabilis.

126. Ex *dictis*, & latè probatis ſupra hoc cap. & præcedenti. Infertur 1. contra omnes docentes, vel ſupponentes contrarium. Conſcientiam eſſe vltimum iudicium, quod profertur circa peccatum, quod neque deponi poteſt, nec poſt ſe aliud habere, ſemperque certum eſt, & ſi ſtrictè loquamur, non erroneum, non dubium, non probabile.

127. *Infertur* 2. Doctrinam de licentia operandi cum probabilitate locum habere, quando probabilitas eſt circa antecedens, à cuius reſolutione aliàs pendet, an opus liceat, quod proportionabiliter etiam de dubio dicimus. Non autem procedere

Digitized by Google

quando conſcientia ipſa formidat, ſiue dubitat, nam nec tunc ſine veniali peccato geritur opus cum formidine, neque per contrarium certum eſt peccatum mortale committi in gerendo opere, de quo conſcientia dubitat, an liceat vel non. Quæ dicta ſunt hoc numero & præcedenti latiùs probata & explicata remanent cap. præcedenti.

128. *Infertur* 3. etiam contra omnes, opinionem, quatenus eſt ſtatus proprij intellectus operantis, & idem eſt, quod vera probabilitas, id eſt aſſenſus vnius partis cum formidine contrariæ, eſſe opinionem veram, quæ ad præſentem materiam pertinet, & cum qua licet operari, & ſtante ea ſcilicet circa antecedens, formare conſcientiam licere opus illud, niſi in terminis exceptis ſuo loco. Non autem ad materiam præſentem pertinere opiniones, quæ veræ ſunt, & dici debent ſententiæ Doctorum.

129. *Infertur* 4. etiam contra omnes, duas partes contrarias, ſimul apud eundem intellectum, non poſſe

probabiles eſſe vera probabilitate, quæ aſſenſum opinatiuum includit. Immo verum dubium reſultare, quando vtraque pars videtur probabilis abuſiua probabilitate, quæ, at non vera, pro vtraque parte dari poteſt, neque ſufficit ad operandum ſecundum partem minus tutam. Item, quod ſi fieri poſſet vtraque pars contraria probabilis vera probabilitate, tamen neque tunc ſecundum minus tutam operari liceret. Quæ omnia & dicta numero præcedenti latè probauimus, & explicauimus hoc cap. 2.

130. *Infertur* 5. etiam contra omnes, ineptum eſſe dicere, quod paſſim aſſerunt, data probabilitate vtriuſque partis licere eligere vtramlibet; nam de parte tutiori, in qua nullum peccatum conſideratur, quis dubitat eligi licere, etiam ſi nulla probabilitate ſuſulta eſſet? Tota ergo ratio dubitandi eſt circa minus tutam?

131. *Infertur* 6. immerito Doctores præcipuè recentiores frequentiſſimè diuerſas, & contrarias ſententias Doctorum dicere probabiles, inter

eas

eas gradus probabilitatis aſſignando, quaſi non eſſet præciſum alteram ſolùm veram, cæteras falſas eſſe, vel quaſi contrariæ ſimul poſſent eſſe probabiles. Quod videtur ab ſcribentibus Theologiam moralem inuentum, vt ſic liberum eſſet ſecundum quam libuiſſet operari. Cùm tamen antiquiores, & etiam moderni aliarum materiarum ſcriptores, vix aliquando vtramque contrariam partem ſuſtineri poſſe dicant, & ſemper ferè, aliam veram, aliam falſam eſſe aſſerant; quod neceſſario fieri debet, vt aliquid decidi dicatur, quod verè non agunt, immo rem ſibi dubiam eſſe oſtendunt, qui vtramque partem probabilem dicunt, etiamſi alteram probabiliorem.

132. *Infertur* 7. conciliatio Doctorum diſſidentium circa illam quæſtionem, an ſcilicet ad operandum requiratur iudicium practicè certum, dictans hoc opus licitum eſſe; vel ſufficiat probabile cum formidine partis oppoſitæ, quos refert Sanch. d. lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 18.

Digitized by Google

Arriaga 1. 2. diſput. 23. à num. 11. qui illud prius, contra Sanch. poſteriùs defendentem tenet. Dicendum enim eſt, quod vel quæritur, vtrum iudicium certum requiratur circa antecedens, & reſpondendum eſt non requiri, ſed ſufficere probabile, & cum hoc rectè formari conſcientiam certam, licere. Vel quæritur, vtrum iudicium certum requiratur circa conſequés, videlicet licere, & reſpondendum eſt requiri, nam ſi cum iudicio dictante probabiliter tantùm licere operemur peccatum, veniale ſaltem committimus iuxta reſoluta ſupra cap. 1. num. 31. & cap. 2. n. 19.

133. *Infertur* 8. Sanch. d. lib. 1. cap. 9. num. 14. Caſtro Palao d. tract. 1. diſput. 2. puncto 2. num. 2. & alios docentes, non quidem certum, ſed tantùm probabilius licere operari cum probabilitate ſecundum minus tutam, nihil prorſus decidere, nam adhuc remanet ipſa quæſtio, an liceat cum probabili, vel etiam probabiliori operari; cùm enim decidenda ſit certò quæſtio illa, an liceat cum

probabili operari, illa etiam ſolùm cum probabilitate deciditur, & ſic manet eadem quæſtio circa deciſionem, nam, precor, vnde nobis conſtat certum eſſe probabile ſequi licere, ſi id certum non dicitur, ſed tantùm probabile? Adde dicta hoc cap. num. 24.

134. *Ex dictis* proximè ſubinfertur in idem, & fortè maius inconueniens incidiſſe Arriaga l. 2. tom. 5. diſput. 23. num. 19. vbi quærens à quonam principio poſſit deduci certo non peccare illum, qui operatur cum opinione probabili, ait: *Pro quo aduerte, in dicto caſu interuenire tria iudicia: duo prima probabilia, vnum vltimum certum. Primum probabile eſt: Probabile eſt, v. g. accipere aliquid pro mutuo ratione lucri ceſſantis, non eſſe vſuram. Secundum iudicium etiam probabile eſt; licere ſequi hanc priorem opinionem. Tertium certum eſt, qui (iudicando probabiliter ſibi id licere hic, & nunc) accipit aliquid pro mutuo, non exponit ſe periculo peccandi, ſeu non peccat: hoc enim iudicium non eſt du-*

Digitized by Google

bium, nec ſub opinione, licet ſuppoſitio ſupra quam cadit, ſit ſub opinione, &c. At confunditur, nam ſecundum iudicium, ſcilicet licere ſequi illam probabilem opinionem, non debet eſſe probabile tantùm, ſed certum, nam, quæro, quis ei præfixit probabilitatem, non autem certitudinem? Deinde ſi hoc ſecundum iudicium non eſt certum, ſed tantùm probabile, quare magis tertium certum erit, & non etiam probabile tantùm? Sanè iudicium illud ſecundum certum eſſe debet, tam ex inconuenienti conſiderato numero præcedenti, quam quia illud debet eſſe poſtremum, non autem ſecundum, nam duo tantùm iudicia proferri debent. Primum probabile & hoc circa antecedens. Secundum certum circa conſequens, videlicet in ipſo exemplo ab Arriaga propoſito. Probabile eſt non eſſe vſuram accipere aliquid ratione lucri ceſſantis. Ergo non pecco hic & nunc accipiendo hoc, ratione lucri ceſſantis. Quod quidem iudicium circa conſequens, quod in effectu eſt conſcientia, cer-

tum & ſine formidine eſſe debet, aliàs non licebit operari ſine peccato ſaltem veniali: vt probauimus cap. 1. d. num. 31. & hoc cap. num. 19. & paulo ſupra num. 132. ¶ Sin autem quęras, qualiter fieri poſſit, vt ex antecedenti probabili deducatur conſequens certum, quod declarare voluit Arriaga dicto loco: reſpondebimus fieri poſſe media illa ratione, quia ſcilicet tranſitum facimus ad aliam quęſtionem, nempe, an quando probabiliter reſoluimus antecedens, contractum, videlicet, non eſſe vſurariũ, rectè deducamus conſequens certum, ſcilicet non peccare celebrãdo, quam quidem quæſtionem certo & firmiter reſoluimus affirmatiuè, quia rationes efficaces id petunt, eas conſiderauimus ſupra hoc cap. num. 19. declarando tamen, vt num. 21. 26. & ſequentibus, cùm ergo iam quæſtio immediatè, & tantùm non pendeat ab antecedenti illo probabili tantùm, ſed ab alia quoque ratione media; nihil mirum, ſi certo & firmiter reſolui poſſit. Adde dicta hoc cap. n. 20.

135. *Infertur* 9. in vanum ferè Doctores fatigari in quærenda & inculcanda opinione, ſiue ſententia probabiliori, nam dato quod, vt ſupponunt, vtraque pars, ſiue ſententia contraria poſſet eſſe probabilis, ſemper probabilem ſequi liceret, relicta probabiliori, adeo vt Sanch. d. lib. 1. cap. 9. num. 17. dixerit generaliter, etiam illum, qui exiſtimat teneri ſequi probabiliorem, poſſe probabilem ſequi, ſi tantùm probabilius reputet ad illud teneri, probabilem quoque reputando, poſſe ſequi probabilem relicta probabiliori.

136. *Hinc ſubinfertur* in vanum etiam, & inutiliter eundem Sanchez eodem cap. 9. num. 46. & 47. controuertere, ac reſoluere, iudicem teneri ſententiam ferre iuxta opinionem probabiliorem, nam cùm ibidem dicat contrarium quoque eſſe probabile, nullam iudici neceſſitatem imponit eligendi probabiliorẽ, quod erat intentum & potius debuiſſet dicere, pro amico iudicare poſſe, cùm vtrumque ſub probabilitate relin-

quendo, & ſuppoſito probabilē contra probabiliorem ſequi licere, in idem recidat, ac ſi illi optio libera daretur.

137. *Infertur* 10. tutum non eſſe, quod ſcribit Sanch. d. lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 16. poſt Vaſq. quem ibi citat, dicens, quod etiam ſi aliquis per intrinſeca rei principia neutrius opinionis, ſiue ſententiæ aliorum aſſenſum habeat, ſed inter vtramque hæſitet, poterit tamen operari ſecundum alteram, dummodo ſaltem per extrinſeca principia habeat hoc iudicium determinatum: nempe ſibi licere vtramuis ſequi, eo quod vtriuſque graues patronos videat. Nam ſi nullius aſſenſum habeat, qualiter poterit dici eſſe in vera opinione ſiue probabilitate, vt operari poſſit? Sin dicas, quod aſſentitur propter auctoritatem ſolam, iam id eſt aſſentiri & malè ſupponitur neutri aſſentiri, quod in ratione ibi facta & inferius referenda & impugnanda, adhuc clariùs & generaliter aſſeritur. Neque video quare deducendum ſit illud iudicium determinatum

ſibi licere, &c. Ex eo ſolùm, quod videt graues Doctores, ſiue patronos vtriuſque ſententiæ ſine eo, quod illis aſſentiatur. Tandem, quia ſi in effectu habeat iudicium determinatum ſibi licere ſequi vtramuis, iam extra quæſtionem eſt & reſolutum manet ſibi illud licere, neque reſtat aliud, de quo dubitetur, cùm iam illud ſit vltimum iudicium poſt quod aliud haberi non poteſt, vel, vt noſtro modo loquamur, ſit iam conſcientia formata, non autem formanda, ac per conſequens illa doctrina ad præſentem materiam non pertineat iuxta dicta cap. 1. num. 26. & 29. Cùm ergo Auctor ille Doctiſſimus intendat dicto loco ampliationem ſuæ doctrinæ aſſignare, de terminis dubitabilibus, non debuit dicere, quod licet alicui ſequi ſententiam Doctorum, ſi habeat determinatum iudicium ſibi licere eam ſequi, quia hoc dictum eſt de re indubitabili dato dicto iudicio, non aliter ac illud relatum ab eodem Sanch. d. cap. 9. num. 29. ſcilicet ſæpè ſacerdotem non peccare negando abſolutionem in caſu, de quo ibi,

quia licet eam impertire deberet, tamen excuſatur ſæpe bona fide & zelo ſuæ opinionis. Quod quidem dictum extra rem eſt, nam quæſtio eſt, vtrum rectè agat & poſſit vel debeat denegare, non autem excuſetur bona fide vel iuſto errore. Debuit ergo in propoſito probari, quod videns Doctores graues pro vtraque parte, rectè poteſt formare illud iudicium, quamuis neutri illarum ſententiarum aſſentiatur, quod tamen neque probatur, nec facilè poſſet probari. Ratio autem quam reddit Sanch. d. num. 16. non apta videtur, ait enim. *Quia ſi, quando vni tamquam probabiliori aſſentitur, poteſt contra illam operari, quod Doctores graues illam tuentes videat, à fortiori id poterit, quando neutri aſſentitur.* Nam ſic ſupponit, quod ille qui operatur contra opinionem, ſiue ſententiam, cui tamquam probabiliori aſſentitur, propterea quod videt opinionem, ſiue ſententiam aliorum minus probabilem, ſecundum quam operatur, non aſſentitur huic & nihilominus eam licitè ſequitur, quod

ſi intelligit verum non videtur, cùm nemini liceat ſequi opinionem, cui non aſſentitur: ſin autem id aliter intelligit non procedit argumentum, quo ratio illa innititur. Omitto, quod perperam ſupponitur ſententiam eſſe opinionem, de qua in materia conſcientiæ agendum eſt, item quod vtraque ſententia ſequi poteſt, quia habet pro ſe graues Auctores cùm tunc potius vt in re dubia, ſequenda ſit tutior, quia ſimilis auctoritas pro vtraque parte conſiderata dubium producit, non vtriuſque partis probabilitatem iuxta dicta & probata ſupra §. 3. per totum.

138. *Infertur* II. Doctores ferè extra limites materiæ de conſcientia, & doctrinæ ab ipſis traditæ duxiſſe rem iſtam. Nam cùm ipſi aliàs conſiderent probabilitatem & opiniones, ſiue potius ſententias contrarias circa hoc, an liceat operanti, quod ex ſe minus tutum eſt, tranſeunt ad alios terminos maximè diuerſos, in quibus ſententiæ contrariæ non ſunt circa hoc, an operanti illud liceat, ſed circa aliud diuerſum & remotum,
Digitized by Google

quod agnoſcit & aduertit Sanchez infra citandus illo cap. 9. numero 3. & 43. Nempe quando ſunt opiniones, ſiue ſententiæ contrariæ circa ius partium vel circa præceptum ieiunandi vel reſtituendi, & Doctor cõſulitur & quæritur, ſecundum quam opinionem debeat vel poſſit conſulere, an ſecundum alienam & minus probabilem? idem proportionabiliter de medico, quando ſunt ſententiæ ſimiliter contrariæ circa medicamenta, an ſint proficua vel non. Idem de adminiſtrante ſacramenta, quando ſunt opiniones, ſiue potius ſententiæ contrariæ circa valorem ſacramenti tali modo adminiſtrati. Item de iudice, quando ſunt contrariæ ſententiæ circa ius litigantium. Et ſimiliter de Aduocato & aliis. De quibus caſibus & quæſtionibus latè tractant poſt alios, quos citant Sanch. d. lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 19. vſque ad finem capitis. Caſtro Palao d. tract. 1. diſp. 2. puncto 3. & ſequentibus per plura & integra capita, prout etiam nouiter Arriaga 1. 2. tomo

3. diſput. 24. ſect. 5. per tot. & omnes alij de materia ſcribentes. Quod quidem non ſolùm eſt extra terminos, in quibus, vt dicebamus, ipſi Doctores conſiderant probabilitatem ex ſententiis contrariis, ſed neque conſiderant partem minus tutam, vt in ea ſequenda procedat quæſtio, quæ aliàs indubitata eſt, vt diximus ſupra num. 130. Neque agunt de aſſignanda probanda & firmanda regula, ex qua illarum & ſimilium quæſtionum reſolutio ſequatur, ſed vago modo illos caſus proponunt & decidũt, non quaſi exempla regulæ vel exceptionum, ſed quaſi quæſtiones principales & diuerſæ, & quamuis Sanch. quaſi illationes eos referat, & proſequatur, diſſimiliter tamen eos decidit, neque pro illis & aliis ſimilibus & infinitis, regulam aſſignat vel aſſignatæ limitationes adiungit, ad quas illi caſus pertineant, quod omnino fieri oportet. Quod nos tamen pro viribus faciemus, inde inferentes communes reſolutiones circa prædictos caſus tutas non eſſe per ſingulos diſcurrendo.

139. *Pro quo* in memoriam redu-

Digitized by Google

cendum eſt, quod, vt ſupra hoc capite num. 19. 21. 26. & duobus ſequentibus diximus, doctrina & reſolutio dictans licere operari cum probabilitate ſecundum minus tutam partem, tunc tantùm procedit, quando vertitur onus ipſius operãtis in agendo ſecundum tutiorem, & inſimul actionem illam gerit, tamquam propriam. Nam ſi ad alium principaliter pertineat negotium illud & ab operante geratur, tamquam à miniſtro publico, vt à iudice, adminiſtratore ſacramentorum, tabellione aut ſimili. Vel ex conuentione expreſſa vel tacita, vt à medico, conſulente, procuratore, negotiorum geſtore vel ſimili, nullo modo locum habebit prędicta doctrina; immo etiam ſi accidentaliter vertatur intereſſe operantis, tenebitur, ſiquidem aliud bonum, aliud melius conſiderat, agere illud, quod melius & vtilius eſt illi, ad quẽ negotium, ſiue actionis intereſſe pertinet, nec ſatisfaciet agendo bonum. Sin autem rationes, auctoritates vel ſententiæ contrariæ dentur, aliis ſuadentibus illud, quod geri intenditur

bilius à tutiori, licet aliàs nihil commune habeant, neque verè tutius, vel minus tutum conſiderari poteſt, niſi reſpectu operantis, quando negotium eius, non alienum geritur. Quod enim agnoſcatur aliquid eſſe bonum, & vtilis illi ad quem negotium pertinet, hoc non eſt quod ad propoſitum tutius conſideratur, licet ex alia ratione dixerimus ſupra omnino hoc faciendum, quando apparet, in terminis de quibus agimus.

¶ Quæ dicta ſunt recipiunt declarationem in iudice, nam illo iudicante pro altero, offenditur aduerſarius, vnde neque in hoc poteſt conſiderari aliquid bonum, & vtile, quod ſequatur, nam quod vni vtile eſt, aduerſario nocet, neque iudicare licebit, niſi pro eo cuius iuſtitia certa, vel ſaltem probabilis eſt vera probabilitate; ideſt aſſentiente iudice cum formidine illi parti, non autem contrariæ. Non vero pro eo cuius iuſtitia probabilius apparuerit, ſi ſupponatur etiam pro contraria parte probabiliter quoque apparere, quia vt pro-

ximè hoc numero diximus, & latiùs ſupra num. 118. tunc verum dubium reſultat, & tantummodo aliqua inclinatio in alteram partem ſentitur; hæc autem non ſufficit, vt illa pars præferatur, & aduerſarius condemnetur, vt latius dicemus infra de iudice agentes num. 151. cum ſequentibus præcipuè 155. & 156.

140. *Subinfertur* ergo 1. ex dictis, neque bene, neque ſatis cohærenter doctrinæ ab ipſis traditæ docuiſſe Sanch. d. lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 19. cum ſequentibus; & Caſtro Palao d. 1. part. tract. 1. diſput. 2. puncto 3. per tot. & ab eiſdem citatos, licere Doctori conſulere contra propriam opinionem, ſequendo alienam, quam probabilem putat. Quæ quidem quæſtio, & reſolutio in primis, vt dicebamus eſt ferè extra materiam de conſcientia probabili, quia ſecundum ipſos, doctrina de licentia operandi cum opinione, vt dicunt, probabili, tunc tantùm procedit, quando opiniones, ſiue ſententiæ Doctorum ſunt circa illud; an ſcili-

Digitized by Google

cet liceat vel non opus, de quo quæritur an licitum. At in caſu & terminis illationis, opiniones nullo modo circa illud verſantur, ſed circa ius petentis conſilium, videlicet an validum ſit tale teſtamentum vel talis contractus. Quorſum ergo pertinet ad rem illam dicta quæſtio? Deinde tota quæſtio, & dubitandi ratio an liceat ſequi probabile, procedit, quando illa pars, quæ ſequi deſideratur, minus tuta ex ſe eſt, & altera contraria tutior, vnde quæritur an debeat amplecti tutior, & omitti minus tuta, aliàs enim ſi contraria quoque æquè non tuta apparet, ceſſat quæſtio, non enim ille, qui deſiderat operari ſecundum non tutam, habet quo confugiat, ſi velit tutius ſequi: neque maius periculum datur in illa ſequenda, quam in amplectendo contrariam. Cùm ergo in caſu, & terminis de quibus agimus, æquè non tutum ſit conſulere ſecundum vnam, videlicet teſtamentum, vel contractum validum eſſe, ac ſecundum oppoſitam, videtur quod nō poteſt quæ-

Digitized by Google

ſtio iſta pertinere ad doctrinam de conſcientia probabili. ¶ Quod autem, dato, quod ad rem pertineat, non recta ſit illa reſolutio probatur: nam, vt ſuppono, & ſatis colligitur, intentum eſt dicere & ſignificare, quod videns conſulens probabilem aliorum ſententiam, videlicet teſtamentum, in quo deficit talis ſolennitas vel contractum, in quo tale requiſitum non interuenit, inualidum eſſe, quamuis ipſe contrarium probabile quoque, immo probabilius reputet, licitè poteſt reſpondere, & conſulere ſimpliciter, teſtamentum illud vel contractum ſuper quo conſulitur inualidum eſſe. At hoc non videtur verum: Nam, quamuis prædictæ reſolutioni non obſtarent, quæ latè hoc cap. ſcripſimus, probantes, neque ſententiam Doctorum eſſe opinionem veram, quæ attenditur in hac materia, neque ex ſe continere probabilitatem, neque poſſe fieri, vt vtraque ſententia contraria ſit probabilis vera probabilitate, immo tunc verum dubium reſultare, tamen

adhuc ſuſpecta eſſet dicta reſolutio, nam ille conſulens non ſuum in conſulendo, ſed alterius negotium gerit, & ex tacita conuentione tenetur ſecuriori modo agere iuxta dicta num. 139. nec ad eum pertinet commodum vel incommodum illius negotij, ſed ad illum, qui conſilium petit, vnde non eſt cur conſulens vtatur licentia ſequendi probabilem, quæ, vt ſæpe diximus, conceditur, vt onus vitemus, quando negotium noſtrum eſt, non vt libere, & ſine cauſa vbicumque inuenta fuerit iuxta illam operemur, vt probauimus ſupra hoc cap. num. 21. & 26. cum duobus ſequentibus & dicemus infra, vnde ſaltem ſecundum probabiliorem teneri conſulere dicendum eſſet, cùm ipſi Auctores id in medico doceant, vt per Sanch. d. cap. 9. num. 41. poſt Sott. Salon. & Suar. 6. citatos, qui fatetur, quod licet (ſuam ſuppoſitionem ſequitur) non agat contra iuſtitiam ſequendo opinionem minus probabilem, aget tamen contra charitatem, quod nobis ſufficit ad intentum, nam

vel ſit ex hoc vel ex illo capite, Auctor ille reſoluit medicum teneri probabiliorem ſequi: ergo ſimiliter de conſulente dicere debuit. Immo idem Sanch. d. cap. 9. num. 47. non defitetur iudicem ex obligatione iuſtitiæ teneri ſecundum probabiliorem iudicare, quod & plures ibi citati ſequuntur. Præterea ſic conſulens decipit illum, qui conſilium petit, nam ei occultat, quod aperire debuerat, ſcilicet probabilitatem in contrarium, quod iniquum eſt, etiam, quando illa ſolum æqualis eſſet, & illi damnum infert, quia audiens à conſulente, teſtamentum, v.g. cuius virtute hæreditatem petere intendebat, nullum eſſe, à propoſito recedit, quod non faceret, & fortè hæreditatem euinceret, ſi conſulens aperiret, etiam probabile eſſe, (& multò magis ſi probabilius) teſtamentum validum eſſe. Quod inconueniens, vltra alia; poteſt conſiderari in quibuſcumque terminis in quibus conſilium datur, concedendo, vel negando ius vel licentiam eſſe vel non eſſe petenti con-

ſilium, nam ſi pro eo ſit reſponſum conſideratur præiudicium, quod alteri, ideſt eius aduerſario infertur, vel ſi excuſatur à præcepto conſideratur præiudicium, quod ipſi præcepto, & legi diuinæ reſultat. Debet ergo omnino conſulens aperire petenti, conſilium, quod ſentit, & qualiter, an certo, an cum formidine, an ſit de eo ſententiæ contrariæ, ſiue diuerſæ, hoc enim petit ipſa naturalis ratio, ipſa mens conſulentis, ipſa rei conuenientia. Quod ſi fortè id ſibi non placeat, abſtineat à conſulendo. Et in effectu aduocatum teneri aperire clienti ſuo veritatem iuris ſuæ cauſæ, & illi reſtituere, ſi ſuccumbat, quia non erat litigaturus, ſi agnouiſſet dubium cauſæ, docet cum Siluestro, Nauarr. Sayr, & Toled. idem Sanch. d. cap. 9. num. 51. quæ reſolutio, & eius ratio idem conuincunt in propoſito.

141. Neque contrarium probant rationes ab illis Auctoribus conſideratæ, non illa de qua Sanch. d. n. 19. Caſtro Palao, d. puncto 3. num. 1. quod ſcilicet, ſi ipſi conſulenti ille

caſus contingeret, ſibi liceret ſequi probabilem, ergo eodem modo licebit illam conſulere. Nam reſpondetur 1. negando inter ſententias contrarias, ſe poſſe gerere tamquam in probabilitate vtriuſque partis, nam potius ſe gerere debet tamquam in dubio, quod tunc verè reſultat iuxta dicta, & probata ſupra §. 3. per tot. Item negando doctrinam de licentia ſequendi probabilem locum habere, quando negotium non pertinet ad operantem, prout non pertinet ad couſulentem. 2. reſpondetur in ſpecie, & terminis, de quibus agimus tertium decipi, ex quo particularis malitia actionis reſultat, quæ ceſſaret, ſi ipſius conſulentis cauſa verteretur, quod cùm Salas fatetur Sanch. d. cap. 9. num. 21. quando expreſſe, qui petit conſilium rogat de opinione conſulentis, at mihi videtur ſatis clarum eſſe, ſemper tacitè rogare, vt illi adaperiat conſulens totum quod ſentit pro vel contra, quod agnoſcit Caſtro Palao d. puncto 3. num. 4. verſ. prætereà. ¶ Non etiam probat

dictam aſſertionem à nobis impugnatam ratio illa, quod ſcilicet non ſemper eſt probabilius vel ſecuriùs, quod alicui tale videtur, quam rationem allegat Caſtro Palao d. diſput. 2. puncto 9. num. 8. pro ſimili reſolutione & puncto 10. num. 7. pro alia etiam ſimili; nam dicta ratio omnino abſurda videtur. Quia ſi ex eo quod aliena ſententia poteſt fortè eſſe probabilior vel minus certum, quod mihi certius videtur, debeo vel poſſum contrarium amplecti, ſuperfluum eſt quærere, quid certius ſit, immo etiam omnino mihi certum poſſem omittere, & falſum amplecti, at hoc abſurdum eſſet, & illud latius impugnaui ſupra hoc cap. num. 116. Quæ quidem, & alia ſimilia inconuenientia ceſſarent, ſi rectè aduerteretur & ſtatueretur veram probabilitatem, ideſt aſſenſum opinatiuum ipſius operantis, non autem ſententias Doctorum eſſe veram opinionem, & ipſam non poſſe ſtare pro vtraque parte, neque illum qui alicui parti aſſentitur, etiam cum

formidine poſſe aſſentiri contrariæ etiam propter aliorum auctoritatem, niſi diſcedat à propria opinione, & aſſentiatur alienæ ſententiæ, quæ tunc ſit propria & ſola, & qui aliud contendit, ſcilicet vtramque amplecti in verum dubium reduci ex latè dictis, & probatis toto hoc capite.

¶ Neque illa apta eſt ratio, quam reddit Sanch. d. cap. 9. num. 21. Quod ſcilicet conſulens ex aliena opinione, videtur conſulere ex ſua, quia illi aſſentitur, nam ſic fiunt ſuæ duæ & contrariæ. Item ſi hoc eſt verum, vana eſt tota illius capitis 9. quæſtio & controuerſia principalis, nam ſic nemo operatur ex aliena opinione contra ſuam. Tandem nego prorſus non imprudenter aut temere agere illum, qui operatur cum probabilitate, quando alia ſimilis eſt in contrarium, cùm ſe, vt in dubio gerere debeat, aut quando negotium non eſt eius, ſed alienum intereſſe vertitur: nam tunc tantùm probabilitas excuſat operantem, quando agit de vitando onere ex dictis,

dictis, & repetitis ſupra. Sin autem proprium intereſſe conſideretur in conſulente ex aliqua cauſa, neque ſic minus probabile, ſiue minus vtile conſilium petenti cum probabilitate, etiam vera magis dare poterit, ſi vtilius appareat, nam ex tacita conuentione tenetur agere, quod magis probabiliter vtilius eſt ei, cuius negotium geritur, neque hic attendendum intereſſe conſulentis, ſiue alterius ſimiliter negotium alienum agentis, ex dictis ſupra hoc cap. n. 28. & proximè num. 139.

142. *Concludo igitur* 1. conſulenti non licere conſulere ſecundum alteram ſententiam, altera, ſiue ſua, ſiue aliena non expreſſa, immo etiam ſtando in vera opinione vnius tantùm partis debere exprimere, ſentire formidinem, quæ in opinione includitur. Notando quod, ſi quando vtramque contrariam iudicat probabilem (quod nos niſi per errorem contingere poſſe exiſtimamus) id, vt debet, aperiat ille quidem, qui conſilium petit in eodem ſtatu recedet,

O

in quo acceſſit, nam conſulens nihil decidit circa illud, quod quæritur, ſcilicet an teſtamentum vel contractus validus ſit, dubius ergo ſicut venit recedere cogitur, quod aliis exemplis probauimus ſupra hoc cap. §. 3. & hic pungimus, vt appareat ſic conſulentem nihil decidere, & verius in dubio eſſe, non in ſtatu proferendi conſilij, ad quod reſolutio requiritur.

143. *Neque etiam* probare poſſum, quod reſoluit Sanch. d. cap. 9. num. 23. verſ. *Credo tamen*, dicens, licere Doctori, qui falſam reputat aliquam opinionem, ſiue potius ſententiam, remittere petentem conſilium ad alium Doctorem; qui illam opinionem, quæ ei fauorabilis eſt reputat probabilem, ductus rationibus, quæ illi & aliis doctis probabiles videntur, quia ſic re vera probabilis eſt, quamuis remittenti improbabilis videatur. Nam cùm iudicet falſam alterius ſententiam, qualiter ſimul poteſt illam iudicare probabilem, immo talem illam ſimul iudicare non poteſt,

qui illam improbabilem reputat, adeo vt mirum ſit Doctores eximios contrarium ſupponere, ductos quidem illa ſuppoſitione, quod ſcilicet ſententia Doctorum aliquid probabilitatis in ſe infixum habet, non enim credo aliquem aſſerere per fundamenta, vel rationes contrarias poſſe exiſtimantem aliquam partem improbabilem, eam quoque probabilem iudicare, apertiſſimè enim implicat. Vel ergo Doctor remittens conſiderat contrariam ſententiam improbabilem, & ſic perperam dicitur poſſe remittere ad illum. Vel de illa nihil iudicat, & ſic cur dicitur probabilis, vel cur licebit ad illius Doctorem remittere illum, qui conſilium petit? Caſtro Palao d. diſput. 2. puncto 3. num. 5. impugnat alio modo dictam Sancij reſolutionem, dicens, quod ſi Doctor iudicat euidenter falſam illam ſententiam, quam tenet alius Doctor, ad quem remittit, non licet remittere. Sin autem euidenter falſam non iudicat, ſiue improbabilem, imprudenter procedit, ſi eam proba-

bilem non reputet, ſemel autem probabili reputata, ſicut Doctor remittens poſſet conſulere iuxta illam opinionem, ſiue ſententiam, ſic poterit ad eum remittere conſilium petentem, vt fauorabile ſibi inueniat. Verum mirum quoque eſt Doctiſſimum virum Caſtro Palao ſupponere opinionem, quamuis eſſe probabilem eo ipſo quod non eſt euidenter falſa, cùm verius, vt ſit vera probabilitate probabilis, requiratur, quod ſit ferè vera apud ipſum operantem, illi vt veræ aſſentienti, cum formidine, quæ ſolum operatur, vt ea omnino certa illi non ſit, iuxta dicta & latè probata hoc capite præcipuè in principio, & §. 2. ſic autem, qui dicit aliquam ſententiam falſam, at non euidenter vel eodem modo improbabilem, dicit quoque illam probabilem & ſequi poſſe. Quod quantum abhorreat, nemo non videt. Admirabilis quidem fuit vulgaris acceptio probabilitatis pro qualibet apparétia veritatis, cùm tamen verè probabile debeat ſolum leuiſſimam apparétiam falſitatis con-

tinere, & quicquid ſit de nomine probabilitatis & eius ſignificatu, opinio cum qua licet operari, eſt aſſenſus ipſius operantis pro vna parte, cum formidine contrariæ, quod ſi in probabilitate non inuenitur & aliud eſſe dicatur, conſtanter negabimus cum tali probabilitate licere operari. Tandem negamus, quod ipſe Doctor remittens, etiam conſtitutus in probabilitate vera vtriuſque partis, poſſit conſulere ſecundum alteram, nam contrarium probauimus ſupra proximè num. 41. Ex quibus omnibus talem remiſſionem illicitam eſſe, reſoluere non vereor, etiam in dictis terminis proximè, & multò magis in illis, in quibus reſolutionem impugnatam Doctores tradunt.

144. *Neque tandem* veram puto ſine diſtinctione, aſſertionem Sancij d. cap. 9. num. 24. Caſtro Palao d. diſput. 2. puncto 3. num. 6. reſoluentium licere illi, cui non eſt grata reſolutio vnius Doctoris, aliũ ac alium quærere, quouſque inueniat placitam reſolutionem. Nam licet recta in-

tentione, nec fraudulenter hoc faciat vel intendat, tamen alia adhuc diſtinctio adhibenda eſt, vel enim intendit inuenire rationes vel auctoritates, illum mouentes ad aſſenſum illius partis, ſecundum quam operari deſiderat: & hoc non dubito ſibi licere, dummodo antea in ſimilem aſſenſum non ſit inductus pro contraria parte, aliàs enim inæqualitas maxima committitur, contra diuinam legem vel proximum, dicendo videlicet; Quamuis inueniam probabile, vel certum eſſe me teneri ieiunare vel reſtituere, tamen non acquieſcam, immo quæram certitudinem vel probabilitatem in contrarium, vt ſic excuſer. Sin autem inueniam certum eſſe vel ſaltem probabile me non teneri, nullam amplius diligentiam adhibeam, vt inueniam fortè me teneri. Quod quidem à fraude nequit excuſari, debet enim operans tam pro ſe, quam contra ſe, eodem modo quærere veritatem, & non dicto inæquali modo. Nec dici poteſt iure ſuo vti, quia ſi pro ſe conſiderat ius ſibi con-
Digitized by Google

cedens vti prædicta diligentia ad ſe excuſandum, debet etiam conſiderare ſimile quoque ius ſibi præcipiens, vti ſimili diligentia, vt inueniat an præceptum verè illum obliget. Et quidem operante ſemel conſtituto in certitudine ſe teneri, iam non poteſt quærere ab aliis an teneatur, nam ſi adhuc ſpes reſtat ſe fortè non teneri, non benè ſupponitur certum eſſe teneri. Sin verò nullo modo dubitat ſe teneri, fraudulenter quærit iudicium erroneum illum excuſans. Operante autem conſtituto in probabilitate tantùm, quod tenetur, non dubito poſſe adhuc diligentiam adhibere, vt inueniat ſe non teneri: at aſſero obligari ſimiliter ad diligentiam, quando fuerit conſtitutus in probabilitate ſe non teneri, vt inuenire poſſit an fortè teneatur, quod admonuimus & probauimus ſupra hoc cap. num. 29. Qui autem diſpoſitus eſt ad non obſeruandam dictam æqualitatem non bene diſpoſitus eſt. Dum autem prædicti Auctores ſupponunt, quod inuento aliquo Doctore etiam grauiori

vel etiam Doctoribus excuſantibus, eo ipſo operantem excuſatum à præcepto remanere, quamuis antea ſimiles Doctores contrarium reſoluentes, contra ſe inueniſſet, illis aſſentiri non poſſumus, cùm ſic in dubio, non in vera & ad operandum neceſſaria probabilitate conſtituatur operans, iuxta latè probata hoc cap. præcipuè d. §. 3. ac per conſequens tamquam in dubio ſe gerere debeat.

145. *Subinfertur* 2. tutum non eſſe, quod docent Sanch. d. lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 51. & ſequentibus. Caſtro Palao d. tract. 1. diſput. 2. puncto 11. num. 2. Arriaga 1. 2. tomo 3. diſput. 24. num. 26. ſub ſectione 2. licere Aduocato patrocinare cauſam probabilem, contra oppoſitam, etiam probabiliorem (quod tamen vltimum negat Arriaga vbi proximè num. 27.) non ſolùm pro reo, ſed etiam pro actore. Nam in primis quod attinet ad præiudicium clientis & circa conſilium ei præſtandum, & merita cauſæ aperienda idem obſeruare debet Aduocatus, quod ſupra

proximè de conſulente reſoluimus, in hac enim parte conſulens verè eſt, quod non deſitetur Sanch. d. num. 51. concedens ſic de aduocato, quod de conſulente negaſſe videtur. Deinde, quod attinet ad præiudicium partis aduerſæ contra quam patrocinatur, neceſſario diſtinguendum eſt inter aduocatum actoris & aduocatum rei. Agendo ergo primo de Aduocato Actoris, certum credo, non ſolùm, quando illius cauſa eſt fulta æquali tantùm, ſed etiam maiori probabilitate, non licere contra reum cauſam agere. Moueor non tantùm per fundamentum Valentiæ 2. 2. diſput. 5. quæſt. 15. puncto 4. q. 1. deductum ex regula cùm ſunt partium 11. de regul. iur. in ſexto ſed etiam quia regula *In dubiis tutius eſt eligendum*, hic verificatur & ſequenti modo, ſecundum noſtram reſolutionem & methodum applicatur, aduertẽdo, quod hic quæritur, qualiter debeat aduocatus formare conſcientiam ſibi licere vel non aduocare pro actore, quando ſunt ſententiæ, vel rationes pro-

babiles contrariæ circa ius ipſius cauſæ, quod eſt antecedens à quo pendet an ſibi liceat. At, vt latè probauimus toto hoc capite, quando rationes, ſiue ſententiæ probabiles pro vtraque parte dantur, ſiue potius dari videntur, non reſultat vera probabilitas, ſed verum & proprium dubium. Ergo in dictis terminis debet Aduocatus formare conſcientiã, prout quando eſt in dubio conſtitutus. Dubitans autem, qui aliud gerere prætendit, illud gerere nequit, ſi minus tutum ſit & tutius ſequi debet, iuxta dicenda & probanda ſub capite de Conſcientia dubia num. 32. Vnde concluditur Aduocatum non debere patrocinium illi cauſæ præbere, quia hoc tutius eſt, minus autem tutum præbere patrocinium, vt reus condemnetur, cùm ſibi non conſtet illius cauſam eſſe iniuſtam, immo probabilem (vt ipſorum Auctorum ſuppoſitione vtar) & fortè probabiliorem. ¶ Neque etiam ſi probabilior videatur cauſa Auctoris, aliud obſeruandum erit, quia dato, quod ex probabilitate apparen-

te vtriuſque partis contrariæ, dubium verum reſultet, vt verè reſultare exiſtimo & probaui, non deſinit eſſe dubium, quia altera pars probabilior appareat, quia id conuincit tantùm aliquantulum maiorem propenſionem in illam partem, quod non facit dubium ceſſare, vt bene aduertunt Sanchez d. lib. 1. cap. 10. num. 4. Filliuc. d. tract. 21. cap. 4. n. 174. & diximus ſupra hoc cap. num. 79.

146. Neque contrarium probant fundamenta ab illis Doctoribus adducta, non illud quia ſcilicet, ſicut ipſe actor in dictis terminis poteſt agere contra reum, ſic aduocato licet eum adiuuare, vt ait Arriaga d. loco, poſt Sanch. vbi ſupra num. 52. verſ. Tandem. Nam ex eiſdem proximè factis rationibus id negamus de ipſo actore. Non etiam illa, quia cùm ſit probabilis cauſa actoris, eo ipſo licita eſt, vt arguit Caſtro Palao d. loco, quia in primis negamus etiam in ſenſu & ſuppoſitione ipſorum Auctorum, prædictam probabilitatem iuris actoris, eſſe probabilitatem requiſi-

tam, nam illæ ſententiæ non ſunt circa id, an liceat Aduocato patrocinium præſtare, circa quod eſſe debuerant, vt ille ſecundum probabilem dicere-tur operari, ſecundum ipſorum Auctorum generalem doctrinam. Deinde negamus probabilitatem veram eſſe pro vtraque parte, aut minus tutam ſequi licere, quando pro tutiori conſideratur ſimilis probabilitas, ex dictis hoc capite, præcipuè §. 2. 3. & 4. Negando quoque etiam ſemper cum vera probabilitate licere, ſecundum minus tutam partem operari, niſi concurrat ratio conſiderata ſupra hoc capite num. 19. & 21. iunctis dictis num. 26. cum ſequentibus. Non etiam probat contrarium illa ratio, quia ſcilicet etiam ſi Aduocato videatur partis contrariæ ius probabilius, tamen fortè iudici videbitur probabilius ius eius partis, quam Aduocatus defendit, nam ſi per id Aduocato liceret patrocinium illi cauſæ præſtare, etiam illud præſtare poſſet, quando ipſi apertè iniuſta cauſa ſui clientis videretur, nam etiam tunc idem

apud iudicem contingere poſſet. Non tandem obſtat illa ratio, quod ſcilicet ſi actor æquale ius habet, cur illud non perſequetur? Quia reſpondetur Actori non ſufficere æquale ius, quia ſic non iuſtè petit, quod ſibi condemnetur reus, cur enim condemnabitur, ſi æquali iure tuetur, ne condemnetur? Vide conſiderata & reſoluta cap. ſequenti de Conſcientia dubia. Addendo partem vtramque non habere ius æquale, vt dicetur & explicabitur infra num. 154. ſed ad ſummum habere rationes vel auctoritates ſuadentes pro hac parte ius eſſe, non pro contraria, & ſic per contrarium.

147. *Concludo ergo* tunc tantùm Aduocato licere pro actore aduocare, quando fuerit ſibi certum, vel ſaltem vera probabilitate, id eſt aſſenſu opinatiuo illius partis, probabile, actoris cauſam iuſtam eſſe, non verò cauſam rei, tunc enim non obſtante formidine, quæ in opinione includitur, vt ſcilicet fortè iuſtior ſit cauſa rei, poterit Aduocatus actoris cauſam patrocinari, ex doctrina à nobis tra-

dita & probata hoc capite conſiderando, quod aduocatus intereſſe prætendit in aduocando cum effectu proſequendo litem , vt ſalarium conſequatur , nam ſi nullum ius intereſſe verteretur, non poſſet operari contra dictam formidinem & deberet abſtinere à præſtando patrocinio in illa cauſa, ex rationibus factis ſupra hoc capite locis citatis num. præcedenti, præcipuè d. num. 21. & 26. Aduertendo etiam quod reſpectu partis, contra quam patrocinatur ſuæ , non dicitur eius negotium gerere, neque ex tacita conuentione teneri agere, quod illi vtilius vel probabilius fuerit, ſufficit ergo, quod illi non inferat iniuriam , quæ ceſſat , ſi aſſentitur etiam cum formidine ſui clientis cauſam, non aduerſarij iuſtam eſſe. Sin autem Actor fauorabiliorem cauſam foueat, poterit Aduocatus etiam cum æquali vel adhuc minori probabilitate, ſiue potius in dubio, etiam cum aliqua inclinatione ad cauſam aduerſarij patrocinari cauſam actoris, quia in dictis terminis pro eo iudicari iu-

ra diſponunt, ex rationibus quibus ducti aliàs pro reo iudicandum iam iam probabimus.

148. *Quod verò* attinet ad Aduocatum rei, non inficior poſſe ipſius cauſam defendere, etiam ſi in dubio ſit, an fortè potior ſit cauſa actoris, nam quando æquales rationes, ſiue auctoritates, ſiue etiam nullo pro vtraque parte inuenitur, & ſic dubium reſultat, eſt pro eo alia ratio, quàm potiorem eius cauſam reddit, ſcilicet, quod in dubio non eſt cur condemnetur, vnde regul. Cùm ſunt partium 11. de regul. iur. in ſexto illi fauendum eſſe diſponit. Idem diſponit ex eadem ratione text. in cap. fin. de ſent. & re iud. vbi duobus ordinariis iudicibus contraria iudicantibus, vno ſcilicet pro reo, altero vero pro actore, tenet pro reo ſententia, quia in pari cauſa non eſt cur mutetur rerum ſtatus, ſed reus in ſua poſſeſſione relinquatur regul. in pari. 65. de regul. iur. in ſexto: vnde iam Aduocatus non conſiderat dubiam cauſam rei, ſed certam & iuſtam,

quamuis enim nihil aliud alleget, nec contendat, niſi quod cauſa in ſe eſt dubia, & pars quam facit reus, iuſtè petit abſolutionem, ampliando vt procedant dicta, etiamſi aduocatus aliquantulum inclinet actoris cauſam iuſtiorem eſſe, ex dictis ſupra n. 145. fine. ¶ Reſolutio autem principalis limitanda eſt, vt non procedat, quando actor fouet cauſam fauorabilem, tunc enim ex eiſdem rationibus proximè factis, proportionabiliter pro actore conſideratis, dicendum eſt non licere Aduocato rei pro eo patrocinari, immo licere Aduocato actoris contra reum patrocinari, vt numero præcedenti in fine innuimus. Nam ius in pari, aliàs cauſa diſponit præferendam cauſam fauorabilem text. ind. cap. fine ſentent; & re iud. ille ergo, qui illam fouet ius potius habet, ac per conſequens Aduocatus nō dubitat iam, quænam partium ius potius habeat, & magis cum certitudine, quàm cum probabilitate operari videtur, & ad propoſitum, eo ipſo, quod actor cauſam fouet fauo-

rabilem, & in dubio aliàs iure cauſæ, eius Aduocatus licitè pro eo patrocinatur, ſequitur per contrarium iniuſtam in illis terminis, reddi cauſam rei, ac per conſequens non licere Aduocato ſuſcipere patrocinium eius cauſæ.

149. *Illud non* declarant Doctores cùm omnino declaratione indigeat, an ſcilicet in caſibus & terminis, in quibus licet aduocato patrocinari iuxta ſupra reſoluta, poſſit ille allegare & aſſerere certum ius ſui clientis, quod tamen apud eum probabile tantùm eſt vel dubium: An verò per contrarium debeat exprimere dubium ſibi eſſe vel tantùm probabile. Cuius quidē articuli reſolutio totum rei pondus vertere videtur, nā ſi Aduocato nō licet aſſerere, & proponere, tanquam certum, quod ſibi dubium aut probabile eſt, & debet exprimere ſua fundamenta vel auctoritates probabilem tantùm illam partem reddere, at contrariam quoque probabilem eſſe vel fortè probabiliorem, nulla ratio dubitandi potuit conſide-

rari, vt cum dicta declaratione & expreſſione, liceat patrocinari etiam in terminis, in quibus id negauimus ſupra, immo videtur ſic poſſe quoque patrocinari cauſæ iniuſtæ, videlicet declarando, quod & ſi iniuſta ſibi videatur, tamen eam in iudicium deducit, quia fortè iudex ad quem pertinet iudicare, ius melius calens vel factum rectius ponderans vel intelligens, poterit cauſam illam iuſtam, & potiorem iudicare: Quod etiam cuilibet licitum videtur, ſcilicet quamuis intelligat, ſe teneri rem reſtituere, tamen iudicis determinationi hoc relinquere non ſubticendo, quod & quare exiſtimat ad aduerſarium pertinere, cæteraque omnia, ſine fraude vel cautela propalando, & petendo quod iudex determinet, vtrum teneatur reſtituere, ipſius enim officium eſt iudicare: at partis, iudicatis ſtare, non ſuo arbitrio vel etiam conſulentium cùm poſſit errare, & de iudice præſumantur melius cauſæ merita cogniturum. Vnde ſi ſenſus Doctorum defendentium Ad-

uocato licere patrocinari ille eſt, quod ſcilicet poteſt patrocinari factis dictis declarationibus, & expreſſionibus, non aliàs, indubitatum eſt licere, etiam in terminis, in quibus id negauimus ſupra. Sin autem ſenſus eſt, prout eſſe videtur, non teneri ad expreſſiones & declarationes prædictas, tuta illa aſſertio non videtur, nam allegare vel proponere, tamquam certum vel probabilius, quod probabile vel minus probabile eſt, mentiri eſt, & decipere iudicem in præiudicium partis aduerſæ. Neque puto ſatis eſſe non allegare falſo leges, aut eas perperam interpretari, quod putant Banenſ. Salon. & Petrus de Ledeſma citati à Sanch. qui eos ſequi videtur d. cap. 9. num. 52. addentes integrum eſſe, argumenta partis aduerſæ ſubticere, quod vltimum non licere veriùs videtur.

150. *Quid ergo* tenendum eſt? Ego quidem magis puto ex dictis, num. præcedenti Aduocatum debere totum propalare in iudicio, prout iudicat & ſentit, neque ſibi licere ali-

Digitized by Google

quid pro contraria parte faciens ſubticere, præcipuè, quando exiſtimat aduerſarium illud ignorare, & non certus eſt de iuſtitia ſui clientis, ſi enim certus ſit, vel fundamenta partis aduerſæ ſuo iudicio diſſoluat, non tenebitur illa adducere. At quis poterit ſuadere Aduocatis, vt ſincerè & prout ſentiunt, ius cauſæ palam iudici aperiant, ſaltem non allegando illa, quæ verè non probant & agnoſcunt ſolutionem habere? Quis litigatoribus; vt patrocinio vtantur illius Aduocati, qui ſincerè vtriuſque partis ius aperiret, nec ſui clientis cauſam contra ïd quod ſentit, iuſtiſſimam proclamaret? Non tamen video cur iuſtum eſſe poſſit allegare, & proponere verum, quod tantùm eſt probabile, etiam vera probabilitate. Neque licentia operandi cum probabilitate in ijs terminis locum habet, poteſt enim ad ſummum conuincere licere patrocinari. At non poteſt conuincere, quod poſſit patrocinando mentiri, & iudicium decipere dolosè cauſam proponendo iuſtiorem, quàm

in veritate ſentit illam eſſe vel quod liceat fundamenta, quæ habent ſolutionem allegare vel ſubticere, quæ in contrarium pro partè aduerſa faciunt, in ipſius partis præiudicium. Non inficior, quod hac reſolutione retenta, ſi Aduocatus prædictis ſatisfaciat, illi licebit patrocinari in omnibus illis terminis, in quibus id illi negauimus ſupra num. 147. & ſequenti, vt conſideraui num. præcedenti.

151. *Subinfertur* 3. omnia ferè reſoluta circa iudicem in ferenda ſententia per Sayrum d. lib. 1. Clauis Regiæ cap. 11. per tot. Sanch. d. lib. 1. cap. 9. num. 45. Caſtro Palao d. tract. 1. diſput. 2. puncto 10. per tot. Arriaga 1. 2. d. tomo 3. diſput. 24. num. 28. cum ſequentibus, & per alios plures, quos ipſi citant & ego non tranſcribo, ſuſpecta eſſe & non tuta. Nam imprimis Sayr. d. cap. 11. num. 12. aſſerit, quod quando ſunt opiniones duæ æquè probabiles ex parte facti, quia ſcilicet vterque ex æquo probat, factum ſuum tunc in ciuilibus

iudex tenetur componere partes inter ſe vel rem diuidere, ſi diuiſibilis ſit; In criminalibus verò iudicare debet in fauorem rei; ita ille generaliter & ſine exceptione in ciuilibus, rem eſſe diuidendam aſſerit, quòd etiam probare videtur Sanch. d. cap. 9. num. 44. vbi dicit, quòd circa prædictam quæſtionem, ſe remittit ad Sayrum d. loco, & ſequaces. At Caſtro Palao d. puncto 10. num. 3. non ita generaliter & indiſtinctè illud approbat, ſed tunc procedere ait, quando ius vtrique parti fauet, nam ſi ius fauet probationi potiùs vnius, veluti poſſeſſoris, vt per text. in cap. ex litteris de probation. tunc inter æquales probationes, illæ, quæ ſunt pro reo præferuntur, & allegat regulam cum ſunt partium iura de regul. iur. in ſexto addens, quod in ciuilibus reus dicitur, qui poſſidet: quaſi dicta regula ſit de poſſeſſore, non de reo non poſſeſſore intelligenda. Addens etiam, quod ſi altera partium ſit fauorabilior, vt quæ pro matrimonio, libertate &c. facit, illa præferenda

eſt. Arriaga verò d. loco ſine vlla diſtinctione, data probabilitate opinionum circa factum vel ius, contendit omnino eſſe rem diuidendam, neque iudicem alteram partium præferre poſſe, niſi altera poſſideat.

152. *Verùm* in primis (vt in ſuperioribus caſibus de conſulente, & Aduocato ſimiliter admonui) hæ controuerſiæ & doctrinæ vix pertinent ad materiam conſcientiæ probabilis, nam licentia operandi cum probabilitate, ſecundum ipſos: tunc locum habet, quando opiniones, ſiue ſententiæ contrariæ ſunt circa illud, an ſcilicet actio, de qua agitur liceat vel non operanti. Hic autem nullo modo ſententiæ, ſiue opiniones circa id ſunt, ſed circa ius partium: quod agnoſcit Sayr. vt ſupra num. 14. Neque negotium pertinet ad iudicem, ſed ad partem. Præterea hic non conſideratur vel apparet altera pars tutior, altera minus tuta, quod neceſſarium eſt, vt virtus probabilitatis locum habeat: illa enim eſt, vt ſequi liceat minus tutam, contra tu-

Digitized by Google

tiorem, hic autem vtraque non tuta eſt, neque in ijs & ſimilibus terminis reſoluitur tantùm, quod iudici hoc vel illud licet, ſed ſimul, quod tenetur, quod quidem eſt extra terminos doctrinæ de licentia ſequendi probabile, nam de illo dicitur tantùm, quod poteſt ſequi, non autem, quòd tenetur. Deinde, precor, qualiter dici poteſt operari cum probabilitate tantùm vel eligere probabilem iudex, qui iudicat pro reo poſſeſſore, ſecundum iura aperta, quæ ſecundum partem rei vel aliàs fauorabilem iudicare præcipiunt, & rem faciunt certam non probabilem tantùm? Dato autem, quod ſecundum noſtram doctrinam conſideremus, in ijs terminis poſſe locum habere doctrinam, pro vera probabilitate traditam, nam hîc quæſtio eſſe videtur an iudici liceat pro hac parte iudicare, & hoc pendet ab illo antecedenti, an illa vis habeat, vt pro ea iudicetur, cuius antecedentis reſolutio ſi firma & certa fuiſſet, res extra quæſtionem eſſet, quoniam verò
datur

datur incertitudo, quæritur an iudex debeat formare conſcientiam ſibi licere vel contrariam? Videndum eſt qualiter debeat formari.

153. *Ego quidem* veriſſimum puto iudici in terminis prædictis, quando ſcilicet opiniones circa factum æquales conſiderat, ſiue potius quando res æquè in facto dubia eſt, non licere rem diuidere, ſed debere pro reo iudicare illum abſoluendo, etiam ſi vere poſſeſſor non ſit, ſed ſimpliciter vicem rei ſuſtineat etiam in cauſa ciuili, vt infra explicabimus (niſi pars contraria fauorabiliorem cauſam foueat,) & vt noſtra methodo loquamur, debere iudicem formare conſcientiam teneri pro reo iudicare. Probatur 1. nam licet immeritò Doctores etiam tanquam opiniones probabiles, conſiderent probationes facti contrarias, quod mirum eſt, & alibi impugnabimus; tamen nullo modo in illis poteſt conſiderari probabilitas, & ſolùm poſſunt eſſe cauſæ, vt operans in probabilitatem deueniat, quæ ſi vnius tantùm partis reſultet,

Digitized by Google

in vera illius probabilitate, ideſt aſſenſu opinatiuo, non alterius contrariæ conſtitutus dicetur operans; ſin autem vtraque videatur aſſenſum auocare, cùm id in effectu fieri non poſſit, verè in dubio conſtitutus dicetur, immo clarè quilibet agnoſcit ſe dubium, quando factum ab vtraque parte contraria æquè probatùm videt. Exempla adduximus ſupra hoc cap. num. 44. & 79. ad ex hoc ab omnibus conceſſo, probandum: idem dicendum quando circa ius inueniuntur fundamenta vel auctoritates contrariæ. Si ergo ſunt termini quæſtionis. In dubio autem facti, ſiue dubium procedat ex æqualibus probationibus vel alijs motiuis, ſiue procedat ex eo quòd neque Actor, neque reus probant, ſemper reus abſolui debet, vt diſponunt iura ſic intelligenda in regul. cùm ſunt partium; & in regul. in pari de regul. iur. in ſexto Text. in l. Actor. Cod. de probat. Ratio eſt in promptu, nam vt omnes fatentur in terminis prædictis vtriuſque partis cauſa par eſt, cur

ergo innouandum, cur reus condemnandus, etiam vt diuidat cum actore? Si pro vtraque parte ſunt probationes æquales, idem eſt ac ſi pro nulla forent, vt benè ait Arriaga d. diſput. 24. num. 30. licet huius optimi dicti immemor aliqua ipſi aduerſantia inferiùs reſoluat. Quis autem dicet rem eſſe diuidendam, quando nulla partium probauerit, vel quis dubitabit reum abſoluendum ex notiſſima regula text. in dicta l. Actor, & ex viua ratione in qua fundatur. Facit ratio deciſionis text. in cap. fin. de ſentent. & re iud. vbi in æquali cauſa, quia ſcilicet ex duobus iudicibus ordinarijs, alter pro actore, alter pro reo ſententiam protulit, tenet pro reo ſententia, quia ſcilicet quando par eſt cauſa, redditur dubium, cuius ſit ius potiùs: ac per conſequens res in ſtatu priori relinquitur reo abſoluto. Quæ dicta ſunt pro parte agnouerunt Caſtro Palao d. puncto 10. num. 3. Arriaga d. diſput. 24. num. 28. verſ. *Reſpondeo* concedentes pro reo iudicandum in ter-

minis de quibus agimus, ſi ipſe poſſideat. At immeritò reſtrinxerunt ſe ad caſum quo poſſidet, quamuis enim non poſſideat, ſi in effectu reus ſit, ſemper in dictis terminis abſoluendus eſt. Sin autem fortè conſideretur ſemper reum, ſaltem lato modo poſſeſſorem eſſe vel quaſi, adhuc illa reſtrictio eſt inciuilis, nam data dicta ſuppoſitione ſemper reus abſoluendus, & numquam ad diuiſionem condemnandus, niſi, vt dictum eſt ſupra, actor fauorabiliorem cauſam tueatur. Idem apertiùs, & generaliter cenſuiſſe videtur Valentia 2. 2. diſput. 5. quæſt. 16. puncto 14. concl. 1. & 2. Silueſt. verbo Aduocatus quæſt. 13. dicentes non poſſe in cauſa æquè probabili, Aduocatũ eſſe actoris contra reum, attento iure poſitiuo, allegando dictas iuris regulas. Quòd dictum apertè oſtendit idem cenſuiſſe de iudice, quia militat eadem ratio. At meliùs adhuc non reſtrinxiſſent ad ius poſitiuum, quia illud verè ex iure naturali, & ipſa viua ratione deductum fuit.

154. Neque contrarium probant rationes, quibus dicti Auctores immeritò mouentur, quas ſigillatim in medium adducemus, vt clariùs earum fragilitas appareat. Non igitur 1. aliquid probat ratio illa, quod ſcilicet in terminis, de quibus agimus, vterque ſcilicet actor & reus æquale ius habent, ergo ratio naturalis dictat, quod res diuidatur vel partes componantur, qua ratione reſolutionem ſuam ſupra impugnatam, probant Sayr. d. cap. 11. num. 8. Caſtro Palao d. puncto 10. num. 2. dicens iudicem eſſe diſtributorem & debere diſtribuere inter partes, quæ ius æquale habēt, vnde cùm res ſit vtriuſque, pro vtroque declarare & iudicare debet. Arriaga d. diſput. 24. num. 30. adducens ibi, & num. 33. verſ. Hinc; exemplum de duobus filiis, qui æquale ius habent ad paternam hæreditatem, ac per conſequens inter eos eſſe diuidendam. Nam reſpondetur inciuiliter ſupponi vtramque partem ius habere, nam licet rationes ſiue probationes ſtantes pro vna par-

te ſuadeant hanc ius habere, & ſimiliter contrariæ de oppoſita parte, non tamen oſtendunt pro iſta parte eſſe ius aliud diuerſum, ſed idem quod ſibi & non contrariæ parti competere contendunt, itaque rationes ſiue probationes vnius partis non admittunt, ius quoque eſſe pro contraria, ſed quælibet pars illud inſolidum habere contendit, vnde perperam ſupponitur ius ad rem, vt ita dicam, pro vtraque parte eſſe, præcipuè cùm ſciamus verè & à parte rei pro vna tantùm partium eſſe, & peius dicitur per Caſtro Palao, rem eſſe vtriuſque, nec benè arguit Arriaga dicto num. 30. dicens, *Quod apud nos de iure alicuius non conſtat niſi per rationes, quibus illud probatur, ſi enim rationes ſunt euidentes, tunc ius eſt certum; probabile verò, ſi ſolum ſint probabiles, ergo ſi quando euidens eſt, quemlibet habere æquale ius, non licet vnum alteri præferre, ſed res debet diuidi eo modo, quo poteſt, quia in iure certo ſunt æquales: idem faciendum erit, ſi rationes eodem modo probabiles ſint pro vno, ac pro al-*

Digitized by Google

ero. Sunt verba Arriagæ & ſuppo-
endum, quod æque procedit ex men-
e Auctoris illius, & ex identitate ra-
ionis argentum prædictum, quando
ro vtraq; parte in rebus facti, æqua-
es ſunt probationes. Nam aduertere
ebuit vir ille Doctiſſimus, rationes
uidem poſſe oſtendere ius eſſe pro
ltera parte, non tamen pro vtraque,
mmo neque etiam in opinione aſſe-
entium vtramque contrariam poſſe
robabilem eſſe, aſſeri ius eſſe pro
traque parte, nam ſic data probabi-
tate pro vtraque parte ſemper diui-
o eſſet facienda, & daretur inexpli-
abilis difficultas circa actiones non
abentes æſtimationem; ſed aſſeri
ata probabilitate pro vtraque parte,
oſſe operantem iudicare, vel iudicem
ronuntiare hanc vel illam partem,
on vtramque ius habere, quod qui-
em meridiana luce clarius eſt. Inep-
ſſimum ergo eſt exemplum de duo-
us filiis habentibus ius æquale ad
ereditatem paternam, nam in no-
ris terminis ius vnius excludit ius
terius, cùm ſciamus vtrumque non

illud habere, ſed alterum tantùm & hunc in ſolidum, vnde vtrumque admittere non poſſumus. In terminis autem exempli adducti vnius ius non excludit, ſed admittit ius alterius, immo ſunt duo iura diuerſa & ſeparata ad partes hæreditatis. Quando igitur ius, quod apud vnum tantùm eſſe ſcimus repræſentatur pro vna parte & pro contraria, tunc nullius ius apparet, & ſic conſiderans in vero dubio circa quam partem ius verè ſit, inuenitur. ¶ Quæ ſic procedunt, etiam ſi concedamus probabilem fieri poſſe vtramque partem contrariam, quod tamen omnino falſum credimus & probauimus latiſſimè hoc capite. Neque etiam rectè dicitur, per Caſtro Palao dicto puncto 10. num. 2. iudicem in propoſito diſtributorem eſſe, quod expreſſius & peius dixerat Sayr. d. cap. 11. num. 1. Iudicem non diuidentem inter habentes ius æquale, peccare contra iuſtitiam diſtributiuam, cùm patentiſſimum videatur in propoſito iuſtitiam commutatiuam offendi, non verò diſtributiuam.

¶ Neque 2. probant aliquid rationes ab eiſdem adductæ ad probandum data probabilitate æquali circa ius rem eſſe diuidendã, vt etiam in dicto caſu voluit Arriaga vbi ſupra, vel, vt alij ferè omnes, poſſe iudicem pro amico iudicare. Quibus vel altero conceſſis, deduci poterat ad propoſitum argumentum. Ex eiſdem rationibus ſequi etiam in terminis, de quibus agimus non eſſe pro reo, vt aſſerimus, iudicandum. Nam reſpondetur nullo modo nos concedere ſuppoſitionem, ſed inferius à nobis impugnandam eſſe. Ad calcem aduertendo nunquam legiſſe vel audiuiſſe iudicem aliquem feciſſe diuiſionem, de qua ſupra.

155. *Quæ proximè reſoluimus* ampliari debent, vt procedant non ſolum, quando circa factum eſt æqualis probabilitas, ſiue potius æquale dubium, (in exiſtimatione iudicij, quod ſemper intelligitur & ſupponitur) ſed etiam quando iudex probabiliorem, vt aiunt, alteram partem exiſtimat, ſiue potius à dubio non

Digitized by Google

exiens aliquantulum inclinat in alteram partem, nam nihilominus tenebitur pro reo vel pro actore, ſi is fauorabiliorem cauſam tueatur, iudicare, non obſtante, quod aliquantulum inclinet aduerſarij cauſam iuſtiorem eſſe, non enim per id deſinit cauſa eſſe dubia, nec ſufficit, vt illa in quam aliquantulum inclinat præferatur alteri, cui à iure conceſſum eſt, vt in dubio præferatur, iuxta dicta num. 153. iunctis dictis num. 145. fine, vbi probauimus talem inclinationem non operari, vt dicamur extra dubium eſſe vel in vera opinione illius partis. Vnde immeritò Sayr. d. cap. 11. num. 13. Caſtro Palao d. puncto 10. num. 3. reſoluunt data maiori probabilitate ex parte facti, pro illa iudicandum eſſe, nam adhuc, ſic res dubia eſt, quæ dubitatio vt ceſſet, debet dari vera probabilitas, quæ ſi contingat, vt numero ſequenti ad finem dicemus & explicabimus; illa pars ſit iuſtior & pro illa iudicandum erit.

156. Neque obſtat, quod ſupra ſcri-

pſimus num. 139. ſtatuentes in iis, quæ gerimus, vt publici miniſtri vel ex lege, aut ex tacita vel expreſſa conuentione, teneri ſequi probabilius, nam reſpondetur, vt ibi in fine, illud procedere, quando ex eo ſequitur, commodum eius, cuius eſt negotium, vel ad quem pertinet illius intereſſe, non autem quando, ſi vnius commodum, per conſequens alterius præiudicium, ſequitur, prout ex iudicis ſententia ſequeretur, ſi eam contra reum vel contra actorem fauorabiliorem cauſam fouentem proferret, ex eo ſolùm quod in contrariam partem aliquantulum inclinabat, cùm tamen ſic, vt proximè diximus, non exeat à dubio & in dubio pro reo, vel pro actore, ſi iſte fauorabiliorem cauſam foueat, pronuntiare debeat, non autem pro contraria parte. Neque etiam obſtat generalis doctrina de licentia operandi cum probabilitate, & multò magis cum probabiliori, vt Doctores ſupponunt, nam, vt ſæpè reſpondimus, tunc non eſt vera probabilitas. Sin autem hæc detur, ita

vt iudex habeat aſſenſum opinatiuum actorẽ, non reum. Vel aduerſarium, non eum, qui fauorabiliorem cauſam fouet, iuſtã cauſam defẽdere: pro actore, non pro reo: pro aduerſario, non pro fouente cauſam fauorabiliorẽ iudicare, non ſolum poterit, ſed tenebitur: illorum enim priuilegium & prælatio ſolùm habet locum, quando aliàs dubium eſt, quiſnam eorum iuſtam cauſam defendat. Sentit benè Caſtro Palao dicto puncto 10. num. 3. licet (ſuam ſuppoſitionem ſequens) loquatur de probabiliori & illam ſequendam reſoluat.

157. *Quando autem*, vt ait Sayr. infra citandus, iudex videt vtramque opinionem ex æquo probabilem ex parte iuris, & ipſe quoque ita iudicat, poteſt licitè propter amicum iudicare, ſecundum illam, quæ amico magis fauet, &c. ita ille Auctor d. lib. 1. Clauis Regiæ cap. 11. num. 4. cum aliis, quos citat, ſequitur Sanch. d. lib. 1. cap. 9. num. 45. Caſtro Palao d. tract. 1. diſp. 2. puncto 10. num. 5. & Sayr. & Caſtro Palao (contra

Sanch. contrarium ſentientem num. 47.) ampliant, vt procedat, etiam ſi contraria pars ſit probabilior, ille num. 8. iſte num. 6. Arriaga autem dicta diſput. 24. num. 29. cum ſequentibus, adhuc inter opiniones æquales ex parte iuris defendit diuiſionem faciendam eſſe iuxta formam ab eodem & aliis aſſignatam, de qua latè ſupra.

158. *Verum nullo* modo putamus iudici in dictis terminis prędictam licentiam eſſe iudicandi pro qua parte voluerit, etiam quando æqualis (non ſolum, quando maior) probabilitas pro vtraque parte conſideratur. Pro quo probando aduerto (& generaliter ſit dictum pro reſolutionibus factis & faciendis) quod iudex ipſe debet, vt etiam ſentit Sayro vbi proximè, eſſe in opinione & ipſius aſſenſus attendendus; quando ergo ex contrariis Doctorum ſententiis vel ex quibuſcumque aliis motiuis, iudex reputat æque probabilem iuſtitiam actoris & rei, quod in vero dubio illum eſſe nos dicimus & probauimus latè

per diſcurſum huius capitis, præcipuè §. 3. (tunc enim omnino illi incertum eſt, pro qua parte ſit iuſtitia, eo ipſo quod pro vtraquę parte apparet, cùm ſciat & ſupponat, pro altera tantùm eſſe) tamquam in dubio ſe gerere debet. Neque facienda eſt differentia per hoc, quod ſuppoſita probabilitate vtriuſque partis, altera probabilior videatur, nam per hoc verum dubium non ceſſat, vt diximus ſupra proximè n. 155. & dato, quod vera probabilitas pro vtraque parte poſſet conſiderari, adhuc non erat cur ſtante æquali probabilitate pro reo, ille condemnaretur, pro eo enim faciunt rationes ſupra conſideratæ num. 153. quamuis iuris regulæ ibi adductæ, non extendantur ad dubium iuris. Faciunt etiam conſiderata ſupra hoc cap. §. 4. ad probandum, quod etiam conceſſa vera probabilitate pro vtraque parte non liceret vtramlibet eligere. Et in effectu id ſentit Arriaga d. loco poſt Bañes citatum à Sanch. d. num. 45. dum iudici electionem negat & diuidendam rem aſſerunt:

Digitized by Google

quod tamen vltimum non probamus. Quæ noſtra aſſertio magis patebit, & confirmabitur per facillimam ſolutionem omnium fundamentorum contrariæ.

159. Non igitur aſſertio impugnata ſuſtinetur ex doctrina illa communi, ſecundum quam generaliter aſſeritur, licere ſequi probabilem, etiam minus tutam, contra probabiliorem & tutiorem. Et ego, vt vim argumenti augeam, addo quod hic à fortiori procedere videtur illa doctrina, quia nulla partium tutior eſt, ac per conſequens, nec minus tuta, quo dato, nullum videtur inconueniens, quod altera pro libito ſequatur. Nam reſpondetur in primis nos omnino negare dictam licentiam ſequendi probabilem, quando ſimilis & multò magis, ſi maior probabilitas eſt in contrarium, cùm ſic verum dubium potius reſultet, & ſi daremus veram probabilitatem reſultare, adhuc in pari cauſa non erat, cur reus damnaretur, vt numero præcedenti dicebamus. Deinde reſpondetur doctrinam de li-

Digitized by Google

centia ſequendi probabilem non pertinere ad hos terminos, in quibus negotium non pertinet ad iudicem, ex dictis ſupra num. 138. & 139. & ibi citatis. Tandem reſpondetur minus pertinere doctrinam illam ad noſtros terminos, in quibus iudex tamquam miniſter publicus ſe gerit, vnde tutius & certius, non autem probabile eligere debet & ſi aliud certius, vel æque certum apparet, recurrendum eſt ad alia principia iuxta dicenda infra num. 163. & ſequenti, neque hic datur aliqua ratio cur iudici eligere liceat, & ſuccedunt dicta ſupra hoc cap. num. 28. 138. & 139. Iunctis iis, quæ reſoluimus & notauimus num. 21. & 26. probantes licentiam ſequendi probabile nō habere locum ſimpliciter & generaliter, ſed tunc tantùm, quando ipſius operantis vertitur intereſſe, neque aliàs tamquam miniſter publicus ſe gerit, vel ex conuentione expreſſa vel tacita, tenetur iuſtius & certius ſequi, quod etiam per diſcurſum huius capitis ſæpè proclamauimus, negātes probabilitatem,

etiam veram & propriam, eſſe aliquid à Deo vel ab ipſa natura factum cum vi aut priuilegio tali, vt repugnet probabile eſſe & ſequi non poſſe. Vnde concludimus argumentum in dicta doctrina fundatum, & pro reſolutione quam improbamus cõfirmanda adductum, vim aliquam non habere, etiam ſi daremus vtramque partem vera probabilitate probabilem eſſe. Neque ſufficit ad euincendum contrarium, quod nulla pars tuta ſit ex ſe, nam hoc ad ſummum probat, quod ij termini non ſunt adeo patentes, ac quando aliqua partium ex ſe tuta eſt, nam ſi talis aliqua poſſet eſſe in propoſito, extra omnem quæſtionem ſequenda eſſet, vt in medico & adminiſtrante ſacramenta, quando proximi aliàs verteretur pręiudicium omnes agnoſcunt. Quod ergo nulla partium ex ſe tuta ſit, nec certior altera arguit æqualitatem, at illa data cur liberum eſſe debet iudici reum condemnare? Adde dicenda n. 162.
Dices: cur ergo per contrarium licebit reum abſoluere diffinitiuè & acto-

rem priuare iure, quod fortè habet & æqualiter oſtendit, & illum in expenſis condemnare. Huic obiectioni ſatisfiet per dicenda infra num. 163. & 164.

160. Neque etiam reſolutio impugnata probatur per illam rationem adductam, à Sayro d. cap. 11. num. 5. quam etiam illum ſequens reddit Sanch. d. cap. 9. num. 45. & poſt eum in effectu Caſtro Palao d. puncto 10. num. 5. qui Sayro ſic ait. *Ratio eſt, quia in tali caſu, ex vi iuſtitia diſtributiua, & officij ſui non debet bonum illud fauorabile magis vni, quam alteri conferre, cum aquale ius vtrique competat; ergo liberum erit ei ſequi, quamcumque opinionem maluerit, & vni potiùs, quam alteri pro libito fauere, abſque vlla perſonarum acceptione, cum acceptio perſonarum locum non habeat, niſi in eo, quod fit ex debito iuſtitia diſtributiua. Et patet à ſimili, nam quando duo ſunt aquè digni beneficio Eccleſiaſtico, poteſt liberè ſuperior conferre amico, &c.* Nam clarè & facilè reſpondetur in primis

mirabile eſſe, quod illi grauiſſimi Doctores intelligant, ad diſtributiuam iuſtitiam pertinere terminos, de quibus agimus, in quibus, vt ipſi ſupponunt, res ab vno auferenda eſt, vt detur alij (notando obiter errorem calami videri in eo, quod dicitur: *perſonarum acceptionem non habere locum, niſi in eo, quod fit ex debito iuſtitiæ diſtributiuæ*, nam vel dicere debuit: commutatiuam vel abundat dictio, niſi) cùm illi termini manifeſtè videantur pertinere ad iuſtitiam commutatiuam, quam, vt omnes fatentur, offendit iudex, ſi iniuſtè iudicet: Diſtributiua autem iuſtitia tunc exercetur, quando aliquid, quod antea in dominio vel iure alterius non erat, alicui tribuitur. Vnde exemplum de beneficio eccleſiaſtico, quod conferri poteſt, cui placuerit, ex æquè dignis, aptum non eſt, nam ab altero non aufertur, vt alteri detur. Neque æquè digni poſſunt reputari actor & reus, nam vt ſupra num. 154. diximus & probauimus in terminis, de quibus agimus, non

conſtat de iure vtriuſque, neque per conſequens dici poteſt, quod ius æquale habent vel ſunt æque digni, nam cùm, vt diximus, vnius ius excludat ius alteriùs non ſine abſurdo ſupponitur vtrumque habere ius, ſed potiùs dicendum eſt, eo ipſo non conſtare quis eorum habeat. At quod, quando non conſtat, an actor, an reus ius habeat, liceat iudici pro amico iudicare, neque probant Doctores, neque ſcio quis dicat vel iure dicere poſſit, cùm tamen hoc probandum eſſet, vt illa reſolutio poſſet fundata dici.

161. Præterea reſolutio, quam impugnamus, repugnat reſolutioni ipſorummet Auctorum reſoluentium in æqualitate opinionum circa factum, rem eſſe diuidendam, de quo late ſupra diximus, & quamuis Sanch. d. n. 45. Caſtro Palao d. num. 5. curauerint huic difficultati occurrere, tamen non concludentur, reſpōdent. Sanch. enim ait, quod diuerſitas probationum ſe tenet ex parte cauſæ; Diuerſitas autem opinionum ſe

tenet ex parte iudicis. At vix percipio differentiæ effectum, vel cur iudex in illa æqualitate probationum non poſſit, & debeat alteri, cui voluerit rem adiudicare, ſi certum eſt poſſe, quando æqualitas opinionum eſt circa ius. Vel per contrarium, cur non debeat diuidere in æqualitate opinionum, ſi verum eſt debere diuidere, quando circa factum opiniones ſunt. Omitto quod in vtroque caſu æquè opiniones appellantur. Non efficacius ſoluit prædictam contradictionem Caſtro Palao d. num. 5. addens dictis à Sanch. quod in æqualitate probationum, ius ipſum conſulit diuiſionem, & allegat text. in l. & hoc Tiberius ff. de hæred. inſtit. & in l. ſed & ſi lege §. Adeo in fine ff. de petit. hæred. l. Titius ff. ad Trebell. quando verò æqualitas opinionum eſt circa ius, ipſum non conſulit diuiſionem, cùm ipſum ius dicat, iuxta diuerſas probabiles ſententias Doctorum, quemlibet habere integrum ius ad hæreditatem. Poterit ergo iudex applicare cui maluerit, cùm in

hac aplicatione ſe conformet ſententiæ probabili dicenti, illam partem integrum ius habere, &c. ita ille. Nam reſpondetur in primis negando ius conſulere diuiſionem, quando probationes ſunt æquales circa factum, immo aſſerendo iura in dicta regul. Cum ſunt, & in regul. in pari, ſic intelligenda ſecundum gloſſam ibi verbo *in pari* verſ. *& nota*, apertè probare reum abſoluendum, & de probationibus æqualibus eſt text. in cap. ex litteris de probat. qui text. licet dicat præferendos teſtes poſſeſſoris, ex eo eſt, quia poſſeſſor reus eſt, & ſemper iſte in pari cauſa præferendus, ex rationibus latè factis ſupra num. 153. Neque contrarium probant iura allegata: Non text. in d. l. & hoc Tiberius, quia, immo dubium, quo motus Imperator diuiſionem hæreditatis in eo caſu ſpecialiter decreuit, non erat circa factum, ſed difficultas erat circa ius, vt conſtat apertiùs ex text. in §. ſi ſeruum. Inſtit. de vulgari ſubſtitut. vbi exprimuntur rationes, ex quibus diffi-

cultas illius caſus reſultabat. Vnde potius contra reſolutionem pro qua allegatur, facere videtur. Neque ex dicta ſpeciali deciſione, regula poteſt deduci, cum à iure communi exorbitans ſit, vnde non eſt trahenda in argumentum, ſed debet ſuo caſu eſſe contenta, ex regula. Quæ à iure communi 28. de regul. iur. lib. 6. ſicut neque, quia ſorte aliquæ contentiones iubentur decidi, per text. in §. optionis inſtit. de legat. & in l. In tribus ff. de iudic. per hoc licebit iudici alias contentiones ſorte dirimi iubere. Neque quia text. in l. Proſpexit ff. qui, & à quibus, &c. dicat: Dura lex eſt, ſed ita lex ſcripta eſt, excuſabimur à reddenda ratione, qua lex fundatur. Addendo, quod diuiſio facienda ex diſpoſitione text. ind. l. & hoc Tiberius non eſt pro dimidia, ſed alijs obſeruatis partitionibus, de quibus per gloſſam, verbo *in partem*, in d. §. Qui ſeruum. Vnde etiam patet nullo modo fuiſſe intentionem Imperatoris, diuidere rem inter actorem & reum pro-

Digitized by Google

pter æquale dubium, &c. Notando etiam, quod adeo incertum eſt diuiſionem faciendam, vel ſortem adhibendam in dubio circa factum, & gloſſa Marginalis littera b. in dicto §. optionis per contrarium dixerit ſortem ſolum adhiberi poſſe in dubio iuris, non in dubio facti. Cætera iura nihil probant, & ſi aliquod argumentum ex illis deduci poteſt, reſpondetur, vt proximè ad dictam legem & hoc Tiberius. Quod verò attinet ad rationes, quibus Caſtro Palao conatur probare in æqualitate opinionum, ſiue potius ſententiarum Doctorum circa ius, ipſum non conſulere diuiſionem, libenter concedo. At dum probare conatur electionem iudici competere, conſtanter nego, quia ad illud, quod ait datis dictis opinionibus cuilibet parti ius integrum competere ad hæreditatem iam ſupra num. 154. latè reſpondimus, & probauimus omnino abſurdum eſſe dictum; Iam item oſtendimus ſupra, neque vtramque partem eſſe probabilem, neque dato, quod talis eſſet, in

in propoſito poſſe iudicem pro qua libuiſſet iudicare, hoc enim eſt totum, de quo nunc agimus, & latè probatum remanet.

162. Vnum ergo tantùm reſtat argumentum pro reſolutione impugnata, hoc eſt: In dubio etiam circa ius, quando nullum tutius ſequendum apparet, licet operanti eligere quod voluerit. At qui, per nos in terminis, de quibus agimus, iudex eſt in vero dubio, & nullum videt tutius, quod ſequatur. Ergo poterit eligere, quod voluerit. Quod quidem argumentum, licet Auctores reſolutionis impugnatæ non adducant, nullum aliud apparentem difficultatem, ac illud præ ſe fert. Reſpondetur tamen diſtinguendo maiorem, quæ ſolùm procedit quando operans neceſſario debet agere vel omittere, videlicet reddere, aut denegare debitum coniugale: tegere vel detegere ſecretum: deſerere gregem, vt miſſam audiat, vel miſſam omittere, vt gregem cuſtodiat. In quibus terminis ſi dubius de antecedenti, veluti de impedi-

mento matrimonij, & per errorem iuris (per quem omnes huiuſmodi implicationes, ſiue perplexitates contingunt, nam de iure certum eſt, quæ-nam partium tuta ſit, & alteram tantùm malitiam continere) ignoret quid tutius, vt ſequatur, poterit alterutrum eligere. Non autem procedit maior, quando operans non præcisè cogitur vel agere vel omittere, ſed poteſt omittere opus illud, quod ſi agat videt ab vtraque parte periculum, vel ſic vel contrario modo agat. Ad quos terminos pertinet ſpecies noſtra de iudice, nam ille non conſiderat nihil tutum, & æquale periculum ab vtraque parte, ſiue ſententiam proferat, ſiue ſe abſtineat ab ea proferenda, cùm id facere poſſit, & debeat, vt infra oſtendemus. Sed conſiderat periculum, & nihil tutum, ſi ſententiam proferat pro hac vel illa parte. Sanè etiam ſi omnino ad proferendam cogeretur, adhuc in hac ſpecie verius videtur iudicare debere pro reo, vt inferiùs dicemus, quamuis aliàs vera ſit regula, quod

operans nullum tutius conſiderans, eligere poteſt.

163. *Concludo igitur* in primis neque licere iudici in propoſito eligere partem pro qua iudicet, vt voluerunt Sayro Sanch. Caſtro Palao ſupra relati, & communiter Doctores, quos ipſi citant. Neque diuiſionem eſſe faciendam, vt voluerunt Bannes, & Arriaga ſupra citati. Deinde aſſero, iudicem ſic in probabilitate vtriuſque partis conſtitutum circa ius, ſiue potius æquè dubitantem pro qua partium ſit iuſtitia, abſtinere debere à iudicando ſentit paucis Menoch. de arb. caſu 339.num.32. Probatur, nam neque ius videtur voluiſſe nec naturalis ratio patitur, quod iudex ignorans pro qua partium ſit iuſtitia, ad libitum pro altera iudicet cum graui alterius præiudicio, cùm ergo ipſe iudex agnoſcat, ſe neſcire vbinam ſit iuſtitia, iniquum eſſet, ſi ſe ad iudicandum temerè deliberaret. Neque dicas non temerè facere, quia probabile ſequitur. Vel vtramque partem ius habere, quia hæc, & ſi-

Digitized by Google

milia latè ſuperiùs diluimus. Debet ergo iudex vel ſocio, ſi habet vel ſucceſſori illam cauſam iudicandam reſeruare: vel ſe ad iudicandam eam iuſtè impeditum profiteri, vt partes arbitrum eligant: vel principem conſulere, vt de iudice pro illa cauſa prouideat. Notando idem eſſe obſeruandum, etiam ſi iudex aliquantulum in alteram partium inclinet, cùm à dubio non exeat, & ſuccedant dicta ſupra num. 155. ſin autem in veram alterius partis non contrariæ probabilitatem perueniat, quis dubitet pro ea iudicare poſſe, & teneri. Sin verò ex aliqua vrgentiori cauſa, iudex in dictis terminis cogatur præciſè iudicare, exiſtimo pro reo vel aliàs fauorabiliori cauſa iudicare debere. Moueor, nam licet iuris regulæ, quæ in pari cauſa, & in dubio pro reo iudicandum eſſe diſponunt, ad caſum quo dubium eſt circa ius non ſe extendant, quia dato illo caſu, reſtat remedium illud, quod ſcilicet iudex ille ſe abſtineat à iudicando, vt alter melius ius calens iudicare poſſit, ta-

men ſi in aliquo euentu iudicare cogatur, ius ipſum velle videtur, vt pro reo iudicet, nam non eſt cur condemnetur, & res, quantum fieri poteſt, reliquenda eſt in priori ſtatu, non enim eſt cur mutetur: Abſoluatur ergo reus, ſiquidem nihil aliud rationi congruentius, aut minus inconueniens adducens fieri poteſt in illa occurrentia difficultatum.

164. *Quæres* rationem differentiæ, quare ſcilicet in æqualitate probabilitatis vtriuſque partis, ſiue potius in dubio circa ius, non ſit iudicandum pro reo vel pro cauſa aliàs fauorabiliori, prout iudicari debere diximus, & firmauimus ſupra, quando probabilitas vtriuſque partis, ſiue potius dubium eſt circa factum? Reſpondebimus multiplicem eſſe differentiam. 1. eſt, nam iura, & exempla, quæ pro reo vel aliàs fauorabiliori cauſa, in obſcuris, ſiue in dubio vel aliàs pari cauſa iudicandum decernunt, ſatis oſtendunt procedere tantùm, quando prædicta accidunt circa factum, non autem quando circa ius, ipſum

enim certum eſt ſemper, nec præſumitur iudicem de illo debere dubitare, quod ſi accidat non eſſe in ſtatu, vt poſſit iudicare. 2. nam, quando dubium verſatur circa factum, ſibi imputet actor, quia non oſtendit, vel non melius, quàm reus factum, ex quo ipſius victoria pendebat; Vnde, ſi vincitur ex culpa ſua, vel ſaltem non ex iudicis culpa, ſiue ignorantia vincitur. Quando verò iudex ipſe dubius eſt circa ius, quod ſcire tenetur, ex culpa vel ignorantia culpabili iudicij actor victus euadere poſſet, quod iniquum eſſet. 3. quia vt ſupponimus, iudex non dubitat circa factum, ſed certus eſt actorem non probaſſe, vel aliud quod oſtendere tenebatur non oſtendiſſe, eo ipſo, quod reus æque probauit vel oſtendit. Vnde patet differentia, & ex hac vltima etiam colligitur, quare ius permittat iudicem iudicare, quando æqualitas probationum vel aliàs facti conſideratur, non autem quando æqualitas auctoritatum vel fundamentorum iuris interuenit, & ipſe reducitur in dubium.

165. *Subinfertur* 4. Verum non eſſe, quod tradunt Sanch. d. lib. 1. in Decalog. cap. 9. num. 33. poſt alios, quos ibi citat & poſt eũ Caſtro Palao dicta part. 1. tract. 1. diſp. 2. n. 5. cum aliis; reſoluentes probabilius eſſe licere in adminiſtratione ſacramentorum vel in eis conficiendis ſequi opinionem probabilem minus tutam, contra probabiliorem & tutiorem, dũmodo obſeruentur exceptiones ibi traditæ. Nam in primis noto huiuſmodi ſpeciem non propriè pertinere ad doctrinam de conſcientia probabili per ea, quæ diximus ſupra num. 138. & 139. & ſimiliter conſiderauimus ſupra de conſulente Aduocato & iudice agentes. Deinde generaliter aſſero, quod ſi datur ſecurius aut tutius, ne ſacramentum irritetur, etiam ſi aliàs non proximi damnum, ſed ſola irreuerentia ſacramenti conſideretur, nullo modo licet ſequi probabile, nec etiam probabilius, ſed tutius, ſecurius aut melius ſacramenti validitati, etiam minus probabile ſequendum eſt. Quod ſentiunt Suar.

Digitized by Google

& Petrus Soto citati à Sanch. d. cap. 9. num. 32. & Henriq. Valentia. Bartholam, Ledeſma, & Salas citati à Caſtro Palao d. puncto 5. num. 3. At ego, ni fallor, efficacioribus moueor rationibus, nam illa Suarij non videtur concludens, ait enim quod ideo ſequi licet probabile, quando quæſtio eſt de iure, vtrum aliquid liceat operanti, quia probabilitas tollit periculum, quod fortè eſt in re ipſa. At quando quæſtio eſt de facto, ſcilicet an res hoc modo facta valeat, probabilitas non tollit periculum irritationis rei. Non inquam dicta ratio differentiæ apta videtur. Nam in primis illa quæſtio, an res hoc modo facta valeat, non videtur de facto, ſed de iure, cuius eſt decidere, an aliquid hoc vel illo modo factum valeat, videlicet teſtamentum, contractum, &c. ¶ Deinde non puto dici poſſe probabilitatem in aliquo caſu tollere periculum, ſed veram probabilitatem, id eſt aſſenſum opinatiuum vnius partis non contrariæ circa antecedens, v. g. teſtamentum validum

eſſe, iuſtam cauſam præbere ad formandam conſcientiam, licere petere legatum, non obſtante illo remoto periculo, quod conſideratur, quia omnino certum non eſt legatario, validum eſſe teſtamentum, & reſtat formido, vt fortè ſit nullum, ac per conſequens legatum non debeatur, ex rationibus factis ſupra hoc cap. n. 19. Non ergo probabilitas, etiam vera, remouet periculum, ſed operatur, quod non obſtante illo periculo, quod res fortè aliter ſe habeat, tamen peccatum non committamus, ſupponentes illam ſe habere eo modo, quo probabilitas dictat; & ſic operantes ſecundum minus tutam partem. Tandem, etiam probabilitas, quod res mea eſt, vel quod teſtamentum validum fuit, non tollit damnum, quod parti aduerſæ ſcilicet hæredi, ſi fortè teſtamentum inualidum eſt vel alteri cuius forte res eſt obuenire poteſt, & tamen non per id minus licet cum probabilitate rem vel legatum retinere vel etiam pete-

Digitized by Google

re. Non igitur moueor prædicta ratione, quaſi ſufficienti, ſed illa, quia ſcilicet conficiens ſacramenta ex tacito Eccleſiæ præcepto, & tamquam publicus miniſter tenetur illa conficere & tractare eo modo, quo nullum periculum ſequi poſſit, non ſolum formalis, ſed materialis irreuerentiæ. Adminiſtrans verò, non ſolùm ex dicto præcepto, ſed etiam ex tacita conuentione cum eo cui adminiſtratur, illa tutiori, ſecuriori & vtiliori recipienti modo tenetur miniſtrare, ſicut de iudice & aliis diximus generaliter ſupra dicto num. 139. & dicemus infra de medico agentes. Qui autem, neque ex legis vel ſuperioris præcepto, tamquam publicus miniſter, neque ex cõuentione expreſſa vel tacita, ſed tamquã priuatus operatur, quamuis ſequatur alterius detrimentum, probabile ſequi poteſt, vt iure ſuo vtatur: & hinc patet vera differentia, quare probabilitas ſequi poſſit, vt excuſemur à ieiunio, reſtitutione, &c. minus tutum amplectendo. At re-

neamur tutius eligere in confectione vel adminiſtratione ſacramentorum, & aliis ſimilibus terminis, de quibus ſupra & infra. Notando quod hic tutius & ſecurius conſideratur, non reſpectu operantis, id eſt adminiſtrantis, vt aliàs in materia iſta conſideratur, ſed reſpectu ſacramenti vel illud recipientis; quæ differentia non parui momenti producit effectus.

166. *Quæ quidem* noſtra aſſertio amplianda eſt; 1. vt procedat: etiam ſi vertatur intereſſe ipſius conficientis vel adminiſtrantis ſacramentum, nam adhuc non poterit ſequi minus tutam partem, nam, vt ſupra num. 139. diximus quando negotium principaliter ad operantem non pertinet, ſed illud gerit tamquam miniſter publicus vel ex conuentione, etiam tacita, non eſt in conſideratione, quod fortè ipſius intereſſe vertatur in eo agendo minus tuto modo. Vnde conuincitur ratio Caſtro Palao d. puncto 5. num. 5. dicentis, quod graue onus miniſtrantibus ſacramenta ſe-

quæreretur, ſi materia omnino tuta, non autem probabilis tantùm, neceſſario adhibenda eſſet. Nam neque video quodnã graue onus ſequatur, neque ſi ſequeretur poſſet omitti, quod lex ipſa vel ſuperior tacitè iubet, vel pars ipſa, quaſi ex contractu iuſtè petit & ſperat, quod eſt, vt ſibi certiori & tutiori modo ſacramentum miniſtretur. Adde dicenda circa medicum infra num. 174.

167. *Secundo ampliãda eſt* eadem noſtra aſſertio, vt procedat & ſequẽdum ſit tutius & ſecurius, in confectione & adminiſtratione ſacramentorum, neque liceat ſequi minus tũtum, etiam cum vera & propria probabilitate; ſcilicet cum aſſenſu opinatiuo validum eo modo effectu ſacramentum. Quæ ampliatio probatur ex dictis ſupra num. 139. & aliis locis, vbi idem probauimus in ſimilibus ex dicta ratione, quia tutius, certius & ſecurius non probabile ſequi oportet, quando lex publica vel priuata conuentio, etiam tacita & præſumpta id petunt, prout in noſtro ca-

ſu petere certum eſt. ¶ Non autem procedet hæc ampliatio, ſi quis ſuſcipiat ſacramentum, vera probabilitate putando validum eſſe, iſte enim non exponitur periculo inferẽdi damnum alteri, prout in caſu ampliationis, vnde ex illo capite non tenetur, ex eo verò, quod irreuerentia ſacramento fortè aliàs infert, etiam non videtur prohiberi ſecundum minus tutam partem operari, quia cùm ſacramenta non tractet, tamquam miniſter ab Eccleſia deputatus, & ſic ceſſet ratio ſpecialis obligationis ad illa conficienda & tractanda, eo modo quo nulla eorum irritatio ſequi poſſit, non magis tenetur amplecti tutius, quam in aliis terminis, in quibus legis diuinæ tranſgreſſionis periculum eſt proprium, at non conſideratur interueniente vera probabilitate, in qua ſpecie locum habere poterit reſolutio Sancij & Caſtro Palao quam impugnamus, & rationes quibus eam generalius fundant.

168. *Quæ dicta ſunt*, procedunt, etiam ſi daremus vtramque partem

contrariam probabilem eſſe poſſe. Cùm autem certiſſimum credamus, tunc verum dubium dari, quando vtraque pars contraria ſe probabilem repræſentat, vt ſæpiſſimè diximus hoc cap. præcipuè §. 3. per tot. Neque tunc liceat ſequi minus tutum, niſi prout in dubio, etiam ſi fieri poſſet, vt vtraque pars verè probabilis eſſet, vt etiam probauimus hoc capite §. 4. Ex hoc quoque capite impugnamus aſſertionem contrariam & ſuppoſitionem, alteram partem eſſe probabilem, contrariam verò probabiliorem, neque iſtam ſequi concedimus, quia, data ſuppoſitione, illa inclinatio, quæ probabiliorem alteram partem repræſentat, non mutat ſtatum, nec operans exit à dubio, vt diximus ſupra num. 155. & aliis locis frequenter.

169. Neque rationes factæ pro comprobanda aſſertione impugnata illam confirmant, non illæ de quibus Sanchez d. cap 9. num. 33. ſcilicet, quod quando ſequitur probabilis opinio prudenter exiſtimatur nulli præcepto

Digitized by Google

contrauenire, nec irritari ſacramentum, vnde ſicut credens probabiliter aliquid non eſſe contra præceptum diuinum, minus illi iniuriam irrogat, ſic &c. Item, quia, ſicut poteſt conſiderari periculum irritandi ſacramentum ſequendo probabilem, ſic etiam contingere poteſt, quando ſequitur probabilius. Nam facilè diluuntur, notando ante aliud quod non rectè ſupponit Sanch. dicto loco; quod data probabilitate non peccat operans, quia prudenter putat ſe non contrauenire præcepto, nam ſi hoc putat, id iam non eſt quærere vel reſoluere qualiter rectè formetur conſcientia, ſed ex illa iam formata arguere, quod licet illud, quod licere putatur, neque ſic iam quæſtionis reſolutioni remanet locus, immo ipſa iam reſoluta ſupponitur, vnde ſuccedunt dicta ſupra cap. 1. num. 26. & 27. Neque etiam rectè ſupponit Sanchez ibidem, ſine peccato operari, qui probabiliter tantùm putat non contrauenire præcepto, nam id certo exiſtimare debet, aliàs, venialiter ſal-

tem peccabit iuxta reſoluta dicto cap. 1. num. 27. & 31. & hoc cap. num. 19. Deinde reſpondetur manifeſtam, & ſatis ſupra num. 165. declaratam eſſe differentiam inter terminos à quibus arguit & eos ad quos arguit. Nam in iis ſpecialis eſt obligatio ſequendi tutius, ſacramenti validitati proueniens ex tacito præcepto Eccleſiæ vel præſumpta conuentione, ex quibus cauſis, & quia negotium alterius gerit ſpecialis malitia inſurgit, ſi tutius & ſecurius non ſequatur. Illa autem ratio, quod etiam poterit contingere periculum in ſequenda probabiliori, minus adhuc valet, nam neque dicimus in illis terminis ſequendum eſſe probabilius, ſed tutius, in quo nullum periculum conſideratur, neque, ſi conſiderentur termini in quibus nullum tutius apparet, ſed ſolum illud tutius quod probabilius, hoc omittere licebit, quia in effectu tutius eſt dicto modo. Quod autem etiam ſic poſſit periculum contingere ineptè conſideratur, nam humanitus nulla eſt via ſecurior, neque per id

præferenda minus tuta, aut minus verior, quia & ſi talis nobis non appareat, verior fortè illa pars erit, aut per contrarium omittenda, quæ verior appareat, quia fortè falſa erit, hæc enim & ſimilia fuſiùs impugnauimus ſupra hoc cap. num. 116.

170. *Ex dictis* multo magis conuincitur, quod contra Sanch. & omnes ferè alios defendit Caſtro Palao dicto puncto 5. num. 5. & 6. dicens etiam in adminiſtratione ſacramentorum (ſemotis caſibus in quibus per conſuetudinem vel decretum aliud mandauit Eccleſia) licere vti materia & forma probabili, relicta certa & ſecura, & n. 8. dicens non conſiderare caſum in quo ob charitatem proximo debitam teneatur adminiſtrans vti ſententia omnino certa & ſine periculo, cùm aliàs poſſit illa non vti, & ſenſus eſſe videtur, quod ſuppoſito, quod ſemper poteſt vti probabili, non eſt caſus in quo ea vti non poſſit, etiam ob charitatem proximo debitam. Nam, ſi nos probauimus, etiam extra materiam & formam ſacramen-

torum generaliter non licere in eorum confectione vel adminiſtratione, omittere tutius & ſecurius vel vtilius, multò magis id locum habet, quando probabilitas eſt circa materiam & formam ſacramentorum, in quibus terminis etiam aduerſarij illud concedunt. Deinde mirum eſt, quod Auctor ille Doctiſſimus adeo firmam & generaliter veram exiſtimet maximam illam. Probabile, ergo tuto ſequitur, vt non admittat aliquam exceptionem. Cùm per contrarium neceſſaria ſit ſpecialis ratio, vt cum probabili operari liceat ſecundum minus tutam partem, iuxta dicta & probata ſupra hoc cap. num. 21. 28. & 139. vbi apertè probauimus & in pluribus ſimilibus caſibus: deinde reſoluimus prædictam licentiam non competere, quando negotium principaliter non pertinet ad operantem, ſed illud agit tamquam miniſter publicus vel ex præcepto ſuperioris, aut ex præſumpta conuentione cum parte volente & tacitè petente, vt ſecuriori modo & ſibi vtiliori, non aliter actio illa fiat.

171. *Sin autem* nulla partium tutior, aut vtilior appareat ſacramenti validitati, ſeu recipienti, vel caſus vrgeat, & applicari non poſſit certa materia, Caſtro Palao, loquendo de hoc vltimo caſu d. diſput. 2. puncto 5. num. 4. plura adducens exempla, & alios citans, aſſerit licitum eſſe vti materia probabili, ſequitur Arriaga dicto tomo 3. l. 2. diſput. 24. n. 22. addens non ſolùm licitum, ſed neceſſarium. Ego autem id non ſimpliciter verum puto; ſed diſtinctionem eſſe adhibendam, & caſus diſtinguendos, aduertendo ante aliud, quod vbi primum non apparet quid tutius ſit validitati ſacramenti, & recipienti, fit tranſitus ad aliam quæſtionem, ſcilicet quid tutius ſit ipſi operanti, an ſcilicet miniſtrare, an verò abſtinere à miniſtrando, nam vt ſupra num. 162. de iudice agentes notauimus, in ijs & ſimilibus terminis, non abſolutè dicitur vtraque pars minus tuta; ſed tunc tantùm, quando conſideratur æquale periculum, tam in faciendo, quàm in omittendo,

Digitized by Google

quod raro contingit, & tunc per errorem. Quo ſuppoſito dico 1. quod ſi neceſſitas conficiendi, vel miniſtrandi ſacramentum non vrget, in æquali vel ferè probabilitate, ſiue potius in dubio, an ſacramentum validum ſit vel irritum, à conficiendo vel miniſtrando abſtinendum eſt, quia hoc tutius, & in dubio (quod verè hîc datur, quamuis probabilitas vtriuſque partis appelletur, vt ſæpiſſimè diximus, & latè probauimus) tutius regulariter ſequendum eſt, iuxta tradenda & declaranda ſub cap. De conſcientia dubia. Sin autem neceſſitas vrgeat, ita vt etiam æquale periculum conſideretur, & ſimile malum timeatur in omittenda, atque in agenda ſacramenti adminiſtratione, ſiue confectione, tunc non dubito licere adminiſtrare, etiam cum dubia materia, ſiue aliàs in dubio, an valeat; dummodo tamen duo obſeruentur. 1. Quod non poſſit accerſiri alter, qui melius ſciat, an illud ſacramentum ſic adminiſtratum, validum ſit, an irritum 2. vt recipiens

Digitized by Google

admoneatur de opinionibus, ſiue fundamentis contrariis, per quæ incertum eſt, an ſacramentum validum ſit, & an in hoc dubia recipere velit. Quod maximè intereſt recipienti palam fieri, ſic enim ſi receperit pro illa neceſſitate, v. g. abſolutionem in caſu dubio an validè recipiat, curabit iterum recipere, & ſimiliter de baptiſmo, &c. quod ſentit bene Ioan. Sanch. quem citat, & immeritò reprobat Caſtro Palao dictó puncto 5. num. 8. & nos diximus ſupra de conſulente agentes num. 142. ¶ Neque obijcias, quod in dubio ſicut agere non licet, quod gerere volumus, ſic non tenemur ad agendum quod gerere nolumus, vt cap. ſequenti dicemus, præcipuè quando vtraque pars non tuta eſt, tunc enim eligere licet. Nam reſpondetur, proximè dictum procedere, quando actio pertinet ad ipſum operantem, & ipſam agit, vt priuatus, non autem quando pertinet ad alium, & operans illam agere debet, vt publicus miniſter, tunc enim propter præiudicium tertij, te-

netur in dubio facere, quod proximo fortè prodeſſe poteſt, & ex hac ſpeciali ratione mutantur regulæ communes pro dubio aſſignatæ.

172. *Subinfertur 5.* immerito Caſtro Palao d. diſput. 2. puncto 9. n. 8. cum alijs ibi citatis, reſoluere probabilius eſſe medicum poſſe in medicamentis adhibendis, ſequi probabile, relicto probabiliori: quod & alia circa medicum minus bene tradita. Vt apertiùs pateant, & impugnentur in primis noto, quod vt ſupra de conſulente, iudice, & adminiſtrante ſacramenta diximus, hæc quæſtio non propriè pertinet ad materiam de conſcientia probabili, & minus illi applicari poteſt generalis doctrina licentiæ ſequendi probabile, & cum eo operandi ſecundum partem minus tutam ipſi infirmo, ex ijs quæ diximus generaliter ſupra num. 139. & latiſſimè perſequentes, in dictis ſpecialibus exemplis, quia ſcilicet medicus alterius gerit negotium, & tanquam publicus miniſter, vel tanquam ex tacita conuentione cum

ægroto, illum eligente ad ſuæ ſaluti conſulendum. Vnde tenetur ſecurius, & vtilius infirmo, non autem eo relicto, etiam probabiliſſimum, quod minus tutum illi eſſe poſſit applicare medicamentum. Quæ vera eſt huius reſolutionis ratio, & ex illa conſtat, quare id non contrarietur doctrinæ aliàs traditæ de licentia ſequendi probabile, quod latiùs expendimus ſupra, in ſimili numero 165. & 169.

¶ Deinde ſupponendum eſt (at per nos non tractandum, eſt enim infinitum, & ad varios iuris, & etiam medicinæ articulos pertinens, non autem ad materiam conſcientiæ probabilis, vt aiunt) aliquando ſtatui, vt pote conueniens oportere medicamentum incertum, etiam quod nociuum fortè erit, applicare infirmo. Hoc autem ſuppoſito, quæritur, an quando ſe offerunt duo, vel plura medicamenta controuerſa inter Auctores ſcientiæ, videlicet aſſerentibus alijs eſſe proficua, alijs verò nociua, & medicus inter eas controuerſas ſententias probabilius exiſtimat hoc me-

dicamentum eſſe proficuum, quàm nociuum, & de alijs vel æquè probabiliter credit proficua, ac nociua vel probabilius nociua, minus autem probabiliter proficua, poſſit licitè omittere medicamentum, quod probabilius proficuum putat, & applicare illud, de quo æquè probabiliter putat nociuum fore, vel etiam probabilius id credit.

173. In dictis ergo terminis aſſerit Caſtro Palao, licet eos ſic non declaret, licere medico applicare medicamentum, quod probabiliter profuturum iudicat, relicto eo, quod probabiliùs iudicat profuturum. Quamuis enim non exprimat, loqui, quando probabile quoque putat medicus nociturum medicamentum, tamen id ſentire videtur, dum allegat in contrarium Sanch. qui in dictis terminis loquitur. At vel loquatur in dictis terminis vel in illis, in quibus ſupponitur medicamentum nociturum non eſſe, & ſolùm controuerſia eſt, quale proficuum ſit, ſemper illicitum omnino credo omittere

probabilius

probabilius profuturum, hoc enim applicandum eſſe, petunt rationes ſupra factæ pro caſu quo alterum certum eſt, nam ſiquidem hic certum haberi non poteſt, debet ſaltem illud, quod probabilius putat profuturum applicare. Quod patet, nam quis dicet, quod ſi medicus exponeret infirmo ſibi probabilius eſſe tale medicamentum profuturum, quàm aliud, licet de hoc etiam dicat probabile ſibi eſſe profuturum, infirmum conſentire debere, quod minus probabiliter profuturum ſibi applicetur? Quod à fortiori procedit, ſi medicamentum nociuum poſſit eſſe, modo ſupra declarato, nam quamuis in ſtatu in quo infirmus inuenitur, conueniens ſibi reputet applicari medicamentum incertum, an proficuum, an nociuum ſit, tamen quis dubitat nullo modo conſentire, vt ſibi applicetur, quod probabilius vel æquè probabiliter, medicus nociturum exiſtimat, ſi aliud applicari poteſt, quod medicus probabilius exiſtimat profuturum quàm nociturum? Et quam-

uis nos credamus, cùm vtrumque probabile creditur, ſiue apparet, videlicet profuturum & nociturum, etiam ſi aliud probabilius ſe repræſentet, dubium potius reſultare, tamen, etiam ſtante dubio & datis terminis, in quibus dubium medicamentum opporteat applicari, illud applicandum erit, in quod aliquantulum medicus inclinauerit proficuum fore; & in effectu non licere probabile, relicto probabiliori applicare in dictis terminis tenet Sanch. d. cap. 9. num. 41. cum illis quos citat. Quamuis immeritò illam ſuam ſententiam probabiliorem tantùm dicat, cùm certa nobis ſit. ¶ At mirum eſt, vt iam ſupra notauimus n. 131. qualiter Auctores de re morali ſcribentes, ferè ſemper contrarias ſententias in probabilitate relinquant, ſuas probabiliores tantùm, at non certas dicentes, quod non pauca adducit inconuenientia, eſt nihil decidere & totum incertum relinquere.

174. Neque contrarium probant rationes adductæ à Caſtro Palao pro

confirmatione ſuæ ſententiæ, quam inpugnamus. Nam ad illud generale fundamentum, de licentia ſequendi probabile, ſæpè reſpondimus, & oſtendimus locum non habere, quando negotium eſt alienum, & geritur tanquam à miniſtro publico, vel ex tacita conuentione cum illo, cuius intereſſe principale vertitur, addentes id procedere, etiam ſi per accidens conſideretur intereſſe ipſius operantis. Ad illud autem, quod ſcilicet non ſemper eſt ſecurius aut probabilius, quod operanti tale apparet, etiam reſpondimus in ſimili ſupra num. 169. & ibi citatis hic addendo, quod non video qualiter probabilius eſſe poſſit contrarium eius, quod probabilius iudicamus, nam cùm probabilitas nihil aliud ſit, neque aliam habeat exiſtentiam à parte rei, niſi modus ille, quo ſe verum aliquid repræſentat intellectui operantis in particulari, fieri non poſſe videtur, vt minus probabile ſit, quod mihi probabilius repræſentat. Solùm ergo dici poteſt, quod fortè

apud alium non erit probabilius, quod mihi tale apparet. At hoc, quid ad rem, vel cur per id minus potero, vel tenebor mihi probabilius ſequi, ſi aliàs poſſum vel teneor, cùm hæc per meam probabilitatem & exiſtimationem, non per eam, quam alter habet vel fortè habebit, regulentur. ¶ Potuit ſolum dici, quod fortè non erit à parte rei proficuum, medicamentum, quod mihi probabilius proficuum videtur, quia medicamentum habet ſuum eſſe ſeparatum, & independens à noſtra exiſtimatione. At non probabilitas. ¶ Minus adhuc probat illa ratio, quod aliàs graue onus imponeretur medico, ſi ſemper deberet ſequi, quod probabilius ſibi apparet, teneretur enim examinare cauſas probabilitatis maioris, cogereturque quolibet momento medicamenta variare, cum in hoc iudicio de maiori probabilitate, variatio continua ſoleat eſſe: quod enim modo probabilius apparet, ſequenti die non ſic repræſentatur. Nam reſpondetur, quod etiam ſi onus impone-

retur medico, non ſine iure imponeretur, nam ſi quidem officium illud eligit, eius onera ſubire debet, aliàs ſi onera ſibi incumbentia recuſare poſſet, graue damnum infirmo ſequeretur. Deinde reſpondetur, quod, cùm ſupponatur ſolum teneri ſequi, quod probabilius ſibi videtur, nullum onus in eo ſequendo illi imponitur, & ſi teneatur examinare cauſas maioris probabilitatis, hoc generale eſt, nam etiam, qui ſequitur probabile examinare debet an tale ſit, & ne forte falſum & in dubio, vt quis operetur, debet præmittere deligentiam debitam. Quæ dicta ſunt ſentit Arriaga 1. 2. diſput. 24. num. 3. generaliter improbans dictam rationem vt inſufficientem ad conuincendum cum probabilitate operari licere. Neque in conſiderationem venire debent alia inconuenientia, nam ſi propter illa non eſſet attendendus præſens ſtatus ad operandum, ſed ille, qui poterat ſuperuenire; nihil fieret ſecundum regulas pro dubio, probabilitate, &c. aſſignatas. ¶ Nega-

mus etiam applicationem illius medicamenti minus probabiliter proficui, omiſſo probabiliori, non eſſe contra obligationem medici, nam licet in applicatione illius contra ſui officij & tacitæ conuentionis cum infirmo, obligationem non faciat, tamen in omiſſione applicationis probabilioris contra vtrumque facit.

¶ Non denique probat illa ratio, quod ſcilicet ſicut alij medici, qui ſunt in ſententia illud medicamentum probabilius profuturum, poſſent illud applicare, ſic medicus, qui tamen contrarium ſentit, poterit ex aliorum opinione illud applicare. Nam reſpondetur negando conſequens, nam vel ſupponimus, quod aliorum opinioni accedendo, ab ea in qua eram diſcedo, & hoc naturaliter non fictè aut pro libito, vel eam probabiliorem eodem modo reputo nunc, cùm antea contrariam probabiliorem reputarem (ſic loquimur cum communi, vt non videamur concedere vtramque eſſe probabilem.) In quo caſu mea opinio fit illa

probabilior, neque attenditur, quænam antea fuiſſet. Vel naturaliter non moueor, & mea, vt probabiliori retenta, dico ore tenus vel ſentire conor, alienam eſſe probabiliorem, & hoc eſt fingere, neque ſtare poteſt mea, & aliena vtraque vt probabilior, neque iſta niſi per ſenſum operantis regulantur. Vnde omnino ſtare non poteſt aſſertio impugnata. ¶ Notando ad calcem non debuiſſe idem CaſtroPalao hic introducere doctrinam, de licentia ſequendi probabile, cùm ipſe eodem puncto 9. num. 1. dixiſſet medicum teneri applicare medicinam certam, relicta probabili, quia non eſt opinio probabilis de tali vſu, ſed opinio probabilis eſt de vtilitate medicamenti. Quam differentiam, & eius rationem, ſi obſeruaſſet ipſe Auctor, neque de medico, neque de adminiſtrante ſacramenta, neque de iudice, neque de conſulente, & ſimilibus aſſerere debuiſſet: aliquando probabile ſequi poſſe, nam in omnibus quæſtionibus eos tangentibus, & ſupra latè controuerſis, opiniones

non conſiderantur circa illud, vtrum iudici, medico, &c. liceat vt benè aduertit Sanch. d. cap. 9. num. 37. 43. & 49. ſed opiniones interueniunt circa ius partium, vtilitatem medicamenti, &c. At ſibi bene attendatur, quantum ex eo capite, quæſtiones in materia conſcientiæ, tunc propriè procedunt, quando opiniones, ſiue ſententiæ, aut rationes ſunt circa antecedens, non circa id an liceat. Antecedentia autem in illis quæſtionibus ſunt, qualis partium ius habeat, quale medicamentum proficuum ſit, &c. & ab illis pendet an medicus rectè formet conſcientiam ſibi licere, vel formare debeat contrariam. At cùm in iſtis tutius & ſecurius illi, cujus vertitur intereſſe ex lege vel tacita conuentione, ſit omnino ſequendum, non habet locum doctrina aliàs tradita, de licentia ſequendi probabile minus tutum, iuxta fuſiùs dicta ſupra, & ſæpè repetita.

175. *Subinfertur 6.* Neque propriè ad materiam de conſcientia probabili

Digitized by Google

pertinere quæſtionem illam. Vtrum ſcilicet confeſſarius poſſit vel teneatur in fauorem pœnitentis, ſequi illius opinionem vel propriam? Neque indiſtinctè verum eſſe, quod circa illam quæſtionem tradunt Sayr. d. lib. 1. cap. 9. per tot. Sanch. d. cap. 9. à num. 27. poſt plures, quos citant & ego non tranſcribo. Primum probatur, quia confeſſarius in terminis propoſitis, ſe gerit vt publicus miniſter, nec illius actionis intereſſe ad eum pertinet, ſed ad pœnitentem. Neque vt ſupponitur, quæſtio eſt, quando opiniones, ſiue potius ſententiæ contrariæ verſantur circa hoc, an liceat confeſſario abſoluere vel non, ſed circa aliud diuerſum, v. g. an ſit vſurarius contractus, quem pœnitens celebrare intendit vel quo vtitur, recipiendo aliquid vltra ſortem principalem. Item, quia talis quæſtio non eſt ſolùm vtrum liceat, ſed an teneatur, quod non conuenit doctrinæ, de licentia operandi cum probabili, hæc enim non cogit, ſed excuſat. Neque hic propriè conſideratur pars minus

Digitized by Google

tuta pro qua ſequenda, non alias, neceſſaria eſt illa doctrina. Vnde ſuccedunt dicta ſupra num. 138. & 139. & reſoluta in pluribus aliis caſibus non diſſimilibus, pro quorum reſolutione ſimiliter aduertimus, eos etiam propriè non pertinere ad rem de qua agimus, ſed præcipuè pendere ab aliis principiis.

176. *Secundum*, vt probetur, notandum eſt, Doctores in hoc caſu, præter conſuetudinem, non declarare an opinio pœnitentis, an verò confeſſarij ſit probabilior, vel an tunc procedat quæſtio, an quando vtraque eſt æque probabilis. (Excipio in hoc Sayr. num. 13.) an tandem, quando confeſſario videtur falſa opinio, ſiue potius ſententia, quæ tenet, v. g. contractum eſſe licitum, quam tamen pœnitentem veram reputat. (Excipio in hoc Bonacin. d. 2. tomo diſput. 2. quæſt. 4. puncto 9. num. 8. qui dicit confeſſarium poſſe abſoluere pœnitentem, etiam ſi putet ſententiam, cui innititur pœnitens, eſſe falſam, dummodo ſciat illam à peritis Do-

ctoribus, vt probabilem defendi & citat Sayr. & Sanch. qui tamen ibi tale non declarant.) Quo ſuppoſito. Aſſerunt prædicti Auctores confeſſarium poſſe & debere abſoluere pœnitentem, ſequendo illius opinionem contra propriam. At hoc vel intelligunt procedere, quando confeſſarius probabilem putat vtramque ſententiam, at minus probabilem illam, quam ſequitur pœnitens, in quibus terminis loquitur Sayro vt num. 13. inſinuat, quamuis à principio indiſtinctè locutus fuiſſet, & ſic intellecta aſſertione illa, ſanè, quod attinet ad ipſos Auctores indubitata videbatur, nam ipſi generaliter docuerant, licere ſequi probabilem, omiſſa probabiliori, in dicto autem caſu nulla ſpecialis ratio dubitandi dabatur, quia cùm ipſe confeſſarius poſſet licitè inire illum contractũ ſequendo probabilem, cur hæſitare debuit, an poſſit illum inire pœnitens, cui probabilior fortè eſt illa ſententia, non tantùm probabilis? Verum, cùm nobis compertum ſit confeſſariũ & quem-

cumque alium, cui contrariæ ſententiæ apparent probabiles, quamuis altera probabilior, in vero dubio eſſe circa quæſtionem, de qua ſunt contrariæ ſententiæ, videlicet in exemplo propoſito, an ſit vſurarius contractus, quamuis enim altera probabilior appareat, hoc tantùm conuincit inclinationem in illam partem, quæ non ſufficit, vt à ſtatu dubij in ſtatum veræ opinionis, ſiue probabilitatis vnius tantùm partis tranſire dicatur, vt ſæpè diximus & probauimus quæſtionem veram in propoſito aliam eſſe debere putamus, videlicet: An quando confeſſarius propter ſententiarum contrarietatem vel aliàs dubius eſt, an peccatum contineat opus, quo vtitur & vti in futurum vult pœnitens, debeat vel poſſit illum abſoluere, ſi pœnitens aſſerat ſe non dubitare cõtractum eſſe licitum, immo vel certo vel vera probabilitate putare, ſibi licere. In qua quæſtione ante aliud noto vix dari poſſe caſum in quo illa locum habeat: nam pœnitens, qui ſibi licere credit cele-

rare contractum vel eo vti, quor-
ım ad confeſſionem deferet, quaſi
ɛccaminoſum. Deinde, ſi fortè de-
ılit & tamen credit confeſſarium in-
.ſtè ſibi præcipere, vt ab eo abſtineat,
:omittere poterit (vt vitet iniuſtam
ɛxationem) ab illo abſtinere, ſine
'opoſito tamen abſtinendi & ſic con-
qui abſolutionem, aliàs ſibi iniuſtè
:negatam. Deinde, quod attinet ad
ınfeſſarium, exiſtimo, quamuis verè
in dubio an contractus ſit vſura-
ıs, neque attendere debeat opinio-
m pœnitentis, vt inferius firmabo,
bere tamen abſoluere pœnitentem,
n quidem, quia ille ſit bene diſpo-
ıs in ſua opinione, vt putarunt Au-
ɔres illi ſupra citati: ſed quia ex
quod audiuit confeſſionem, & aliàs
ıetur illi abſolutionem impendere,
n debet illam denegare ex ratione
cauſa dubia. Sicut, qui certus eſt
obligatione, dubius autem de ſolu-
ne, debet obligationi ſatisfacere &
:ta aliàs regulas tradendas. cap. ſe-
ɛnti pro conſtituto in dubio. ¶ Sin
em confeſſarius non ſit dubius, ſed

certus (quidquid dicant vel non dicant Doctores) contractum vſurarium eſſe, vel de hoc habeat veram probabilitatem, id eſt aſſenſum opinatiuum illius partis, non contrariæ, puto non licere confeſſario abſolutionem impendere pœnitenti, quicquid ille aſſerat, ſe certum eſſe vel veram probabilitatem habere, contractum non eſſe vſurarium. Moueor, nam quamuis pœnitens in ſua exiſtimatione bene diſpoſitus ſit, tamen in exiſtimatione confeſſarij eſt in opinione, ſiue conſcientia erronea, cui ſe conformare non poteſt confeſſarius, neque debet generaliter abſoluere illum, qui, (quantum ipſe confeſſarius exiſtimat) eſt in conſcientia erronea, & ea detentus recuſat reſtituere, ieiunare, &c. aliàs enim daretur cauſa maximis erroribus, & nemini in illis tenax denegaretur abſolutio, quod non eſt dicendum, neque video quis dicat, niſi quando confeſſario videtur probabilis opinio, ſiue ſententia, quam ſequitur pœnitens, excepto Bonacina ſupra in principio citato,

qui tamen ſupponit, adhuc confeſſarium iudicantem falſam ſententiam, quam ſequitur pœnitens, poſſe illam pro probabili habere, quia ſcit à peritis Doctoribus vt probabilem defendi. Quod tamen nos exiſtimamus nullo modo fieri poſſe, cùm nulla probabilitas per ſe ſtare poſſit, niſi apud intellectum ipſius exiſtimantis illam probabilem, quam tamen probabilitatem illi præſtare non poteſt intellectus, qui illam falſam iudicat, immo neque ille qui contrariæ, etiam opinatiuè aſſentitur, vt latè probauimus hoc capite præcipuè §. 2. & 3. quod manifeſtius apparet, ſi conſideres pœnitentem ſequi, vt veram aut probabilem illam partem, non auctoritate Doctorum, qui fortè pro nulla partium inueniuntur, ſed rationibus aut fundamentis ductum, vel ſi conſideres rem facti eſſe. Videas ergo an confeſſarius, qui ſuis fundamentis ductus, reputat falſam partem, quam pœnitens ſequitur, poſſit illam modo aliquo putare probabilem? ¶ Sane, vt ſæpè dixi, hæc & ſimilia conſi-

derant, & ſupponunt Doctores credentes in ſententiis Doctorum, infixam eſſe probabilitatem, ita vt ibi remaneat & pro probabili adhuc ab ipſo, qui eam falſam reputat haberi poſſit & debeat, quod quidem eſt contra ipſam naturalem rationem.

¶ Dices quid ergo faciendum? Reſpondeo in primis pœnitentem poſſe vti medio, de quo ſupra verſ. Deinde ſi fortè. Quod ſi non fiat, confeſſarius rectè faciet denegando abſolutionem, & pœnitens iuſtè quoque ab alio illam petere poterit, qui fortè eius opinioni ſe accommodet, ſine cautela aut dolo id agendo & inuincibiliter putando, confeſſarium errare & iniuſtè illi denegare abſolutionem. Et iſte erit vnus ex caſibus, in quibus conſiderari poteſt bellum iuſtum ab vtraque parte, quamuis enim neceſſario alter, ſcilicet, vel confeſſarius vel pœnitens erret & materialiter peccet, tamen bona vtriuſque fides, etiam errantem à peccato formali excuſat. Sicut per contrarium vterque peccaret ſi contra conſcientiam age-

ret, iuxta dicta ſupra cap. 1. præcipuè num. 17. vbi de bello iuſto ab vtraque parte.

177. *Infertur* 12. principaliter, immeritò Doctores omnes docere quæſtionem & doctrinam de conſcientia, vt aiunt, probabili vel de licentia operandi ſecundum opinionem probabilem, procedere & propriè locum habere, quando opiniones ſiue potius ſententiæ Doctorum contrariæ aſſerunt aliæ ſcilicet, tale opus licere, aliæ verò non licere & hoc eſſe procedere cum conſcientia probabili, vt ſentit Sayr. d. lib. 1. cap. 5. in tit. & Sanch. in principio capitis 9. definiens conſcientiam & adducens varias ſpecies & inter eas conſcientiam probabilem, de qua ibi agit, ſentiens operantem ſecundum probabilem, operari cum conſcientia probabili & quæſtionem eſſe quando, vt dicebamus, contrariæ ſententiæ ſunt circa id an liceat, vel non opus aliquod, vt apertiſſimè pluribus locis declarat, præcipuè num. 37. 43. & 49. Quod etiam ſupponunt Caſtro Palao dicta

diſput. 2. puncto 5. num. 1. ibi. *Aduerto 1. non eſſe quæſtionem, quando pro vtraque parte eſſet opinio probabilis an licitè fiat: tunc enim ex ſupradictis manifeſtè conſtat cuilibet licere eligere, quam maluerit.* Similiter ferè loquitur Sanch. proximè citatis locis. Arriaga 1. 2. dicta diſp. 23. num. 5. ibi. *Tota difficultas præſens in eo conſiſtit, vtrum ſit licitum aliquando amplecti illum actum, de quo non conſtat certo licitum eſſe.* Agit de probabilitate & proſequitur infra num. 8. *V. g. vtrum ſit peccatum comedere ea, è quibus præuidetur ſecutura pollutio.* Sanc infinitum eſſet & ſuperfluum recenſere loca & dicta Doctorum, ex quibus manifeſtè apparet, ipſos ſenſiſſe prædictam quæſtionem & doctrinam procedere, quando opiniones, vt aiunt, ſiue potius ſententiæ Doctorum verſantur circa id, an tale opus liceat. Vel quando principia intrinſeca, ſiue fundamenta probabilia circa idem conſiderantur? Quod eodem modo in dubio intelligunt, ſcilicet, tunc habere locum reſolutiones & doctri-

nas circa dubium traditas, quando dubitat operans, an liceat vel non opus de quo agitur.

178. *Verùm*, ni nos fallimur, decipiuntur illi, nam, vt diximus cap. 1. num. 26. 27. & 28. quando probabilitas eſt licere vel non, aut peccatum eſſe & non eſſe, iam ſuper iis terminis alia reſolutio haberi non poteſt & perinde nec quæſtio excitari, quæ tunc ſolùm & propriè locum habet, quando probabilitas cõſideratur circa antecedens, à quo pendet reſolutio an liceat: veluti probabile eſt teſtamentum eſſe validum; ergo licet petere legatum: probabile eſt impedimentum matrimonij non dari vel fuiſſe diſpenſatum; ergo licet contrahere matrimonium vel contracto vti. Inter antecedentia connumeranda ſunt illa exempla, ſcilicet, an contractus ſit vſurarius: debeantur decimæ; reſtitutio ſit facienda: ieiunandum ſit & ſimilia: nam licet, prima facie videatur, idem eſſe reſoluere reſtitutionem eſſe faciendam, contractum eſſe vſurarium, &c. Ac reſol-

uero peccatum eſſe non reſtituere vel contractum illum celebrare. Tamen verè ita non eſt, nam illa reſolutio eſt circa naturam rei in ſe, non circa peccatum, quod datur vel non datur in omittenda reſtitutione vel contractum celebrando. Quod patet, nam adhuc neceſſe eſt deducere argumentum, videlicet reſtitutio eſt facienda vel contractus eſt vſurarius; ergo pecco omittendo reſtitutionem vel contractum celebrando. Et ad propoſitum, ſi iudicatur probabile, non teneri reſtituere vel contractum non eſſe vſurarium, adhuc reſtat quæſtio decidenda, an rectè, cum illa probabilitate, contra formidinem, quæ in ea includitur formetur conſcientia licere non reſtituere vel contractum celebrare. Item patet, quia ſtante & permanente dubio, an aliquid ſit prohibitum vel præceptum, nihilominus habemus firmam & certam reſolutionem licere, vel non: quam tamen nullo modo habere poſſemus, ſi dubium formatum eſſet an liceret. At vt dicebamus, quando opiniones, ſi-

ue ſententiæ dantur, non iam circa rei naturam, veluti an talis contractus ſit vſurarius, an teſtamentum, in quo defuit talis ſolennitas, validum ſit: An in tali ſpecie, maioratus vel emphiteuſis huic vel illi debeatur, ſed circa ipſum peccatum; veluti an peccet celebrans talem contractum vel retinens maioratum vel petens legatum, reſolutio accepta ſuper illa quæſtione, imponit finem controuerſiæ, nec ſinit locúm alteri quæſtioni, cùm enim illa deberet eſſe circa peccatum, & circa hoc ipſum ſit reſolutio, iam non manet quæſtioni locus, ſicut manebat, quando reſolutio accepta erat circa rei naturam, non autem circa peccatum. Cùm ergo, vt ſæpè diximus, præſens doctrina pertineat ad conſcientiam formandam, non ad conſcientiam formatam, & formata ſit, quando certo vel probabiliter reſoluimus, eſſe vel non eſſe peccatum, aut licere vel non licere, nullo modo ad rem pertinent termini, in quibus opiniones, ſententiæ, ſiue fundamenta ſunt circa

quæſtionem, an tandem aliquid liceat. ¶ Neque generaliter termini quæſtionis ſunt, quando probabile vel dubium eſt, an hoc vel illud liceat, ſed quæſtio eſt an liceat, quando antecedens, (quod adhuc nihil commune habet cum peccato, ſed ab eo tantùm pendet modus formandæ conſcientiæ) probabiliter tantùm reſoluitur, & an tunc liceat deducere dictamen, &c. Neque id negant aut illud expreſſe probant Doctores, ſed tantùm ſupponendo & exemplificando. At ſimiliter exemplificant in terminis, quos non tantùm proprios dicimus, agentes de illis in quibus opiniones ſiue ſententiæ, non ſunt circa illud, an ſcilicet liceat iudici, medico, Aduocato, &c. Sed quando ſunt circa ius partium, circa medicamenta, an ſcilicet ſint proficua, in quibus terminis verè opiniones ſunt circa antecedentia, modo ſupra à nobis declarato, & ijdem Auctores in eis ſequuntur eandem reſolutionem, immo illas quæſtiones excitant & reſoluunt, quaſi illationes doctri-

ɔ ipſis traditæ circa licentiam ſe-
di probabile. Quod quidem,
. inaduertenter & caſu factum
:ur, nam vel doctrina eſt pro ter-
.s, in quibus probabilitas eſt cir-
ıtecedens (prout verè eſt.) Aut
erminis, in quibus probabilitas
.icere ? (prout verè non eſt.) Si
js terminis, in illis tantùm loqui
erunt: Similiter, ſi pro illis, ad
tantùm applicare debuiſſent do-
am, non promiſcuè ad hos, &
vel ſaltem oſtendere debuiſſent
troſque æquè pertinere, quod
:n probare non poſſent, tam quia
maximè diſſimiles, quam ex his
s, quæ non patiuntur terminos
quando probabilitas eſt, licere.

Dices conſiderantem ex vna,
ɔtraria parte auctoritates Docto-
ſuis rationes & fundamenta,
entibus, videlicet iis licere, iis
non licere adhuc rectè quære-
n ſibi liceat, & ſimiliter idem re-
quærere illum, qui in vera pro-
litate, ideſt aſſenſu opinatiuo ſi-
:ere conſtitutus, habet in contra-

rium formidinem, quæ in opinione continetur, vt fortè ſibi non liceat. At reſpondetur negando iam tunc locum remanere quæſtioni, quod magis patet in conſtituto in vera probabilitate, licere: is enim iam iudicat ſibi licere, licet cùm formidine: cùm ergo iam id iudicauerit, qualiter poteſt quærere adhuc, an ſibi liceat? Idem contingit, quandò conſiderat pro vtraque parte opinionem, ſiue ſententiam Doctorum, nam antequam huic vel illi vel vtrique, tanquam probabili adhæreat vel iudicet ſibi licere illud, quod altera licere dictat, non aliqua illi eſt probabilis, neque termini quæſtionis adhuc dantur, at vbi primum iudicat ſequendo hanc ſententiam, probabiliter ſibi licere, non obſtante contraria, iam iudicat ſibi licere, ac per conſequens non remanet locus quæſtioni, an ſibi liceat: ſiquidem iam remanet iudicata, neque aliundè iam poteſt haberi reſolutio certior illa probabili.
¶ Neque putes operantem, quaſi ex theatro videre ſententias Doctorum,

&

& illos eſſe probabiles ex ſe & ſic, cùm nihil circa illud, quod aſſerunt iudicatum habeat, rectè adhuc quærere, quid iudicare debeat, ſcilicet an ſibi liceat, quia alia ſententia ſibi licere dictat, cùm tamen alia ſibi non licere aſſerat vel quia formidat ne liceat: Nam reſpondetur negando prorſus ſententiam aliquam, & minus fundamenta pro aliqua parte continere ex ſe probabilitatem, immo contrarium nos probaſſe hoc capite varijs locis, præcipuè num. 121. cum ſequentibus, præciſeque requiri aſſenſum ipſius operantis, neque antea probabile aliquid ſibi eſſe, dato autem iudicio etiam opinatiuo, dictante ſcilicet ſibi licere, iam ſuccedunt ſupradicta, & locus non remanet alteri quæſtioni an liceat. Quæ ſanè tunc tantùm rectè procedit, ac per conſequens doctrina, & quæſtio de licentia operandi cum probabilitate, ſiue potius, de conſcientia formanda, locum habet, quando probabilitas eſt circa antecedens à quo pendet reſolutio circa peccatum, vt

latè diximus, explicauimus, & exemplificauimus ſupra hoc capite frequentiſſimis locis.

180. *Ex dictis proximè* ſubinfertur prædictam ſuppoſitionem à nobis improbatam, dediſſe cauſam difficultatibus, quas conſiderat: at non concludenter diſſoluit Arriaga 1. 2. diſput. 23. à num. 17. Hinc etiam num. 20. dixiſſe, data ſuppoſitione opinionem eſſe probabilem, non ſolùm probabile, ſed euidens eſſe ſine peccato ſequi, ideo autem aliquos docere contrarium, *quia omnibus penſatis, non excludunt culpam ab ea actione, ſi enim illam excluderent per iudicium abſolutum, licet ſolùm probabile, tunc certi eſſent, poſtea ſe non peccare efficiendo eam actionem,* Ita ille & ſenſus videtur eſſe, quod ſi aliqui dubitant de licentia ſequendi probabile minus tutum, ex eo eſt, quia non conſideratis omnibus circumſtantiis, probabile aliquid ſupponunt, veluti probabilitatem medicinæ, ex hoc enim non ſequitur medicum poſſe illam applicare, relicta certa (hoc exem-

plum adduxerat contra ſe & explicauerat num. 18.) cùm debuiſſent ſupponere probabile eſſe, medico licere applicare illam medicinam. At confunditur, quia licet cum dicta ſuppoſitione bene reddat certum, quod ea data, non poteſt non licere ſequi probabilem (quia ita, vt numeris præcedentibus diximus iam manet iudicatum licere.) Tamen, neque quæſtioni, neque doctrinæ locus relinquitur, vt numeris præcedentibus & ibi citatis probauimus.

181. *Infertur* 13. perperam Doctores fere omnes de materia agentes, controuertere an liceat operari iuxta opinionem aliorum minus tutam, probabilem tamen, contra probabiliorem, & propriam tutiorem. Quomodo quæſtionem excitant Sayr. d. lib. 1. cap. 5. num. 4. Sanch. d. lib. 1. cap. 9. in tit. & num. 13. & 15. & alibi ſæpe. Caſtro Palao diſput. 2. puncto 2. num. 1. & 2. & puncto 3. in tit. Arriaga 1. 2. diſput. 24. n. 8. & ſæpiſſime illi & alij. Nam non percipio cur ſupponatur vtraque pro-

babilis apud eundem operantis intellectum, & tamen altera aliena? vel enim alienæ aſſenſus probetur & fit propria, neque vllo modo conſideratur, quod alter illam prius tenuiſſet vel docuiſſet, vt per id minus propria dicatur, vt diximus, & probauimus ſupra hoc cap. num. 33. vel illi aſſenſus non præbetur, & ſic nullatenus poteſt eſſe probabilis, nec ſequi. Neque enim, vt paulo ſupra & ſæpius diximus, præcipuè §. 5. probabilitas ineſt alicui ſententiæ, etiam quando eſt circa ius, & habet pro ſe Doctores, niſi operans illi aſſentiatur. Vnde fieri non poteſt, vt aliqua pars, ſiue ſententia, vel vt dicunt opinio ſit probabilis & tamen ſit aliena. Quod apertius procedit contra eos, qui docuerunt vtramque partem contrariam fieri poſſe probabilem per intrinſeca principia, non dato aut inuento vllo Doctore pro aliqua parte, vt tenet Sanch. d. cap. 9. num. 12. nam ſic, qualiter probabilior poterit eſſe aliena vel non veraque propria?

Digitized by Google

182. *Ex dictis ſubinfertur*, non bene ratiocinari Arriaga dicto num. 8. vbi dicit, quod iudicans aliquid probabilius, videns tamẽ opinionem oppoſitam eſſe probabilem, & defendi à viris doctis, poteſt prudenter ſuum iudicium ſubiicere faciendo illud, quod prudenter ob aliorum auctoritatem iudicat eſſe probabile. Nam obſtant proximè dicta, & quidem ſi naturaliter & verè propter auctoritatem Doctorum, illi parti aſſentitur, ea etiam ſua fit. Si non aſſentitur, neque probabilis illi dici poteſt, neque prudenter ſequi.

183. *Quæ duobus* præcedentibus numeris dicta ſunt, locum habent, etiam ſi fieri poſſet, vtramque eſſe probabilem, quod tamen nullo modo concedimus, immo in illis terminis verum dubium reſultare aſſerimus iuxta ſæpius dicta & probata ſupra. Ac per conſequens negamus etiam probabiliorem minus tutam ſequi licere, cùm maior probabilitas reſoluatur, in maiorem aliqualem inclinationem pro illa parte, non autem dubium

ceſſare faciat, ſecundum ea, quæ ſupra num. 165. & aliis frequenter reſoluimus. Debet ergo operans, vt in dubio ſe gerere, vt ſæpe in ſimilibus admonuimus. Probabilitas enim vera pro altera tantùm parte ſtare poteſt.

184. *Subinfertur* quoque ex dictis num. 181. perperam dixiſſe Sayr. d. lib. 1. cap. 11. num. 8. & cap. 5. n. 7. & alios ſæpe ſimiliter loquentes, & idem ſupponentes, poſſe iudicem inter duas opiniones probabiles ſequi probabilem, quam iudicat eſſe veram: at ſi iudicet falſam, tunc debere iudicare ſecundum probabiliorem, quam veram putat & non ſecundum probabilem, quam putat falſam. Quod quidem ineptiſſime dictum videtur, nam ſi opinio, ſiue potiùs ſententia eſt iudici probabilis, qualiter illi poteſt eſſe vera, aut falſa? Si falſa, qualiter probabilis? Sanè omnes hæ & aliæ repugnantiæ, oriuntur ex illa falſa ſuppoſitione, probabilitatem ſcilicet eſſe quid ab æterno factum, & inhærentem ſententiæ Do-

ctorum & ita non repugnare, quod ſit probabile, quod ego iudico falſum & poſſe me ipſum iudicare falſum, ſcilicet iuxta meum ſenſum, & iudicium, at probabile, ſecundum iudicium aliorum. At vt ſæpe dixi nullo pacto poteſt probabilitas vera dari, niſi per aſſenſum ipſius operantis, ſentientis ſiue ex ſuis fundamentis, ſiue ex aliena auctoritate, aliquid ita vel ita ſe habere, quo aſſenſu dato, etiam opinatiuè, ideſt cum formidine, iam nullo modo ſimul dari poteſt pro contraria parte, neque illa vera, nec etiam probabiliter tantùm vera apud eundem intellectum eſſe poteſt.

185. *Infertur* 14. non eſſe aptam rationem traditam ab Arriaga, vt efficacem, poſt aliorum reiectas 1. 2. dicta diſp. 24. num. 4. ad probandum licere ſequi probabilem, relicta probabiliori. Ait enim rationem concludentem eſſe, quia cum illa doctrina à viro docto & prudente defendatur, eſt per conſequens doctrina & iudicium prudentum. Qui ergo illi ſe

accommodat, prudenter agit, qui autem prudenter agit, non peccat. Nam obſtat, (etiam ſic reſtricta opinione, ſiue probabilitate ad ſententiam Doctorum) quod ille, qui ſic pro ea parte videt & conſiderat auctoritatem vel rationes, videt ſimiles, ſiue fortè maiores pro contraria. Vnde negatur prudenter agere, quia non ſolùm ſe accommodat illi parti, ſed vlterius ſecundum minus tutam operatur, cùm æquè vel fortè magis probabilem cenſeat contrariam. Quod verius eſt in proprio dubio eſſe. Prudenter quidem agent Doctores illam partem tenentes, operando ſecundum illam pro parte minus tuta, ſi ipſi contrariam iudicent falſam vel improbabilem, & ſuæ tamquam certæ vel probabili, vera probabilitate, id eſt cum aſſenſu opinatiuo adhæreant. Et ſic ſimiliter prudenter operabitur, qui illam eodem modo amplexus fuerit. At tunc iam contraria non poteſt probabilis quoque dici vel ſupponi. Sin autem vtraque contraria probabilis eſt, ſiue potius apparet, iam non eſt,

Digitized by Google

qui illam opinionem ſequitur, in eo-
dem ſtatu, quo ſunt priores eius Au-
ctores, illi enim contrariam (vt ſup-
pono) non iudicarit probabilem: Hic
verò maximè. Vnde iſte prudenter,
ſecundum minus tutam operari non
poteſt ex dictis & probatis ſupra hoc
cap. præcipuè. §. 4. Sanè tota diffi-
cultas reddendæ rationis, cur liceat
operari ſecundum probabilem ex eo
procedit, quia vtraque pars (perpe-
ram) ſupponitur probabilis. Nam ſi
(vt veriſſimum eſt) vna tantùm pro-
babilis ſupponatur, omnis difficultas
ceſſat, vt illa ſequi poſſit, nam illa
difficultas, quæ ſola conſideratur, po-
teſt ſcilicet, quod etiam ſic verè pro-
babilis pars continet formidinem,
quæ in probabilitate includitur, vn-
de videbatur obſtante dicta formidi-
ne, operari non licere ſecundum mi-
nus tutam partem, aptiſſimè placatur,
per ea, quæ diximus & explicauimus
hoc cap. num. 19. & 20.

186. *Infertur* 15. Similiter non eſſe
datis apta, aut ſimilia exempla addu-
cta ab eodem Arriaga dicta diſp. 24.

num. 6. & 7. ad probandum quare iuſtè ſpernatur periculum, quod adhuc ſtat cum probabilitate? Ait enim, quod ſicut ille, qui inuincibiliter omnino ignorans eſſe diem ieiunij, comedit carnes, nullo modo peccat, quamuis faciat ſic actionem in ſe prohibitam: ſic ſimiliter, qui eodem modo cũ probabilitate facit fortè actionem in ſe malam, non peccat: & alio adhuc vtens exemplo, quo euidenter aſſumptum oſtendere dicit, illud adducit, quod nempe, ſicut ille, qui tenetur ad officium diuinum recitandum, illud non tenetur recitare, vbi primum ſe reflectit: ſed, ſecundum omnium opinionem, poteſt illud differre ad veſperam, niſi veſperi timeat grauem occupationem, cùm tamen ſic exponat periculo faciendi rem in ſe malam, qualis eſt non recitare, ſi ſuperueniat obliuio aut occupatio aut infirmitas, de quibus tamen certus non eſt ſuperuentura non eſſe. Sic ille, qui cum probabili ſententia operatur non ſe exponit periculo peccandi, licet ſe exponat periculo fa-

ciendi rem in ſe malam.

187. Verùm confunditur, nam qui aliquid probabile tãtùm reputat non inuincibiliter ignorat contrarium verum eſſe poſſe, immo formidat, vt verum fortè ſit, vt dicemus ſub cap. de conſcientia erronea: ac per conſequens quæritur, an ſimiliter debeat dubitare an ibi ſit peccatum. Vnde omnino abſimile eſt primum exemplum. Secundum quoque eodem modo laborat, nam, ſi, vt fatetur, occupationem grauem timet veſperi, qui manè non orat, peccat. Sin autem nullam timet, non poteſt comparari iudicanti aliquid probabile, is enim formidat, vt contrarium ſit verum. Hoc quidem exemplum applicari poſſet doctrinæ, veræ probabilitatis, dicendo & diſcurrendo ſic. Ille qui reſeruat pro veſpere dicere officium, rectè format conſcientiam id ſibi licere, ſi probabiliter putat, id eſt opinatiuum aſſenſum habet, impedimentum non ſuperuenturum, nam licet, qui opinatur adhuc formidet, vt fortè ſuperueniat, tamen cùm huic

parti non aſſentiatur, ſed contrariam notabiliter præferat illi aſſentiendo, licet cum formidine, iuſtè putat Deum optimum, noluiſſe illum obligare ad onus recitandi ſtatim, vt aduertit ſe illa die recitare debere, propter illam formidinem, quæ remotè conſiderat, vt fortè impedimentum ſuperueniat. Quæ eſt ratio, qua niſi non inficiamur cum vera probabilitate vnius partis, non contrariæ circa antecedens (vtraque enim nullo modo veram probabilitatem continere poteſt, vt ſæpiſſime diximus) licere formare conſcientiam non peccare, ſecundum minus tutam partem operando, iuxta dicta num. 19. & 20. cum limitationibus & declarationibus, de quibus laté ſupra.

188. *Infertur* 16. Contra ipſum Arriaga dicta diſput. 24. num. 8. & 9. quod licet optimè dixerit *repugnare ſimul & ſemel, hominem iudicare aliquam actionem eſſe peccatum & eandem non eſſe peccatum, quia id eſſet iudicare duo contradictoria, ſimul & ſemel vera, quod repugnat.* Non tamen rectè ſup-

Digitized by Google

poſuit operantem cum probabilitate etiam abuſiua, ſcilicet apparente pro vtraque parte, iudicare ſimul ſibi licere & non licere, nam licet hæc ſuppoſitio melius probaſſet difficultatem duarum contrariarum partium probabilium, & ſic iudicans neceſſario operaretur contra conſcientiam dictantem non licere, (nam vbi primum iudicatur, non licere, iam hoc iudicium eſt conſcientia, iuxta dicta cap. 1. num. 26. & 27.) Tamen ſupponendum non eſt probabilitatem eſſe, licere & non licere, ſed circa antecedens, v. g. teſtamentum validum fuiſſe & non fuiſſe: contractum eſſe & non eſſe vſurarium. Quo etiam modo non minus aſſenſus contradictorij ſunt, ſi pro vtraque parte aſſeratur probabilitas. Neque difficultas ceſſat pro ea, quæ addit Arriaga vbi ſupra num. 9. dicens. *Poteſt tamen reflexè ſic iudicare: licet ego iudicem eſſe peccatum, probabile tamen eſt, non eſſe, quia cùm illæ propoſitiones, vna ſit reflexa de modo, nempe de probabilitate, altera verò de ineſſe, non dicunt inter ſe*

repugnantiam vllam. Eo autem ſuppoſito, licitè dicere poteſt: Volo amplecti illam minus probabilem. Nam replicatur, quod ſi ille, qui dicit: *probabile tamen eſt non eſſe*, ſignificat ſibi probabile eſſe, quia aſſentitur etiam opinatiuè tantùm, non eſſe peccatum, iam iſte aſſenſus manifeſtè contradictorius, ſiue potius repugnans eſt alteri dictanti eſſe peccatum. Verba quidem: *hoc eſt probabile: & hoc & contrarium eſt probabile. Vel hoc eſt certum, contrarium autem probabile,* contradictionem non continent. At aſſenſus ſtare ſimul repugnat: vide dicta ſupra num. 43. & 76. Sin autem ſentit & ſignificat tantùm, probabile eſſe apud alios vel continere rationes, quæ illam alicui ſuadere poſſunt, licet ipſi non ſuadeant, huiuſmodi probabilitatis abuſiuæ genus nullo modo ſufficit ad operandum, ſecundum illam partem, vt probauimus apertiſſimè ſupra hoc cap. num. 74. & aliis. Qualicumque igitur modo probabilitas vtriuſque partis conſideretur vel illi aſſenſus, ſimul ſtare non poſſunt

vel non ſufficiunt ad operandum. Omitto, vt ſæpe dictum & repetitum, etiam datis, quæ negamus, non rectè deduci licentiam amplectendi minus tutam: obſtant enim quæ diximus ſupra præcipuè §. 3.

189. *Infertur* 17. Non rectè ratiocinari eundem Arriagam ex mente Suarij dicendo dicta diſput. 24. num. 5. quod ſi, eo ipſo, quod quis certus non eſt, teneatur ſequi tutiorem intolerabile fore onus erit, cùm enim in pluribus materiis detur varietas aliqua opinionum & quidem talis, vt impediat, vt neutra pars certa ſit, ſi quidem eo ipſo tenetur tutius eligere, graue onus eſſet, vnde licet alicui multi homines docti & ſancti dicerent, eum poſſe aliquid facere, ſi tamen vel vnus etiam doctus & prudens diceret poſtea, non licere, iam ille pauper cogeretur ſequi huius opinionem, nam per dictum huius, licet illa prior opinio maneat probabilior, deſinit tamen eſſe certa apud illum, &c.

190. Non inquam rectè ratiocina-

tur. Nam, non eo ipſo, quod aliquis Doctor vel etiam plures aſſerunt aliquid, ego neceſſario inducor in certitudinem, probabilitatem vel dubium, ſed attenditur, quid tandem illorum auctoritatum vel fundamentorum vis in me operetur, & in quo ſtatu tandem remaneam circa quæſtionem de qua agitur. Si accidat, quod in dubium inducar, quia vel rationes vel auctoritates partis contrariæ ſunt æquales vel fere geram me tamquam in re dubia. Si, in aliqua incertitudine (non quidem, an liceat, tunc enim ſic operando venialiter ſaltem peccarem operando: iuxta dicta hoc cap. num. 19.) quæ tamen non tollat aſſenſum partis contrariæ, ſcilicet teſtamentum validum eſſe, impedimentum non dari vel non irritare matrimoniũ, non per id, (quod verè eſt tantum formido) impediar deducere dictamen, id eſt conſcientiam formare mihi licere, legatum petere vel matrimonium contrahere. Facile quidem omnia procedunt, ſi aduertatur opinionem veram eſſe tan-

tùm pro vna parte & circa antecedens, & pendere ab intellectu & aſſenſu operantis, non autem ab alia cauſa immediata, licet plures ſint, de quibus dici & dubitari poſſit, an ſint legitimæ cauſæ, ad mouendum operantis aſſenſum, quod tamen ad rem noſtram remotè pertinet.

191. *Infertur* 18. Suſpectum videri, quod docet Sanch. dicto cap. 9. num. 25. dicens in duplici caſu excuſari illum, qui ſequitur opinionem, quæ ita parum probabilitatis habet, vt aliàs amplecti non poſſit, nempe quando ad vitandum graue periculum ſequitur opinio non apertè falſa, neque omni probabilitate deſtituta. Item, quando caſus particularis vrget, & intellectus ſtatim determinari debet ad alterutram partem, & nequit omnis diligentia moraliter poſſibilis adhiberi, & adhibetur ea, quam loci & tẽporis opportunitas permittit: tunc enim, inquit, excuſatur eam opinionem ſequens & ſi improbabilis ſit. Quia eo caſu, poſt adhibitam eam diligentiam, ignorantia manens, eſt in-

uoluntaria, & ideo practicè nullum eſt peccati periculum, & citat Valent. Suar. & Salas.

192. *Cæterum non* percipio, quo pacto dicta reſolutio probari poſſit. Nam in primis non agnoſco, qualis opinio, ſiue ſententia dicenda ſit parum probabilis & quos effectus iſta producat vel qualiter ſtare poſſit cum contraria, quæ ſic videtur dicenda probabiliſſima, ſiquidem oppoſitæ adeo parum probabilitatis relinquit; & per hoc dictum ſupponi videntur tres probabilitatis gradus, nempe parum probabilis, probabilis, probabilior. Sanè totum hoc, figmentum videtur. Cùm manifeſtum ſit, vnam tantùm probabilitatem veram dari, quæ conſiſtit in aſſenſu opinatiuo vnius partis, hic autem aſſenſus, quod ſit firmior vel infirmior aliquātulum non mutat ſpeciem, neque effectum aliquem producit. Deinde vel operans agnoſcit opinionem, ſiue ſententiam illam adeo parum probabilitatis continere, vt aliàs ſequi non poſſit, (cur, precor probabilis dicitur &

ſequi non poſſe, niſi ad vitandum graue damnum?) Hoc autem dato, quare ſequi poterit ob vitandum graue damnum? Num neceſſitas, etiam extrema reddit illam probabiliorem, quam ex ſua natura ſit? Dices, graue damnum, quod imminet, excuſat etiam aliquando à præcepto liquido & certo; ergo à fortiori ab eo quod omnino certum non eſt. Fateor: at hoc, non virtute probabilitatis, immo illa omnino ceſſante. Si igitur tale damnum imminet & tale eſt præceptum, quod ceſſet ob damnum aliàs imminens, nihil hic operatur illa parua probabilitas, cùm illa etiam ceſſante, præceptum non obliget. Sin autem tale non ſit damnum vel præceptum ſit negatiuum, quod ob imminens damnum tranſgredi non liceat, non credo per illam probabilitatem, quæ aliàs ſequi non poteſt, tranſgreſſionem licere. Nec video rationem id conuincentem. Sin autem ſupponitur operantem non agnoſcere, quam parum probabilitatis illa ſententia habeat, tunc error

Digitized by Google

illum excuſabit & ſumus extra quæſtionem. ¶ Neque illud exemplum adductum à Sanch. ſimiliter loquente de matr. lib. 2. diſput. 36. num. 8. quod ſcilicet poteſt, neceſſitate vrgente, baptizari partus in extremitate digiti, quæ apparet, licet parum probabile ſit, valere huiuſmodi baptiſmum, aliquid probat: Nam in dicto caſu non eſt minus tutum, ſed ſecurius illo modo baptizare: ſiquidem alter ſecurior non poteſt adhiberi: nos autem loquimur quando cùm parum probabili ſeu improbabili, ſequitur minus tutum, cùm poſſet tutius ſequi. ¶ Minus ſuſtineri poſſe videtur aliud dictum ſupra relatum, nam cur improbabilis ſententia ſequi poterit, quia diligentia adhiberi non potuit? Si iſta minus tuta (de tutiori enim non dubitamus licitè ſequi, etiamſi improbabilis ſit) ſe repræſentat improbabilem, & per conſequens contraria & tutior verè probabilem: cur illa, & non iſta ſequenda? vel quidnam hic operari poteſt diligentiam fuiſſe vel non fuiſſe ad-

hibitam. ¶ Sanè videtur alius ſenſus, ſcilicet, quod ſi contingat ſequi improbabilem, quam tamen operans probabilem vincibiliter putabat, excuſabitur operans, licet non adhibuiſſet aliàs debitam diligentiam, ſed illam quam potuit pro loci & temporis oportunitate. Et hunc ſenſum eſſe ſuadent illa vltima verba, ſcilicet. *Quia eo caſu, &c. ignorantia inuoluntaria manet.* Et quidem alio ſenſu accepto, nihil, quod non abſurdum ſit deciditur. Verùm, dicto ſenſu accepto, poterit aſſertio vera eſſe: at nullo modo ad rem pertinens, nam excuſari, ſequendo per errorem improbabilem, pertinet ad materiam conſcientiæ, vt dicunt, erroneæ, non autem probabilis, quod manifeſtum eſt.

193. *Infertur* 19. remotam à re iſta eſſe doctrinam, quam latiſſimè tradit Azor. moral: lib. 2. à cap. 9. vſque ad cap. 15. Sayro d. lib. 1. cap. 5. & 6. Sanch. d. cap. 9. à num. 6. vſque ad num. 11. Caſtro Palao d. diſput. 2. puncto 1. per tot. Arriaga di-

Digitized by Google

ćta diſput. 24. à num. 10. & fere omnes, de re iſta agentes, quos longum eſſet citare, ſerio docentes quænam opiniones, ſiue potius ſententiæ Doctorum probabiles: & quæ in operando deligendæ ſint: Quando ab illis diſcedere liceat, & plura alia, quæ quidem licet in ſe vtilia, tamen neque immediatè pertinent ad materiam, & quæſtionem de licentia operandi cum probabili, neque in eo ſenſu traditæ tuta ſunt, immo dum illæ opiniones, quæ ſunt Doctorum ſententiæ confunduntur cum vera opinione, quæ nihil aliud eſt, quàm aſſenſus opinatiuus operantis, cauſatur tota inuolutio & æquiuocatio, quam impugnamus, vt iam ſæpè diximus.

194. *Non inquam*, niſi remotè pertinet ad rem noſtram doctrina illa, quia ſcilicet tota illa ſolùm conuincere poteſt ſequentem vel non ſequentem illas ſententias, rectè, aut perperam facere vel errare, aut non, in eis probabilibus vel improbabilibus iudicandis, ac per conſequens

rectè, aut perperam conſtitutum eſſe in certitudine vel probabilitate illius, quod illæ ſententiæ aſſerunt. At propria quæſtio in hac re, alia eſt, an ſcilicet cõſtitutus in vera probabilitate, (ſiue rectè, ſiue erroneè inuincibiliter, & nõ attendendo ad cauſas, vnde venerit in probabilitatem, circa antecedens, quod etiam ſemper ſupponitur) veluti teſtamentum validum fuiſſe, rectè deducat dictamen, ſibi licere legatum petere? Conſtat ergo differentia quæſtionum, ſiue controuerſiarum. Prior enim verſatur circa legitimas cauſas deueniendi rectè in probabilitatem: Poſterior autem circa licentiam deducendi dictamen, quod peccatum non eſt in opere per illum, qui in probabilitate eſt conſtitutus. Quando igitur de hac poſteriori agimus, ſupponimus operantem rectè conſtitutum in probabilitate, & non ſine confuſione ad reſolutionem circa iſtam poſteriorem quæſtionem, conſideramus fundamenta vel auctoritates prioris, quæ ſcilicet concludunt operantem non

debuiſſe credere ſe conſtitutum in opinione vel non rectè conſtitutum eſſe conuincunt; vel contrarium. Non autem conuincunt, facta ſuppoſitione, illum non rectè deduxiſſe dictamen; vel contrarium. ¶ Cùm ergo patentiſſimum ſit, & probatiſſimum hoc capite, immediatam cauſam ad deducendum rectè dictamen, licere, eſſe aſſenſum operantis ſaltem opinatiuum circa antecedens à quo pendet iudicium circa bonitatem actionis, non debet pro hac immediata cauſa aſſignari alia remota, illa ſcilicet, quæ ſolùm poteſt eſſe cauſa illius immediatæ cauſæ, ſcilicet aſſenſus opinatiui, ſic enim totum confunditur. ¶ Poterit quidem vtiliter etiam tractari, qualis ſit legitima cauſa diuidendi in opinionem, ideſt aſſenſum opinatiuum alicuius partis, at hoc diſtinctè & ſeparatè: verùm hæc inter ſe commiſcere, & multò magis totam controuerſiam & doctrinam de licentia operandi cum probabilitate, transferre ad ipſas ſententias Doctorum, & in hoc ſenſu probabilitatem

litatem ſequendam vel non ſequendam in ipſis conſiderare, ac controuertere, ſupponendo ipſas eſſe immediatam cauſam bonitatis vel malitiæ actionum geſtarum cum probabilitate vel ſine illa; extra rem non ſolum eſt, ſed omnino erroneum.

¶ Eſt ergo ſemper aduertendum, rem iſtam per hos gradus procedere. Bonitas vel malitia formalis actionis, pendet immediatè à conſcientia, ſiue rectè, ſiue erroneè inuincibiliter formata. Conſcientiæ recta formatio pendet ab aſſenſu præſtito antecedenti, à quo pendet modus formandæ conſcientiæ. Aſſenſus, recta præſtatio, pendet ab alijs legitimis cauſis, & ſic deinceps. Nos autem in propoſito, ſupponentes aſſenſum opinatiuum rectè præſtatum ab operante alicui parti, veluti teſtamentum validum fuiſſe non aliud quærimus, niſi an rectè deducat dictamen vel quod idem eſt, formet conſcientiam licere petere legatum, non obſtante formidine, quæ in aſſenſu opinatiuo includitur, vt fortè inualidum fuiſſet.

teſtamentum, nam, vt ſupponitur, operans, ideſt legatarius, non eſt omnino certus validum fuiſſe, licet quaſi certus ſit, vt ſuo loco fuſiùs declarauimus. Ad hanc autem quæſtionem veram, & propriam in re iſta, quis non videt, quam remotè pertineat controuerſia de ſententiis Doctorum probabilibus vel improbabilibus, iuxta ſupra conſiderata?

195. *Agendo autem* de dicta remota quæſtione, vt nihil in tractatum relinquamus, aliqua circa illam aſſeram, omnia enim, quæ controuerti circa eam poterant tractare, infinitum eſſet. Primò igitur aſſero, quod ſi ab vno Doctore pio, & docto (hæc omnia etiam ſupponenda ſunt, in exiſtimatione mea, ſiue alterius operantis, tanquam vera & non iterùm de eis controuertendum, videlicet quis verè ſit doctus, aut pius) accipiam, teſtamentum validum eſſe vel contractum non vſurarium, & nihil in contrarium habeam; Ego quidem non ſolùm in opinionem, ſiue probabilitatem, ideſt aſſenſum cum for-

midine validitatis teſtamenti, ſed in aſſenſum, ſine vlla formidine, ideſt certitudinem inducar, & rectè me inductum intelligam. Sin autem pro contraria parte, videam eſſe plures pios ac doctos, tunc illa pars mihi probabilis erit, & illa, quam vnus ſolus defendit improbabilis, non autem illam dicam falſam abſolutè, quia illius Doctoris pij & docti, qui pro illa eſt auctoritas id impedit & cauſat, quod cum formidine contrariam veram abſolutè iudicem. Sin tandem pro & contra videam æquales prorſus auctoritates, ſiue ferè æquales, in dubium inducar circa veritatem quæſtionis, de qua agitur; neque audebo iudicare qualiſnam illarum ſententiarum vera, qualis autem falſa ſit: ac per conſequens, neque qualiter ſe habeat illud de quo quæritur. Quod non deſitetur Azor moral. lib. 2. cap. 12. in principio dicens, quod quando duæ opiniones ſunt pares in numero auctorum, illa, vt plurimum, eſt anteferenda, quæ tutior fuerit, quod eſt tacitè dicere,

tunc dubium reſultare: nam in dubio tutius eligendum regulæ iuris dictant. ¶ Infiniti propemodum caſus conſiderari poſſent, in quibus quæri poteſt, an operans debeat, vt rectè agat, indueì in certitudinem, opinionem, ſiue dubium, at non omnes poſſunt in medium adduci, principaliores poſui, & quid iuxta illos ſentiam, ſtando in mera auctoritate Doctorum. Idem ferè procedit, ſi rationes & fundamenta, pro vtraque parte conſiderentur. Sin autem ex altera parte auctoritates, ex altera rationes videam, prudenter attendendum erit vtriuſque rei pondus; neque enim pro iis regulæ certæ, & ſufficientes aſſignari poſſunt. At tandem aſſenſu ſic vel ſic inuincibiliter formato, ſiquidem certum mihi aliquid repræſentet, ceſſat quæſtio: ſin probabiliter verum, hoc ſequendum iuxta doctrinam ſupra hoc capite latè traditam & declaratam. Sin tandem dubius remaneam, ſequendum erit illud quod fusè trademus capite ſequenti de conſcientia dubia agen-

tes. Dictis hoc numero, & duobus præcedentibus addenda ſunt, quæ diximus ſupra hoc cap. num.30. cum tribus ſequentibus, & num.120. cum ſequentibus.

196. *Nullo autem* modo admittam, rectè conſtitutum in probabilitate alicuius partis eſſe illum, cui (*vt ait Caſtro Palao dicta diſput. 2. puncto 1. num. 2.*) *probabiliter aliquid opinanti, ratio aliqua in contrarium videatur conuincens, ſed non inde probabilitatem opinio amittit.* Si enim ipſi auctores docent probabilem eſſe opinionem illam, quæ rationi alicuius momenti innititur, ita tamen, vt pro oppoſita parte, nihil conuincens ſit, vt ait Sanch. d. cap. 9. num. 6. qualiter fieri poteſt, vt adhuc ſit probabilis illa opinio, contra quam aliquid conuincens habeo. Vel quando verificari debet illa limitatio. Si dicas quod illud conuincens debet procedere ab alia cauſa, non à iudicio operantis, negabo hæc poſſe apud eum alio modo definiri & ſtatui, cùm non ſit alia officina, in qua huiuſmodi

characteres opinionibus imprimantur. Sanch. quidem citatus ab eo cap. 9. num. 6. magis probat contrarium, licet etiam dicat, quod conſiderans contra opinionem, fundamentum aliquod, quod ſolutionem non habere exiſtimat, non per id illam improbabilem debet reputare, ſed exiſtimare debet, facilè fortè ſolui poſſe eius fundamentum? Hoc autem neque ſatis cohærenter dictum videtur, nam ſi ille id potuit exiſtimare, iam ſibi non videtur ſuum fundamentum conuincens: Sin autem non potuit, eſt extra terminos opinionis, neque illam, contra quam conuincens fundamentum habere exiſtimat, ſequi poteſt, vt ipſe Sanch. ibidem agnoſcit. Eſt ergo potius conſilium, vt videns opinionem, ſiue ſententiam aliorum & reputans illam improbabilem, flectat ſuum intellectum, deſcendendo à propria ſententia, & accedendo alteri: quod ſi naturaliter, non perfunctoriè aut quaſi pro libito ore tenus fiat, non dubitamus adhuc contrariam ſententiam poſſe cau-

ſam eſſe aſſenſus illi præſtandi: Sin verò ille non diſcedat vere, & naturaliter à ſua ſententia, nullo modo poterit contraria remanere cum probabilitate apud ipſum. Vnde, ſolùm dici potuit, quod non debuit operans tenaciter iudicare conuincens ſuum fundamentum, at nullo modo rectè dici potuit, quod dixit Caſtro Palao, quod licet habeat conuincens fundamentum, tamen opinio contra quam illud habet, non amittit ſuam probabilitatem.

197. *Neque etiam* vnquam admittam rectè conſtitutum in opinione vtriuſque partis contrariæ vel etiam vnius tantùm, illum eſſe, qui audiens duo horologia diuerſas horas ſonantia, ſe conſtitutum putat in probabilitate, videlicet, quod iam ſit media nox, quia aliud horologium illam ſonuit, & quod non ſit adhuc media nox, quia aliud horologium eodem tempore ſonuit vndecimam noctis horam (pro Hiſpania loquor vbi horologia non ſunt integra, & incipiunt & finiunt medio die & media nocte,

non pro Italia vbi ſunt integra & alio modo incipiunt & finiunt) vt ita, accommodando ſe horologio, quod ſonuit vndecimam horam, poſſit adhuc carnes cœnare in die Iouis. Vel die Sabbathi poſſit cœnare carnes accommodãdo ſe alteri horologio, quod ſonuit duodecimam noctis horam. Quod docet Caſtro Palao dicto tract. 1. diſput. 3. n. 6. dicens poſſe quemlibet ſe accommodare cui libuerit horologio, quia ſequitur quaſi opinionem probabilem. Idem ſentire debet, ſi in contrarium ſint plura horologia, nam cùm habeantur horologia tamquam Doctores, poterit habere horologium, cui ſe accommodat pro Docto & pio Doctore, & ſic adhuc eius ſequi opinionem. Cæterum, mirum eſt, qualiter Doctores probabilitatem conſiderent eo ipſo, quod pro altera vel vtraque vident rationes, ſiue fundamenta aut auctoritates, ſiue motiua, non conſiderando, quod pro contraria ſimiles vel maiores etiam vident, quarum vi pro eius qualitate contrariarum vis eliditur,

Digitized by Google

vt manifeſtiſſimum eſt, & probauimus ſupra hoc cap. num. 44. & aliis locis. Vnde nullo modo concedam, legitimam eſſe cauſam iudicandi mediam noctem vel vndecimam haram eſſe, quando audio duo horologia dicto modo contraria. Neque video, quis naturali lumine ductus, non tunc dicat & ſentiat ſe dubium remanere an ſit 12. an 11. noctis hora. ¶ Non nego horologium eſſe legitimam cauſam ad credendum illam eſſe horam, quam ſonat, eſt enim medium ad id cognoſcendum ordinatum, immo ſi vnum tantùm ſonet, ego quidem non ſolum in probabilitatem, ſed in certitudinem inducar illam eſſe horam, neque enim video cur Doctores ſupponant ex Doctorum ſententiis vel ſimilibus cauſis in probabilitaté tantùm nos venire. At ſi diuerſa horologia diuerſas horas ſonant, ſiquidem æqualia ſint numero horologia & eiuſdem reputationis in ſuo miniſterio & nihil eſt aliud, quod magis iis, quam illis credendum ſuadeat, cur non in dubium inducar & per conſe-

quens gerere me debeam, tamquam dubius, an verè ſit 11. an vero 12. noctis hora, non aliter ac quando de eo dubito ex aliis rationibus nullo audito horologio? Cur Caſtro Palao, non idem decidit in caſu quo audiuntur horologia contraria, ac caſu quo nullum auditur, ſed dubium aliunde prouenit, in quo caſu, vt dubium ſe gerere operantem, eodem num. 6. in principio docuerat? ¶ Sin autem plura horologia hanc, vnum autem hanc aliam horam ſonent, crederem probabiliter eſſe horam illam, quam plura ſonant, & ſic de cæteris caſibus, ſimiliter atque dicto num. 195. dixi de diuerſis, ſiue contrariis ſententiis Doctorum vel rationibus, aut fundamentis & ex eadem ratione. Omittendo, quod neque duæ partes contrariæ poſſunt, ſimul eſſe probabiles, & dato quod tales eſſe poſſent, non licere cum tali probabilitatis genere minus tutam ſequi; Hic enim ſolùm agimus de legitima cauſa perueniendi in certitudinem, probabilitatem, ſiue dubium, non autem de eo, quod

agendum eſt, poſt nos in probabilitate vel dubio conſtitutos, de priori enim ſupra latiſſimè, de poſteriori ſequenti capite dicemus.

198. *Vltimo tandem*, vt iam huic capiti finem imponamus, infertur periloſam eſſe doctrinam, de licentia ſequendi partem minus tutam, cum probabili, vt dicunt, opinione, ſiue ſententia, vel aliàs quando ſimiliter contraria ſententia ſimilibus auctoritatibus vel fundamentis fulcitur; & multò magis, ſi fortioribus. Cum tunc potius verum dubium contingat, & vt in dubio operans ſe gerére debeat, iuxta latiſſimè probata ſupra. Multoq; magis periculoſam eſſe praxim, qua vti ſolent communiter prædicta non tuta doctrina, mirum eſt enim, quàm facilè reſolui ſoleat probabilem eſſe partem illam, pro qua petens conſilium deſiderat operari, adeo vt iam ſolùm petatur à conſulentibus, vt partem illam curent probabilem oſtendere, vt ſic contra oppoſitam, illis aliàs veram vel fere veram & tutiorem operari liceat. Non

dubito cum vera probabilitate circa antecedēs, rectè deduci dictamen, id eſt conſcientiam formari, licere, cum declarationibus latè hoc cap. traditis. At nego veram probabilitatem, cum qua illud licet, niſi pro vna tantùm parte eſſe poſſe, & hanc contingere ſolum aſſero, quando illi parti aſſentitur intellectus cum formidine, non cum probabilitate contrariæ, iuxta ſæpiſſimè dicta, repetita & probata.

199. *Pro choronide* tandem aduerto, totam iſtam controuerſiam & ſimiles, ad materiam conſcientiæ pertinentes, ſolùm prætendere & conuincere, contrarium exiſtimantes in errore eſſe, at non formaliter peccare, cùm eos excuſet inuincibilis ignorantia. Ergo & nos & illi, qui contrariam ſequuntur doctrinam, ſi non agamus contra conſcientiam, formale peccatum vitabimus. At cùm expediat neque materiale committi neque in erroribus viuere: nos quidem illos errare contendimus. Illi nos fortè errare putabunt. In hac igitur diſcor-

dia, quilibet legentium vel audientium iudex conſtituitur, & ipſe ſecundum illud, quod veriùs iudicat ſuam conſcientiam format, ad quam dirigendam hæc omnia pertinent, & ea formata, ſiue rectè, ſiue fortè perperam (quod nemo de ſe putat) dummodo inuincibiliter, certum eſt apud omnes non peccare formaliter.

Summa breuiſſima eorum, quæ hoc cap. & præcedenti principalius reſoluimus.

200. CONſcientia humanarum actionum immediata regula, eſt poſtremum iudicium, quod proferimus circa peccatum, tempore quo opus gerimus. Vnde deponi poſſe, aut ſpeculatiuum dici negamus; ſemper eſt certa circa ſuum miniſterium, quod eſt prædicere peccatum formale, quod in opere agnoſcit. Vnde nec circa illud errat, neque ſtrictè loquendo circa ſuum propriiſſimum miniſterium dubitat, aut illud probabiliter tantùm decidit, ſed tunc pec-

Digitized by Google

catum non plenum in opere eſſe dictat. Vnde nullum aliud committitur, niſi quod ipſa admonet, neque illud, quod ibi eſſe admonet, in opere ceſſat. Neque poſt conſcientiam aliud iudicium dari poteſt, quod certius dictet, quodnam peccatum ſit vel non ſit in opere. Conſcientia, naturalis eſt regula, naturaliterque ſuum munus, circa peccatum formale prædicendum apud omnes impendit. Ea ſemel formata, ſiue rectè, ſiue perperam inuincibiliter, qui illam ſequitur non peccat. Qui verò contra eam agit formale peccatum committit. De ea rectè formanda plures ſunt controuerſiæ, quando antecedens à quo pendet, an peccatum ſit in opere, non certo, aut firmiter, ſed probabiliter tantùm reſoluitur vel de eo dubitatur. De priori hoc cap. egimus; De poſteriori cap. ſequenti dicemus.

Opinio dum ad materiam conſcientiæ probabilis pertinet, eſt aſſenſus vnius partis cum formidine contrariæ. Stante igitur aſſenſu opinatiuo circa antecedens à cuius reſo-

Digitized by Google

lutione pendet, an peccatū ſit in opere, veluti petere legatum aut contractum celebrare, quando opinatiuè tantùm, id eſt cum formidine reſoluitur teſtamentum validum eſſe vel contractum non eſſe vſurarium (quæ ſunt antecedentia, quæ ſi certo & firmiter reſoluerentur affirmatiuè vel negatiuè, tota quæſtio ceſſaret & liquido conſtaret an eſſet, vel non eſſet peccatum petere, &c.) quamuis adhuc reſtet in contrariū formido (quæ in opinione includitur, & eſt de eius ſubſtantia, aliàs namque tranſiret in certitudinem) nihilominus rectè & iuſtè formatur, conſcientia certo dictans licere operationem illam gerere, ſcilicet, legatum petere vel contractum celebrare. Dummodo tamen illa operatio non geratur ab operante, tamquam à publico miniſtro, vel tamquam ex tacita conuentione cum eo, cuius principale vertitur intereſſe & in cuius fauorem illa operatio eſt ordinata. In quo caſu huic tutius & vtilius, & de hoc non conſtando probabilius (etiam ſi conſiderari

poſſit contrarium quoque probabile) faciendum & ſequendum eſt. Dummodo etiam, qui aliàs cum probabilitate vera, ſequitur minus tutũ, agat de onere vitando aut lucro captando, neque parui momenti hæc ſint, tunc enim ſpernenda non erit dicta formido, neque omittendum tutius, quando nullum ferè onus ſubit ille, qui tutiorem ſequitur. Idem obſeruandum eſſe credimus, quando leue onus ſubiret, in ſequenda tutiori, aut ex contrario grauiſſimum damnum proximo ſequeretur. Dummodo tandem (vt etiam veriùs credimus) diligentiam competentem ad vincendam formidinem operans præmittat. Sin autem formido tranſeat in ipſam conſcientiam (non remanendo, prout debet, circa reſolutionem antecedentis) & probabiliter tantùm licere reſoluatur, non certo, prout debet, non ſine peccato veniali operatio fiet: tunc enim formidat operans, vt fortè peccet & conſcientia aliquo modo admonet peccatum eſſe in opere. Aſſenſus opinatiuus, ſiue, quod idem eſt,

Digitized by Google

vera probabilitas perficitur apud intellectum ipſius operantis & non antea: Ibi autem pro vtraque parte contraria ſtare, omnino repugnat, & quando pro vtraque parte ſe repræſentant rationes, ſiue auctoritates æqualiter vel ferè auocantes aſſenſum, tunc verum dubium reſultat circa reſolutionem quæſtionis, de qua agitur, neque operari licet ſecundum minus tutam partem, niſi prout in dubio. Doctorum opiniones, quæ potius ſunt ſententiæ, non ſunt opinio vera, id eſt aſſenſus opinatiuus ipſius operantis, neque ex ſe habent probabilitatem illam, & multò minus illam veram & propriam, quæ in aſſenſu opinatiuo operantis conſiſtit, & ad operandum ſecundum minus tutam partem, iuxta ſupradicta requiritur. Vnde neque ad rem pertinent, niſi vt cauſæ, ſicut & aliæ multæ, vt operans deueniat in probabilitatem, ſicut & poterit in certitudinem, alicuius partis. Quando autem pro vtraque parte illas inuenimus, non in vtriuſque partis probabilitatem, ſed

in verum dubium inducimur, ſi ęquales ſint vel ferè, numero & auctoritate. Sin notabiliter altera oppoſitæ præferri videatur, in huius probabilitatem veram deuenire iure poterimus. Quæ circa non poſſunt pro omnibus terminis contingibilibus, regulæ certæ aſſignari, ex generalibus prudenter deducendum, quid pro quacumque occurrentia dicendum ſit. Sicut ex vera probabilitate circa antecedens rectè deducimus dictamen licere, quando antecedens reſoluitur probabiliter eo modo, quo peccatum non eſſe in opere colligitur. Sic per contrarium, quando contrario modo reſoluitur, velut teſtamentum eſſe inualidum. Contractũ eſſe vſurarium, debemus formare conſcientiam non licere petere legatum vel contractum celebrare, non obſtante, quod illa antecedentia non certo, ſed cum formidine reſoluuntur, & fortè verum eſſe poterit, quod validum ſit teſtamentum vel contractus non vſurarius. Sicut enim illa formido non obſtat, vt operemur, quando pro validitate te-

ſtamenti eſt probabilitas: ſic per contrarium illa non iuuat, vt poſſimus ſecundum minus tutam partem operari, quando probabilitas in contrarium eſt pro inualiditate teſtamenti, &c. quæ omnia & alia plura, & notabilia ſupra hoc capite & præcedenti dicta, probata & explicata remanent.

CAPVT III.

De Conſcientia dubia.

Traditur ſingulariter quid ſit Conſcientia dubia, & quando cum illa operari liceat vel non, refelluntur plura communiter in re hac tradita, & non pauca noua & vtilia inferuntur.

1. QVæſtioni & materiæ de conſcientia probabili, de qua præcedenti cap. latè diximus, proxima eſt quæſtio, & materia de conſcientia dubia (ita loquimur cum communi, quamuis ſupra cap. 1. num. 21. ſtrictè loquendo dixerimus

huiuſmodi qualitatem conſcientiæ non competere) ſicut circa illam plura immeritò dicta & tradita præcedenti cap. oſtendimus. Sic ſimiliter circa iſtam oſtendere curabimus.

2. *Quæſtio igitur* in præſenti principalis illa eſt, an liceat cum conſcientia dubia operari ſecundum minus tutam partem? De quo latè agunt vltra antiquiores Vaſq. 2. 2. quæſt. 19. diſput. 65. per tot. Azor. moral. lib. 2. cap. 19. Sayr. in Claui reg. dicto lib. 1. cap. 13. per tot. Sanch. d. lib. 1. in Decalog. cap. 10. per tot. Bonac. d. 2. tomo diſput. 2. puncto 7. per tot. Filiuc. 2. tomo tract. 21. cap. 4. à num. 153. Caſtro Palao d. tract. 1. diſput. 3. per tot. Arriaga 1. 2. diſput. 25. per tot. Quos omnes & alios attentiſſimè legi, ac perlegi, non tamen frequenter referam illos, qui nihil aliud egiſſe videntur, niſi non diſputando, neque aliquid noui adducentes, priorum dicta tranſcribere.

3. *Cùm autem* nihil aliud vtilius aut magis neceſſarium reputemus,

quam clarè, & diſtinctè ſtatuere terminos, in quibus quæſtio procedit, aliàs enim totum inutiliter, & confusè agitur. Cùm etiam exiſtimemus non rectè à grauioribus Auctoribus terminos huius quæſtionis aſſignari, & ſupponi, de hac re ante aliud tractabimus. Et quidem in ea doctiſſimus Thom. Sanch. d. cap. 10. conſiderat & docet quæſtionem habere locum, quando aliquis dubitat ſpeculatiuè, ideſt in communi, an aliquid liceat, tunc enim quæritur, an & ex quali cauſa poſſit practicè variare iudicium illud ſpeculatiuum deponendo & practicum illi contrarium aſſumendo, ſcilicet licere ſine dubio. Statuendo præterea vt certum, operantem cum conſcientia practicè dubia peccare. Et ſimiliter dicendo de operante cum ea ſpeculatiuè dubia, illa practicè non depoſita, latè proſequendo cauſas variandi iudicium practicum ab ſpeculatiuo. Quæ omnia apertè docet d. cap. 10. num. 2. 6. & 7. & per diſcurſum totius cap. ſupponit. Idem poſt eum intel-

Digitized by Google

lexit, & docuit. Caſtro Palao d. tract. 1. diſput. 3. puncto 1. num. 3. 4. & 5. & ſemper ſupponit, & ante eos idem ex profeſſo docuerat Sayro d. cap. 13. num. 1. 2. 3. & 5. & aliis paſſim, idem dicendo vel ſupponendo. Ipſi plures alios citant. Sanch. d. cap. 10. num. 9. adducit exemplum de dubitante, *ſpeculatiuè*, vt ille ait, an res ſit ſua, qui poteſt illam retinere, deponendo practicè illud dubium ſpeculatiuum, ex illa iuſta cauſa, quia ſcilicet eſt poſſeſſor, idem exemplum adducit ſimiliter applicando Sayro d. cap. 13. num. 1. qui plura alia adducit, veluti de dubitante in communi, ideſt *ſpeculatiuè*, an liceat in die feſto iter agere, vel conſilium dare, vel practicè, ideſt an liceat ſibi in hoc die feſto illa agere, dubitans in particulari an ſit peccatum. Et num. 3. vbi docet generaliter peccatum eſſe mortale facere id, de quo aliquis in particulari dubitat, an ſit peccatum mortale. Infinitum eſſet recenſere omnia loca vbi prædicti, & alij Auctores docent & ſupponunt operari

cum conſcientia, vt inquiunt, practicè dubia peccatum eſſe, & hoc ad doctrinam & quæſtionem præſentem pertinere. Item vbi ſupponunt, & docent dubium ſpeculatiuum eſſe dubium in communi etiam, an ſit peccatum tale agere; Practicum verò dubium, eſſe dubium in particulari, an ſit vel non ſit peccatum. Tandem vbi docent & ſupponunt quæſtionem præſentem eſſe de iuſta cauſa variandi iudicium practicum (ideſt hic, & nunc licere reſoluendo) à iudicio ſpeculatio dubitante in communi an liceat, ideſt an ſit vel non ſit peccatum.

4. *Verùm ſigillatim*, & diſtinctè omnia ſupra relata examinare oportet. Et quidem primùm, ſcilicet peccatum mortale eſſe operari cum conſcientia practicè dubia, expeditum non eſt, nam, vt notanter admonuimus & probauimus ſupra cap. 1. num. 26. & 27. & ibi citatis, ſi ipſa conſcientia dubitat circa peccatum, ſiue potius non liquidè, ſed quaſi pro parte admonet de peccato, iam nullò

modo poteſt haberi iudicium aliud certius dictans eſſe vel non eſſe peccatum ſic operari, nam ſi daretur, hoc & non iam illud dubitans, ſiue agnoſcens dubium, eſſet conſcientia & iudicium circa peccatum, quo circa duo eſſe non poſſunt, & per ſecundum prius euaneſceret, nec iam eſſet in conſideratione, immo ſtante ſecundo, ſiue poſteriori certo, prius dubium etiam circa peccatum ſtare non poſſet. Ex quibus & aliis conſiderationibus dictis num. factis, certiſſimum exiſtimamus, nullam doctrinam poſſe dari vel cognoſci, ſuper illis terminis, ſcilicet, quando *practicè*, vt inquiunt, dubitatur vtrum ſit peccatum, quod eſt habere iam circa peccatum, poſtremum iudicium, ſiue potius irreſolutionem circa liquidam cognitionem peccati, ideſt conſcientiam formatam illo modo dictantem eſſe peccatum non plenè. At poſt vltimum iudicium, ſiue conſcientiam, implicat habere aliud iudicium, vt dicebamus, & ſi habetur prius euaneſcit, neque iam eſt in conſideratione.

Digitized by Google

conſideratione. ¶ Quòd autem dicitur peccatum eſſe operari cum dicto iudicio, ſiue dubio vel, vt inquiunt, conſcientia dubia circa peccatum, ſanè certum eſt intellectum de peccato ſic in communi, aſſerere autem peccatum eſſe mortale, nemo iure poteſt, cùm hoc pendeat à modo admonitionis conſcientiæ cuiuſuis dubitantis in particulari. Cùm autem ſupponatur, illam non admonere plenè & deliberatè de peccato, nullaque alia cauſa poſſit concludere illud, quatenus formale eſt, in actione dari vel non dari, nulla per conſequens aliunde doctrina vel reſolutio certior, de peccato tradi vel recipi poteſt, vt conſideranti patet. Et quidem ipſe Sayro, qui hic num. 13. dixit, peccatum eſſe mortale facere illud de quo in particulari dubitat an ſit peccatum mortale, paulo infra in fine numeri ait benè: *Actus ille malus erit mortaliter, vel venialiter pro ratione dubietatis, quam habet.* Niſi fortè ſenſus ſit, pro ratione dubietatis, ideſt ſi dubitat, an ſit mortale, mortale erit,

ſi an veniale, erit veniale, at hoc negamus, ſi iſte eſt ſenſus, mortale enim eſſe, vt ſupponimus, non admonet conſcientia, ſed de hoc dubitat: vnde ergo habet admonitionem eſſe mortale: veniale autem eſſe agnoſcit, qui dubitat an ſit mortale, nam conſcientia aliquid peccati, vt ita dicam, ibi eſſe agnoſcit, vnde ſaltem veniale datur. Vide dicta ſupra cap. 1. num. 31. & 34. & ibi citatis. ¶ Neque contrarium probat illud axioma: Malum ex quocumque deffectu, &c. Nam reſpondetur procedere quando liquidè, & plenè cognoſcitur deffectus, non quando de illo dubitatur. Item reſpondetur procedere & ſignificare, vt ſcilicet rectè faciat, qui ita iudicauerit malum, non autem peccare, qui non in effectu peccatum liquidè iudicauerit. Tandem reſpondetur illum qui iudicat veniale eſſe, malum iudicare.

5. *Ex dictis proximè* conuincitur nullo modo conſiderandum eſſe dubium vel circa practicum vel circa ſpeculatiuum eſſe, an liceat, ſiuè

peccatum ſit in aliqua actione, tali enim dubio conſiderato, iam nulla alia quæſtio excitari poteſt, vel reſolutio haberi circa peccatum, cùm circa id ipſum dubitetur. Vt ergo omnino conſiderandum dubium circa aliquod antecedens, in iure vel facto conſiſtens, & quæſtio præſens eſſe, vtrum ſtante & permanente dubio circa illud antecedens, rectè formetur conſcientia dictans licere minus tutum eligere, vel per contrarium formanda ſit non licere. Quæſtio enim præſens eſt de conſcientia rectè formanda, non de conſcientia formata, quod in ſimili fusè probaui ſupra cap. 1. num. 29. 40. 45. & cap. 2. num. 8. 82. & aliis paſſim. Quæ omnia ibi dicta hic ſimiliter locum habent. Et de conſcientia dubia agendo ſentit Suarez 1. 2. tract. 3. diſput. 12. ſect. 5. num. 5.

6. *Illud autem* quod prædicti grauiſſimi Auctores docent, & ſupponunt, ſpeculatiuum ſignificare iudicium in communi: Practicum, in particulari, id eſt hic & nunc, im-

pugnaui, latè ſupra dicto cap. 1. num. 37. & 39. tam in proprietate terminorum, quàm in ſubſtantia rei, oſtendendo ſimul, nullo modo fieri poſſe, non mutatis terminis, aut non diſſimili iam facta quæſtione, quod iudicium practicum variare poſſit ab ſpeculatiuo, & in omnibus exemplis adductis circa practicum mutari terminos, & fieri diuerſam quæſtionem ab ſpeculatiua. Non ergo quæſtio eſſe poteſt, quænam ſit iuſta cauſa variandi iudicium practicum ab ſpeculatiuo, ita vt non obſtante, quod ſpeculatiuum ſit dubium, poſſit practicum haberi certum, dictans licere. Sed quæſtio eſt vtrum ſtante dubio, & irreſolutione circa antecedens, in iure vel in facto conſiſtenti à quo pendet, ſi certo & firmiter reſolutum eſſet, an ſit vel non peccatum in hac operatione, veluti an contractus ſit vſurarius, an res ſit poſſidentis, an teſtamentum validum ſit, debeat formari conſcientia non licere contractum celebrare, rem retinere, legatum petere, quæ ſunt par-

Digitized by Google

tes tutiores, an per contrarium, ſcilicet dicta licere, formari poſſit? Quæ quidem, antecedentia, vt dicebamus, ſi certò & firmiter reſoluta eſſent, planum & apertum eſſet, an peccatum daretur vel non in prædictis operationibus; Quando autẽ probabiliter tantùm, ideſt cum formidine reſoluuntur vel nullo modo reſoluuntur, quod vltimum contingit, quando circa illa in dubio ſumus, intrat dicta quæſtio de formanda rectè conſcientia; De caſu ergo quo antecedens probabiliter reſoluitur, diximus latè cap. præcedenti: De caſu autem, quo non reſoluitur antecedens, hic agimus. ¶ Potuit ergo cum minori impropríetate dici ſpeculatiuum, id, quos nos appellamus antecedens: Practicum verò, quod nos appellamus conſcientiam, quo modo licet termini illi non eſſent ſatis ſignificatiui prædicti ſenſus, tamen adhuc minus impropietatis continerent in dicto ſenſu, ſpeculatiuum appellando illud iudicium antecedens, quod non pertinet ad peccatum, licet hoc

ab illo pendere contingat. Practicum verò, quod ad peccatum, & operationis bonitatem pertinet.

7. *Quæ dicta ſunt*, videlicet dubium conſiderandum eſſe circa antecedens modo à nobis proximè declarato, non autem circa quæſtionem in communi, an liceat modo ſupra à Sayro, Sancio, & aliis ſuppoſito & declarato, conſtat apertè ex infinitis propemodum exemplis ab ipſis Auctoribus adductis, & ex terminorum ſuppoſitione circa quæſtiones, quas excitant & reſoluunt, ita vt mirum ſit doctiſſimos viros non aduertere illa cohærentia non eſſe doctrinæ, & terminorum ſuppoſitioni ab ipſis præmiſſæ, ſed pertinere manifeſtè ad terminos paulò ſupra à nobis aſſignatos. Sanch. enim num. 9. adducit exemplum de dubitante an res ſua ſit, at quia poſſeſſor eſt non dubitante poſſe retinere. Item quæſtiones de dubitante an emiſerit votum; An homicida fuerit; An excommunicationem contraxerit; An confeſſio fuerit irrita & ſimiles. Sayro autem caſ-

dem excitat & plures alias ſimiles, v. g. de legitimitate alicuius: De dubitante an prior coniux viuat: De iuſtitia belli, quando princeps iubet militare. Caſtro Palao dicta diſput. 3. per tot. Eaſdem, & alias ſimiles excitat, & reſoluit quæſtiones; videlicet: De dubitante an expleuerit 21. annum: De dubitante an comederit poſt 12. noctis horam, & infinitas propemodum ſimiles. Dicant autem, precor, qualiter dubia illa poſſint dici ſpeculatiua, ideſt in communi? Num qui dubitat an res hæc ſua ſit, dubitat in communi? Quid magis in particulari? Num iudicium illud, quod dictat retinere poſſe, quia eſt poſſeſſor, & practicum vocant, eſt particulare magis quàm illud prius? Deinde, num hoc eſt quaſi ſpecies illius generis? Aut tandem illud prius & quæſtio, an res ſua ſit, habet aliquid commune cum quæſtione an liceat in communi; ſanè licet aliquo, improprio tamen modo, poſſit dici ſpeculatiuum, id eſt in communi dubium illud, an hodie ſit ieiunandum,

Digitized by Google

vel an contractus in communi ſit vſurarius & practicum, an ego hodie data tali cauſa tenear ieiunare. Vel liceat mihi contractum illum celebrare, tamen nullo modo poteſt dubium ſpeculatiuum eſſe aut dici illud, an ego fuerim homicida Petri occiſi: An mea confeſſio fuerit irrita; An Ioannes ſit legitimus: An expleuerim 21. annum, &c. Neque practicum illius ſpeculatiui, dubium, an liceat celebrare vel miniſtrare: An tenear iterum confiteri: An peccem non reſtituendo Ioanni hæreditatem: An liceat non ieiunare, &c. Adde dicta cap. 1. num. 37. Quæ omnia & plura ſimilia, nullo prorſus modo poſſunt applicari ad diuiſionem ſpeculatiui & practici, cùm aliud non ſit in generali aut communi, aliud in particulari reſpectu illius in communi. Et tamen Doctores prædicti & alij, ſtabilita prædicta diuiſione & doctrina, illos & plures alios caſus definiunt, tamquam ad illas pertinentes. Solus ergo ex iis, quos videre potui Arriaga (poſt Suar. l. 2. tract. 3. diſput. 12.

ſect. 5. num. 5. id paucis ſentientem) noſtrum ferè ſentiendi modum agnouit dicens dicta diſput. 25. in principio, quæſtionem non eſſe, quando quis, omnibus penſatis, dubitat, an actio ſua, ſit peccatum necne. Sed eſſe, an quando dubitatur, vtrum obiectum ſit prohibitum, poſſit homo tunc formare iudicium rectum, quo dicat: Non teneor, &c. Dixi, ferè agnouiſſe, quia non omnino agnouit ſenſum noſtrum adeo explicatum, neque conſiderauit non ſemper dubium eſſe, an obiectum ſit prohibitum, neque explicauit quomodo differat obiectum eſſe prohibitum & eſſe peccatum: Nam ſi idem ſunt, implicat ab eodem dictis, ſiquidem aſſerit quæſtionem non eſſe, quando dubitatur an ſit peccatum. ¶ Aduertendum igitur eſt, quod dubium aliquando eſt circa id, an ſcilicet tenear ieiunare, reſtituere, an contractus ſit vſurarius, &c. & quamuis videatur idem eſſe illa quærere, ac quærere & dubitare, an ſit peccatum non ieiunare, non reſtituere, contractum illum celebrare,

tamen non eſt ita, & ſunt adhuc diuerſæ quæſtiones, quod probaui & explicaui cap. præcedenti num. 178. Aliquando autem dubium eſt circa antecedens maximè diuerſum & remotum, veluti an teſtamentum validum ſit, an detur conſanguinitas inter coniuges, an Petrus legitimus ſit, circa quæ, quādo dubitatur apertiùs, eſt nihil adhuc dubitari circa peccatum, neque circa id an obiectum ſit prohibitum: tunc ergo quæſtio procedit, quando non adhuc dubium formatum eſt circa peccatum, ſed circa antecedentia, à quibus certo & firmiter reſolutis, pendet an ſit peccatum, nam, vt ſæpius diximus, ſi formetur dubium an ſit peccatum, iam eſt conſcientia formata, neque remanet locus alicui quæſtioni, ſiue doctrinæ. Quod etiam patet, nam quæſtio reſoluenda eſt, an ſit dubitandum, an vero certo iudicandum, peccatum eſſe vel non eſſe in opere. Ergo non poteſt circa hoc ipſum ſupponi dubium formatum, aduertendo, quod licet ſit quæſtio, an ſit peccatum, non

tamen per id eſt dubium formatum an ſit peccatum, hoc enim dubium de quo eſt quæſtio, non eſt dubium formatum, ſed tandiu durat, quandiu ſcilicet non reſoluitur quæſtio. Dubium ergo eſt circa antecedens & quod ſe habet, tamquam termini ſuper quibus verſatur quæſtio & durat, etiam illa deciſa. Addes dicenda num. 21. verſ. Quoties, & num. 31. verſ. Item ſemper. ¶ Semper ergo fugiendi ſunt termini vel ſuppoſitiones, ex quibus colligi poſſit quæſtionem præſentem eſſe, ſtante dubio iam formato circa peccatum. Quod ad declarationem dictorum per Arriaga, quæ aliàs probaui, aduertere neceſſarium duxi. Ipſe autem benè per diſcurſum ſe abſtinuit à conſiderando dubio ſpeculatiuo aut practico, & cauſa variandi iudicium hoc in particulari, ab illo, vt dicunt, in communi, quod quidem ex multis ſupra notatis plures patitur implicationes, nec percipio qualiter applicari poſſit, aut locum habere in re, de qua agimus.

8. *Secundo præmittendum* eſt, du-

bium tunc contingere, *quando intellectus pendet in æquilibrio in neutram contradictionis partem potius inclinans*, quo modo cum aliis definit Sanch. de matrim. lib. 2. diſput. 41. num. 2. & quamuis alij aliter definire videantur, tamen apud omnes conſtat dubium eſſe, quando intellectus neutri parti aſſentitur. Notando etiã quod licet aliquantulum in alteram inclinet, non tamen per id à dubio exit, vt benè aduertunt idem Sanch. in Decalog. dicto lib. 1. cap. 10. num. 4. Filliuc. dicto tract. 21. cap. 4. num. 174. Bonacin. dicto 2. tom. diſput. 2. quæſt. 4. puncto 7. num. 1. Notando quoque, nobis quidem certiſſimum eſſe æquè dubium dari & ſecundum dubij regulas regulandos & decidendos caſus, in quibus pro vtraque parte probabilitatem Doctores communiter conſiderant, vel quia pro vtraque parte contraria auctoritates inueniuntur, vel quia pro vtraque rationes & fundamenta æqualia, vel ferè conſiderantur, quod latè probaui cap. præcedenti præcipuè §. 3. & 4.

oſtendendo, tũc non probabilitatem, ſed verum dubium contingere. Quæ omnia huc propriè pertinent. Aduertendo etiam, quod verum dubium in quo procedit quæſtio præſens & regula dictans, in dubiis tutius eligendum, tunc eſt, quando pro vtraque contradictionis parte rationes dantur, etiam aliàs ſufficientes ad generandum aſſenſum pro iſta, niſi ſtarent ſimiles pro cõtraria, & ſic eſſe è conuerſo: Non autem quando nulla ratio datur & reſultat dubium, quod negatiuum dicunt, veluti quot ſint arenæ maris, vel an ſtellæ ſint pares. Quod nos propriùs neſcientiam dicendum putamus, quæ proximè notauimus fusè & apertè probauimus cap. 2. num. 95. & omnino pro re præſenti ad quam propriè pertinent, videnda & notanda ſunt. Addendo, quod quandò circa factum dicitur vtraque pars probabilis verè dubium eſſe reſoluit merito Garc. de benef. 7. part. cap. 2. num. 24. quamuis immeritò aliud concedat in probabilitate vtriuſque partis circa ius.

Digitized by Google

9. *Tertio præmittendum* eſt dubium conſiderandum reſpectu operantis & eius exiſtimationis in particulari, ſine vllo reſpectu ad id, quod non debuiſſet dubitare vel quod alter non dubitet, ſed certum vel probabile illud credat, quod loquentes de opinione, ſiue probabilitate latè diximus & probauimus cap. 2. num. 4. Quæ omnia ex identitate rationis hic ſimiliter locum habent, ibi videantur, ne nos dicta transſcribere videamur.

10. *Quarto præmittendum* eſt, dubium aliquando eſſe directè & principaliter circa ius, videlicet, an ſit lata lex, quæ hodie ad ieiunandum me obliget vel concludat contractum eſſe vſurarium, vel pro huiuſmodi facto imponat irregularitatē vel dato, quod lex ſit lata & de ea conſtet, an comprehēdat huiuſmodi caſum cum tali circunſtantia, conſideratis auctoritatibus, ſiue rationibus pro parte affirmatiua & negatiua. Aliquando autem dubium directè & principaliter eſſe circa factum, veluti, an prior coniux viuat, an Titius occiſus, fue-

rit à me vulneratus, vel ex illato à me vulnere mortuus. Cùm tamen nullo modo dubitem de iure, ſed illud mihi certum ſit, nempe viuente priori coniuge, non licere matrimoniũ contrahere : ſi homicidium commiſi, non licere ad ordines promoueri, vel in ſuſceptis miniſtrare, quo ferè modo explicant Vaſq. 1. 2. quæſt. 19. diſp. 65. cap. 3. num. 13. Arriaga 1. 2. diſput. 25. in principio. Quod autem quæſtio & doctrina præſens procedat tam, quando dubium eſt iuris, quàm, quãdo eſt facti, apertè docent Sanch. dicto lib. 1. cap. 10. num. 2. Caſtro Palao dicta diſp. 3. puncto 1. num. 2. Arriaga vbi proximè, & alij.

11. *Verum hic* aliqua notabo; quæ à Doctoribus prætermiſſa videntur, cùm tamen maximè conducant ad rectam huius rei cognitionem. Primum eſt, quod in iure non inuenitur text. qui decidat quid agendum in dubio circa ius, nam cùm illud ſemper certum ſit, neque aliquid indeciſum relinquat, vt agnoſcit Menoch. de præſumpt. quæſt. 11. num. 14. non

debuit aſſignare regulas pro dubiis iuris, ſiue potius pro caſu noſtræ ignorantiæ, vnde videmus omnia iura decidentia in dubio tutius eligendum, de dubio facti, nullum verò inuenimus de dubio iuris loqui. Hinc eſt, quod non immeritò dubitari poſſet, an regula: in dubiis, &c. poſſet pertinere ad caſum, qui cenſura iuris dari nequit, ac per conſequens legiſlator non potuit ad illum voluntatem & diſpoſitionem ſuam extendere. At non dubito regulam prædictam in dubio iuris etiam procedere, non vi, aut virtute diſpoſitionis ipſius iuris poſitiui, ſed quatenus dicta regula ex naturali ratione procedit, vnde (præcipuè in re ad animæ ſalutem pertinente, in qua adeo ratio, quàm lex attenditur) non minus in dubio iuris, quàm facti procedere dicendum eſt.

¶ Secundum eſt, dubium circa factum, aliud in effectu reddere ius dubium, quamuis aliàs certum ſit, quia eius applicatio redditur dubia, vt in exemplis num. præcedenti adductis, cùm enim ius oriatur ex facto, vt ait

Iuriſconſultus in l. ex plagis. §. Incliuo. ff. ad legem Aquil. tãquam ex cauſa & radice, vt ait Sanch. dicto cap. 10. num. 42. & ſentit Layman. Theolog. moral. lib. 1. tract. 1. cap. 5. num. 2. verſ. Denique; ſi dubitandi ratio datur circa factum à quo ius pendet, nõ poteſt ius applicari, quamuis aliàs eſſet certum, ſi de facto in quo fundatur vel circa quod diſponit non dubitaretur, ſentit Caſtro Palao dicto tomo 1. tract. 4. diſput. 1. puncto 12. num. 14. Filliuc. dicto tract. 21. cap. 4. num. 154. Aliud verò dubium circa factum, non reddere ius dubium, ſiue eius applicationem, quia ius, neque in illo facto fundatur, neque circa illud, aliquid diſponit, quod contingit, quando factum de quo dubitatur, non concernit obligationem, neque ad illam inducendam, immo ad diſſoluendam, merum factum conſideratur: veluti certus ſum me iure obligatum ad mutuum ſoluendum, at dubito an ſoluerim: vel certus ſum vouiſſe, dubito autem an ſatisfecerim, in quibus tantùm ter-

minis Arriaga dicit & exemplificat dubium facti, in quo tutius ſequendum concedit dicta diſp. 25. à num. 11. ſentiens per contrarium, vt non obſcurè exprimit num. 15. cætera omnia dubia, etiam circa factum dici dubia iuris, & vt talia regulanda, dummodo pertineant ad incurrendam obligationem modo ſupra declarato, dicens dubium de homicidio eſſe dubium iuris, *Quia*, inquit, *homicidium ipſum eſt id, quo quaſi completur debitum ad incurrendam irregularitatem, nam ius generale, vt omnis occidens incurrat, non obligat, niſi adiuncta illa minori: Hic occidit; ergo hic incurrit. Merito dici debet illud dubium iuris, quia ante illud, reſpectu mei non erat ius abſolutum*, &c. Melius fortè intentum probaſſet per ea, quæ ſupra hoc numero notauimus. Quæ maximè ſunt aduertenda ab illis, qui totam doctrinam præſentem fundant ſuper diſtinctione inter dubium facti & dubium iuris. Ad nos autem, qui aliud diuerſum exiſtimamus, parum hæc pertinent. ¶ Ter-

Digitized by Google

tium eſt aliquando dubium eſſe ſimul circa ius & factum, veluti an percuſſerim, & an ex tali percuſſione, dato quod de illa certus eſſem, incurriſſem de iure irregularitatem: Vel an de iure talis cauſa impediat matrimonium, & ſimul an talis cauſa interuenerit de facto. ¶ Aliquando tandem eſſe circa duo facta vel plura, quæ omnia concurrere debent, vt opus malum ſit vel bonum: veluti, quando ſimul dubito, an potum ſumpſerim præcedenti nocte, & dato quod ſumpſerim, iam eſſet poſt mediam noctem, quod vtrumque requiritur, vt prohibear communicare, & ſi alterum deficiat; iam prohibitio ceſſat. Similiter per contrarium, aliquando vt opus ſit præmiſſum duo vel plura verificari conuenit, v. g. ad furandum, vt neceſſitas ſit extrema, & quod ille à quo res furto aufertur, non ſit in eadem neceſſitate: vel ad legatum petendum, quod res ſit teſtatoris, vel ſciuiſſet eſſe alienam. Et quod ſanæ mentis eſſet tempore, quo legauit &

tandem, quod non reuocauerit. Quorum aliquod ſi deficiat, legatum petere non licet. Si ergo circa plura dubito, quæ ſimul concurrere debent, vt opus ſit prohibitum, videtur longius eſſe periculum, & non verum dubium iam dari, ſiue de iure, & facto, ſiue de duobus vel pluribus in facto conſiſtentibus dubitetur: Nam quis non videt, non debere me priuare libertate fauendi opus, quod, vt prohibitum ſit, neceſſe eſt, vt duo mihi prorſus incerta vereficentur & ſupponantur eo modo ſe habere, qui neceſſarius eſt, vt prohibitio reſultet, quamuis enim, vt ſupponimus, termini ſint, vt, ſi de vno tantùm dubitaretur, non liceret agere, tamen, quando de duobus vel pluribus dubitatur, non videtur illud æquè dubium, ac quando de vno tantùm dubitatur: difficilius enim plura, quàm vnum contingere poſſunt. Hinc eſt, quod ius non admittit duo ſpecialia præſumi vel vnam præſumptionem in alia fundari vel duos ſimul pro alicuius caſus deciſione, vt notatur per

Digitized by Google

text. in l. 1. Cod. de dotis promiſſ. & docet Menoch. de præſumpt. lib. 1. quæſt. 43. & lib. 3. præſumpt. 132. num. 81. Sic enim incertitudo notabiliter augeretur. Quæ dicta ſunt ſimiliter procedunt in caſu contrario, ſcilicet, quando, vt opus ſit permiſſum, requiritur, vt duo vel plura, de quibus dubitatur, verificentur. Vnde meritò dubitari & quæri poteſt, an iſti caſus, & termini ſint extra terminos dubij & doctrinæ pro dubio aſſignatæ. Et quidem ego in affirmatiuam partem notabiliter inclino, ex rationibus hîc factis.

12. *Quinto præmittendum eſt*, non eſſe impoſſibile, aut repugnans, quod circa antecedens à quo pendet peccatum dubij ſimus, & tamen certi reddamur circa peccatum formale, eſſe videlicet vel non eſſe in operatione. Quæ quidem difficultas grauiſſima eſt, niſi attentiſſimè obſeruentur, quæ hic exponemus. Non enim ceſſat per ea, quæ reſpondit Sanch. de matrim. lib. 2. diſput. 41. num. 53. Aduertendum enim eſt, quod non ſolùm

impoſſibile eſt, quod ex antecedenti vno modo reſoluto, deducatur conſequens contrario vel diuerſo modo aſſertum, ſed etiam impoſſibile eſt, quod ex antecedenti irreſoluto, ideſt dubio, deducatur conſequens reſolutum vel certum. Nam quod benè notat Layman. Theolog. moral. lib. 1. tract. 1. cap. 5. num. 8. verſ. quæres. Quamuis Doctores ſupponant id contingere, quando aliquis in communi dubitat an hodie ſit ieiunandum, vel prohibitum ſeruilia opera exercere; At non dubitat ſibi infirmo vel pauperi licere non ieiunare vel ſeruilia exercere, tamen nullo prorſus modo exempla illa intentum probant, nam conſequens hoc non eſt, aut illud, huius conſequentis antecedens: nam, an ego infirmus excuſer à ieiunio non pendet ab illo, an hodie ſit ieiunandum, ſed ab illo, an infirmus teneatur ieiunare, quod fusè probaui cap. 1. num. 37. & 39. ſimul oſtendendo prorſus fieri diuerſam quæſtionem per adiectionem cauſæ, ſiue circonſtantiæ interuenien-

tis. Ait ergo Sanch. dicto num. 53. (reſpondendo ad dictam difficultatem, quam excitauerat num. 43. eadem diſput.) *Poteſt enim antecedens eſſe dubium, & conſequens certum: vt ſi videam à longè hominem dubitans, an homo ſit, bene infertur, video hominem, ergo ens, cum tamen antecedens dubium ſit, & conſequens certum.* Sanè, ſi ego non hallucinor, adeò diſſonans eſt dictum, vt non credendum ſit grauiſſimum, & doctiſſimum virum illud ſcripſiſſe, ſed impreſſionis errori tribuendum: nam vltra generalem rationem, quam proximè adduxi ad probandum non dari caſum vel exemplum, in quo conſequens à vero antecedenti diſcrepare poſſit: prædictæ reſponſionis ineptitudo, & improprietas ex eo patet, nam in exemplo adducto, conſequens, an ſit ens, non pendet ab antecedenti dubio, an ſit homo, ens enim eſt, licet homo non ſit. Deinde perperam formatum eſt dictum illud, ſcilicet: *Video hominem, ergo ens.* Nam vt cohærenter loqueretur, non debuit di-

Digitized by Google

cere, *Video hominem:* Hoc enim eſt, de quo dubitatur, & ſic non debet aſſeri vt certum. Vt ergo aliquid probare debuit dicere ſic: Dubito an ſit homo; ergo eſt Petrus vel dubito, quodnam animal ſit illud, quod mouetur, ergo eſt homo vel ſaltem, quamuis non ſequatur, ergo eſt homo, tamen ſic dubitando in communi quale animal ſit, poſſum eſſe certus, eſſe hominem vel leonem: hæc autem ſiquidem conuincerent intentum ſi probarentur, nullo tamen modo probare poſſet. ¶ Lorca autem 1. 2. de actibus humanis diſput. 38. memb. 1. verſ. Hanc ſententiam, poſt impugnatam diſtinctionem & doctrinam, de dubio practico & ſpeculatiuo, concludit, ideo poſſe ab antecedenti dubio elici conſequens certum, quia ex appoſita circunſtantia fit certum, quod ex natura actus dubium erat. Verùm licet rectè dicat, tamen non benè omnino ſupponit, tunc antecedens eſſe vel conſequens, neque docet, quid dicendum quando nulla ſpecialis ratio interuenerit, vel an

an aliqua generalis detur, propter quam ille, qui in dubio eſt circa antecedens, debeat formare conſcientiam peccare agendo vel per contrarium. Alio modo breui, & ſub obſcuro difficultati reſpondet Suar. 1. 2. tract. 3. diſput. 12. ſect. 3. numero 7.

13. *Vnde dicendum eſt*, vt iam diximus cap. 1. num. 40. & 41. aduertendum eſſe ſtante dubio circa antecedens, à quo aliàs pendet, an peccatum verè ſit in opere, iam non poſſe dici antecedens, neque quæri, an illi conformari debeat reſolutio circa conſequens, nam quamuis caſu, quo reſoluitur verum antecedens, neceſſariò conſequens, ſi etiam verè tale eſt, illi conformari debeat, aliàs enim deſineret conſequens eſſe, tamen quando nihil reſoluitur circa antecedens, ſed irreſolutum & indeciſum manet, etiam ſi vellet, non poſſet illi confirmari reſolutio aliqua circa conſequens, quia, cùm iudicium ſpeculatiuum, vt dicunt, nihil iudicet (qui enim dubitat nihil iudicat, vt ait

Suar. de fide. diſput. 19. ſect. 4. n. 1.) neque iudicium dici poteſt, neque ab antecedenti irreſoluto & indeciſo aliquid deduci. ¶ Quæſtio ergo alia & maximè diuerſa eſt, an ſcilicet, quando non poteſt reſolui antecedẽs, à quo ſi reſolueretur, habenda eſſet reſolutio conſequentis, veluti non poteſt reſolui, an impedimentum matrimonij detur, vel an teſtamentum fuiſſet validum (quia ſcilicet operans circa hæc dubius eſt) poſſit haberi reſolutio circa conſequens, id eſt an ſit vel non peccatum, matrimonium contrahere vel legatum petere? Videtur enim haberi nõ poſſe, cùm pendeat ab antecedenti irreſoluto, & ſic remanere etiam debere indeciſam quæſtionem circa peccatum, quæ aliàs conſequens eſſet illius antecedentis, ſi reſolueretur? ¶ Et quidem difficultas indiſſolubilis eſt, ſi ſupponatur (vt Doctores communiter ſupponunt) quæſtionem antecedentem eſſe, an ſit peccatum, v. g. exercere die feſto talia opera ſeruilia, nam hac quæſtione antedenti, ſiue ſpeculatiua,

Digitized by Google

vt dicunt, indeciſa, impoſſibile eſt, quod dicidatur quæſtio conſequens, ſiue practica. An ego peccem, hodie exercendo ſeruilia, vt per ſe patet. Sin autem addatur: *Quia egeſtate premor*, in quæſtione conſequenti, tunc iam fit alia quæſtio prorſus diuerſa, cuius antecedens eſt illud: An ſcilicet, qui tali egeſtate premitur, peccet exercendo ſeruilia die feſto. Supponatur ergo, quod dubium datur circa huiuſmodi quæſtionem antecedentem & indeciſam remanere, & eodem modo apparebit non poſſe reſolui illam, ſcilicet, an ego peccem exercendo ſeruilia. Immo etiam ſi quæſtio ſpeculatiua, vt aiunt, non ſit circa peccatum, ſed (vt ſecundum noſtram ſuppoſitionem eſſe debet) circa aliud diuerſum, v. g. an detur impedimentum, tamen illa indeciſa, non poteſt decidi matrimonium eſſe validum aut inualidum. ¶ Dicendum ergo eſt, & maximè aduertendum, in terminis de quibus agimus, non poſſe quidem haberi reſolutionem circa ipſam rei naturam, veluti, an verè & à parte rei

ſit prohibitum, ſiue permiſſum petere legatum, quando dubitatur de validitate teſtamenti vel celebrare contractum, quando dubitatur, an ſit vſurarius: Poſſe tamen haberi reſolutionem circa peccatum formale: nam ſuppoſito quod non poſſum habere reſolutionem circa realem bonitatem, ſiue malitiam rei, facio tranſitum ad aliam quæſtionem, ſcilicet, an quando prædictam reſolutionem habere non poſſum, & mihi præcluditur illa via, ſit in effectu vel non peccatum operari ſecundum minus tutam partem, id eſt petendo legatum vel celebrando cõtractum? Ad quam quidem quæſtionem tranſitum fieri, paucis agnouit Eminentiſſimus Cardinalis de Lugo de fide diſp. 5. ſect. 1. num. 18. Cùm enim in quæſtionibus tangentibus operationes noſtras, neceſſarium ſit reſoluere ſic vel ſic, ne aliàs ſuſpenſæ maneant: iam prætermiſſa quæſtione de reali bonitate, quæro tandem an illa ſic irreſoluta, formare debeam conſcientiam licere vel non, (vt proximè diximus) ope-

rari ſecundum minus tutam partem? Quæ quidem quæſtio reſolui poteſt, quia iam eius reſolutio pendet ab aliis iuris & rationis principiis: & reſolui poſſe, patet per iura in cap. Ad audientiam, & in cap. Significaſti el. 2. de Homicidio, & in cap. Iuuenis de ſponſalib. & in cap. Dominus. de ſecund. nupt. & aliis, in quibus deciditur quid agendum ſit, quãdo dubium, vt prædictum eſt contingit. Et confirmatur exemplo Miniſtri Regij, qui in iis quæ à lege vel Principe deciduntur ſe confirmat. At quando dubitat vel ignorat, an hoc ſit voluntati Principis conforme, & neceſſitas decidendi vrget, iam deſinit quærere, an verè actio ſit conformis voluntati Principis, ſed quærit, quid agere debeat, quando dubitat vtrum ſit vel non illi conformis, quo circa reſolutionem iuſtè petit vel ſumit. Facit ratio deciſionis text. in cap. fin. de ſent. & re iud. vbi duobus ordinariis iudicibus contraria iudicantibus, tenet ſententia pro cauſa fauorabili, aliàs pro reo, cùm tamen, tunc verè ma-

Digitized by Google

neat dubia & indeciſa cauſa in qua vterque condemnatur & abſoluitur, cum tamen oporteat, vt exitum res habeat, ſtante dubio & irreſolutione circa iuſtitiam cauſæ, deciditur quid agendum & ſtatuitur, quod fauorabilis cauſa, aliàs reus præferatur. Poteſt ergo haberi reſolutio circa peccatum formale, quando dubium manet circa antecedens, à quo realis bonitatis deciſio pendebat. Qualis autem debeat eſſe irreſolutio, an peccare, an non, ſequendo in dictis terminis minus tutam partem, id eſt petendo legatum vel contractum celebrando in exemplis præpoſitis, dicemus infra, hæc enim eſt principalis quæſtio, ad quam hæc omnia præmittimus.

14. *Sexto præmittendum eſt*, totam quæſtionem eſſe an in dubio, vt inquiunt ſpeculatiuo, vel, vt nos dicimus circa antecedens liceat formare conſcientiam ſecundum minus tutam partem, id eſt licere. Nam, quod poſſit formari ſecundum tutiorem extra omnem quæſtionem eſt, etiam

ſi illa pars improbabilis ſit, vt benè ait Arriaga 1. 2. diſp. 25. num. 25. & in ſimili diximus cap. præcedenti num. 11. & 13. Quænam autem pars minus tuta, quænam verò tutior dicatur fusè expoſuimus cap. præcedenti num. 13. cum quatuor ſequentibus. Adde dicenda infra num. 28.

¶ Hic aduertendo nullo modo ſupponendum eſſe, quando quæritur de licentia ſequendi minus tutum, hoc ſignificare tutum quidem eſſe, licet minus, prout intellexiſſe videtur Arriaga dicta diſput. 25. num. 17. verſ. *Eidem.* ibi. *Reſpondet Pater Suar.* &c. *Non ideo illud principium aſſumi tamquam omnino neceſſarium, quaſi nullo modo licitum ſit in dubiis tutam ſemitam ſequi.* & num. 20. ibi. *Dum Pontifex ait hoc eſſe tutius, videtur etiam ſupponere alterum eſſe tutum.* Nam confunditur, ſic enim nulla ferè dubitatio eſſet de ſequenda parte in ſe tuta, licet non adeò tuta, vt contraria: Dicitur ergo tutior pars, non quia contraria etiam tuta ſupponatur, ſed quia cum contraria non ab-

ſolutè mala dici poſſit, quia (vt ſupponimus) de hoc dubitatur, & ideo dicatur minus tuta, eius reſpectu iſta tutior dicitur, quando autem extra dubium prorſus ſumus, neque tutior, neque minus tuta pars dici debet aut ſolet, ſed bona vel mala actio, tunc enim neque partes contrariæ conſiderantur. Non dubitantes etiam in dubio circa antecedens, aptius dici debere alteram eſſe tutam, alteram verò non tutam, ſcilicet ex ſe & rei natura, cuius reſpectu tuta vel non tuta conſideratur operatio, ſemota conſideratione auctoritatum vel fundamentorum, quæ illam nihilominus licitam reddere poſſunt, licet ex ſe non tutam. Quæ omnia latè probauimus & explicauimus cap. præcedenti dicto numero 13.

15. *Septimo præmittendum eſt,* quæſtionem procedere, quando poſt ſufficientem diligentiam adhibitam, nihilominus dubium permanet. Nam ante omnia dubitans debet ſufficientem adhibere diligentiam, ſiue examen ad vincendum dubium, vt do-

cent Suar. de relig. tom. 2. lib. 4. cap. 5. num. 6. Sanch. de matrim. lib. 2. diſput. 41. num. 12. & 46. & in Decalog. dicto lib. 1. cap. 10. num. 7. verſicul. Prius. & num. 37. Caſtro Palao dicto tract. 1. diſput. 3. puncto 2. num. 2. & 4. Quod intelligo & declaro, tunc procedere, quando dubitans vult operari ſecundum minus tutam partem ex aliqua rationabili cauſa, nam licet fortè hoc ſibi conceſſum ſic intelligitur, quãdo præmiſit ſufficientem diligentiam ad vincendum dubium non antea. At ſi velit operari ſecũdum tutiorem partem, quis dubitat non eſſe neceſſarium, vt aliqua diligentia præcedat. ¶ Item intelligo diligentiam dirigi debere, vt apparere poſſit actionem eſſe illicitam, vel, vt propriùs loquar, antecedens ſe habere eo modo, quo ſequitur formandam eſſe conſcientiam non licere. Nempe vt apparere poſſit, an res de qua dubitatur, ſit aliena: An impedimentum detur, nam, vt appareat, quod operanti libet, ſcilicet rem eſſe ſuam vel impedimentum non da

Digitized by Google

ri, hoc quidem ille curabit, neque ius ad hoc illum obligat, ſed ad quærenda illa, ex quibus cōſtare poteſt illum verè teneri præcepto reſtituendi rem vel abſtinendi à contrahendo matrimonio. Quod iam probaui cap. præcedenti num. 29. verſ. Illud hic. Et ſentit Suar. vbi proximè num. 7. ibi non poteſt ferre probabile iudicium quod illud emiſerit.

16. *Iam ergo* ad reſolutionem quæſtionis principalis, vt ſupra propoſitæ & declaratæ veniendo: In ea quidem tanta eſt Doctorum varietas & contrarietas, vt vix circa illam dici aliquid poſſit, quod pro vel contra Auctores non habeat. Referam principaliores ſententias & in quo deficere putem declarabo & tandem, quid ſentiam exponam: hic aduertendo, quod res iſta potius à naturali ratione, quàm à iuris poſitiui regulis pendet, quod quidem ius licet de ſpecialibus caſibus loquendo, probare videatur, in dubiis tutius eligendum & dictam regulam quaſi generalē, protuliſſet in aliquibus iuribus, tamen,

Digitized by Google

neque ex propoſito rem iſtam defini-uit aut declarauit, neque normam aliam tradidit, ex qua iudicemus, quid in infinitis propemodum caſibus dubitabilibus ſtatuendum ſit. Vnde ad alia principia iuris & rationis recurrere oportet.

17. *In hac igitur re*, illa fuit ſententia & doctrina Sancij de matrim. lib. 2. diſput. 41. & in Decalog. d. lib. 1. cap. 10. per tot. Quod ſcilicet iudicium practicum non poſſit variari ab ſpeculatiuo, niſi iuſta cauſa interueniente. Iuſtas autem cauſas aſſignando, vt poſſit haberi iudicium practicum licere, non obſtante dubio ſpeculatiuo, primo reſoluit & docet in materia iuſtitiæ, poſſeſſionem eſſe iuſtam cauſam, & per conſequens poſſeſſorem incipientem dubitare, an res ſua ſit, poſſe deponere dubium illud & non dubitare practicè, ſibi licere retinere, quia ſcilicet eſt poſſeſſor, & ſic in dubio melior eius cauſa. In quo ferè omnes concordant, illos refert idem Sanch. dicto cap. 10. num. 9. Et poſt eum idem ſequuntur Filliuc.

dicto tract. 21. cap. 4. num. 157. & cum pluribus Caſtro Palao dicta diſput. 3. puncto 2. num. 4. dicens poſſeſſionem eſſe ſufficientem titulum deponendi dubiam cōſcientiam. Deinde ſuam doctrinam proſequendo. Sanch. dicto cap. 10. num. 11. probabilius iudicat, contra plures, quos citauerat num. 10. etiam extra materiam iuſtitiæ, in materia aliarum virtutum, poſſeſſionem eſſe iuſtam cauſam variandi iudicium practicum ab ſpeculatiuo, & ſequi licere partem. Cui fauet poſſeſſio & regulam illam: *in dubio potior eſt conditio poſſidentis*, procedere æque in materia iuſtitiæ, ac aliarum virtutum. Et num. 13. aſſignat regulam ad cognoſcendum quis dicatur poſſidere, docendo illum poſſidere dici, qui pro ſe habet præſumptionem in foro externo, & ſic vbicumque reſoluit ſequendum tutius ex eo eſſe dicit, quia poſſeſſio eſt pro præcepto, ſequitur eum in ſumma tranſcribens de more Filliuc. dicto cap. 4. à num. 159. Caſtro Palao dicta diſput. 3. puncto 6. num. 1. Qui

tamen num. 2. dicit regulam aſſignatam à Sancio, vt ſupra, non eſſe ſufficientem, quamuis veriſſima ſit, ad cognoſcendum pro qua parte ſit poſſeſſio, cùm difficile ſit cognoſcere, pro qua parte ſit iuris præſumptio & agnoſcens difficultatem dicit, non poſſe regulam definiri, & ſe remittit ad caſus particulares per eundem dicendos, ex quibus inquit, conſtabit, pro quibus regulariter ſit præſumptio & pro quibus etiam ſit poſſeſſio.

18. *Verùm etiam* ſi maxima ſit tantorum virorum auctoritas, tamen ego non poſſum prædictam doctrinam probare. Et in primis terminos & ſuppoſitiones improbando, reduco ad memoriam nullo modo fuiſſe conſiderandum dubium ſpeculatiuum eſſe, an liceat, vt probauimus ſupra hoc cap. num. 5. & ibi citatis. Neque vtendum fuiſſe terminis *Practicè*, aut *Speculatiuè*, pro ſignificando hic & nunc & in communi. Quod remiſſiuè diximus num. 6. Neque ſupponendum verum practicum, id eſt conſequens, poſſe variare à ſuo vero

ſpeculatiuo, id eſt antecedenti. Nam, quando variatio ſupponitur & exemplificatur omnino diuerſa eſt quæſtio, circa practicum, vt dicunt, ab ea ſuper qua ſpeculatiuum dubitat, vt probauimus ſupradicto num. 6. remiſſiuè & latè cap. 1. num. 37. & 39. Neque caſus plures, quaſi ex dicta regula deciſos, illi applicari poſſe, etiam ſi vera eſſet, vt notauimus ſupra num. 7. Neque rectè dici iudicium ſpeculatiuum dubitare: nam iudicium non datur, quando dubitatur: dubitans enim, non iudicat. Neque benè dici conſcientiam ſpeculatiuam dubitare, tum quia conſcientia ſtrictè loquendo non dubitat, vt diximus cap. 1. num. 21. Quia dato, quod in aliquo ſenſu dici poſſit dubia, tamen nullo modo iudicium ſpeculatiuum conſcientia dici poteſt, cùm definiatur iudicium practicum, vt diximus cap. 1. num. 24. & 37. Neque rectè quæri, vtrum iudicium practicum poſſit variari ab ſpeculatiuo, aut doceri, variari non poſſe, niſi ex iuſta cauſa & illa ceſſante illi conformari

debere; cùm, ſi, vt ſupponitur, ſpeculatium eſt dubium, non eſt iudicium, cui practicum confirmari poſſet, ſed tunc tantùm quæri poſſet, an etiam practicum remanere debuiſſet dubium & indeciſum, vt oſtendimus ſupra num. 13. Neque rectè ſupponi conſcientiam poſſe deponi, cuius contrarium probauimus cap. 1. num. 9. Neque tandem generaliter verum eſſe peccatum mortale, committi operando cum conſcientia dubia practicè, ex dictis ſupra num. 4.

19. *Deinde,* quod attinet ad rei ſubſtantiam (quicquid ſit de terminis, aut ſuppoſitionibus) an ſcilicet rectæ ſint in ſe regulæ & doctrinæ ſupra relatæ, à prædictis grauiſſimis Auctoribus traditæ. Ego quidem, vt dicebam, non poſſum doctrinas illas probare. Nam in primis licet in ſe certum ſit, quod dubitans in communi, an hodie ſit ieiunandum, poteſt habere iudicium certum, ſe non teneri ieiunare, quia infirmus eſt, quod quidem habere poteſt, non ſolùm, quando dubitat an hodie ſit ieiunandum,

ſed quando certus eſt, hodie ieiunandum eſſe, quia ſcilicet eſt prorſus diuerſa quæſtio, an in communi ieiunandum ſit, ab ea, an infirmus teneatur ieiunare, & ſic omnia ſimilia exẽpla procedant. Tamen nullo modo ad rem pertinent, tamquam indubitata & quia quæſtio eſt, quando verè reſolutio an ſit peccatum, pendet ab antecẽdenti dubio, modo explicato & exemplificato ſupra num. 13. Neque nulla ratio, aut circunſtantia particularis interuenit, per quam caſus & termini mutentur. Vnde quatenus in dictis terminis doctrina traditur, licet in ſe vera ſit, tamen indubitata eſt, & ad rem non pertinens, neque difficultatem quæſtionis minuens.

¶ Deinde, quatenus docetur poſſeſſionem eſſe legitimam cauſam ad formandum iudicium practicum licere, non obſtante dubio circa antecedens, ex eo iſta doctrina firma aut ſufficiens non eſt, quia poſſeſſio etiam mutat terminos, ſicut etiam præſumptio: nam, ſi verè poſſideo & dubito, an res ſit mea, iam quæſtio eſt antece-

dens vel ſpeculatiua, vtrum poſſeſſor dubitans teneatur reſtituere, non autem ſimpliciter vtrum dubitans teneatur reſtituere, ac per conſequens, illa quæſtio an poſſeſſor teneatur reſtituere, eſt independens ab ea, an dubitans teneatur reſtituere. Quod patet, nam ſi verè penderet, prout pendet, quando ſpeculatiua eſt illa, vtrum poſſeſſor dubitans an res ſua ſit, teneatur reſtituere, fieri non poſſet, vt circa illam dubitando, poſſet haberi iudicium certum, non teneri me poſſeſſorem reſtituere. ¶ Præterea impropriiſſimè conſideratur & ſupponitur, poſſeſſio in infinitis propemodum terminis, non ſolum in materia aliarum virtutum, in qua plurimi eam negarunt, ſed etiam in ipſa materia iuſtitiæ, in qua impropriiſſimè dicitur me eſſe in poſſeſſione meæ pecuniæ, nam in reſtitutione facienda, non conſideratur certum corpus pecuniꝫ, quam ego reſtituere debeam: ſed etiam ſatisfacere potero, dando nomen debitoris vel non petendo ab ipſo, cui reſtitutio facienda eſt, qui

fortè ad inuicem aliquid mihi debet. Vnde non poſſum dicere, quod in dubio, non debeo priuari poſſeſſione meæ pecuniæ, & eius poſſeſſionem eſſe iuſtam cauſam, vt deponam practicè dubium, an tenear illi reſtituere. Neque frequentiſſimè quæſtio eſt etiam in materia iuſtitiæ, an tenear reſtituere, ſed an licitè petam aut oblatum accipiam, veluti legatum vel datum vltra ſortem principalem, quando dubito an teſtamentum validum fuiſſet, vel an contractus fuerit vſurarius. Vnde licet non inficier, in dubio meliorem eſſe cauſam poſſeſſoris, non ſolum in foro externo in quo loquitur regul. In pari. de regul. iuris in 6. ſed etiam in interno, ita vt in dubio, an res ſua ſit, non teneatur reſtituere, tamen, neque hoc procedit directè ex poſſeſſionis virtute, ſed quia poſſeſſor reus eſt, vt latè infra oſtendam, quando apertum fecerim, quid in hac re ſtatuendum putem. Neque poſſeſſio, vt proximè dixi, conſiderari poteſt in frequentioribus caſibus de quibus dubitari contingit.

Neque generaliter poſſeſſio videtur conſideranda, vt in foro conſcientiæ liceat alicui virtute poſſeſſionis ſtante dubio agere, quod aliàs eo ſtante agere non poſſet, aliàs dubitans de matrimonij impedimento, & per conſequens de valore poſſet petere debitum propter poſſeſſionem, cuius tamen contrarium verius credimus & dicemus infra.

20. *Multò minus* conſiderari poteſt poſſeſſio libertatis noſtræ voluntatis, ad quam in materia aliarum virtutum, confugiunt Sanch. dicto cap. 10. num. 11. & 13. & 32. cum multis ſequentibus & aliis, & Caſtro Palao dicta diſput. 3. puncto 6. num. 1. & puncto 7. num. 1. & ipſi, & alij frequenter. Nam nos noſtram libertatem non dicimur poſſidere, ſed illam habere pro vt voluntatem, intellectum, &c. habemus, at non poſſidemus illo modo, quo in iure conſideratur poſſeſſio, ſiue quaſi poſſeſſio, aliàs ad hanc adquirendam pro mea libertate requireretur, quod per aliquos dies ieiunium omitterem, vt

dicerer eſſe in quaſi poſſeſſione libertatis circa ieiunium, quod ridiculoſum eſſet. Vel per contrarium quia cùm infirmus, vel aliàs excuſatus à ieiunando, tamen ieiunaui, diceretur eſſe præceptum in quaſi poſſeſſione contra me, vt ieiunare tenear, quamuis infirmitate laborem. Neque probare poſſum, quod ait Suar. de relig. tomo 2. lib. 4. cap. 5. num. 9. ſcilicet actiones, vel omiſſiones perſonales poſſideri in libertate faciendi, vel non faciendi, & illam eſſe poſſeſſionem, quæ poteſt dari circa iura in corporalia. Nam tale poſſeſſionis genus nullibi in iure conſideratur, aut aliquem producit effectum, ſed modis aliis ſimilibus prædictis in exemplum adductis, qui tamen ad propoſitum locum habere non poſſunt. ¶ Præterea non minus impropriè conſideratur poſſeſſio pro libertate, quàm pro præcepto, pro quo illam etiã aliquando conſiderat Sanch. dicto cap. 10. num. 34. & 35. vbi num. 34. citat Salas, rectè dicentem præceptum impropriiſſimè dici poſ-

ſidere. ¶ Neque rectè videtur conſiderari poſſeſſio pro præcepto, vt me obliget, nam Auctores illi conſiderarunt poſſeſſionem ad excuſandum, non ad obligandum. Tandem ſi in dubio, an aliquid agere poſſimus vel teneamur, voluntatem ſuam libertatem poſſidere dicendum ſit, ac per conſequens in dubio non teneri agere, quod omittere volumus, nec omittere, quod agere volumus: hæc quidem regula abſorbet omnes alias de poſſeſſione, & præſumptione, & illæ plerumque inutiles ſuperfluæ remanent. Nam vt non teneamur reſtituere, non eſt cur conſideretur poſſeſſio, aut illa vel præſumptio requiratur, ſiquidem cùm libertatem voluntas poſſidere dicatur, ſuperfluè requiritur alia ratio, ſiue cauſa, vt in dubio liceat formare conſcientiam licere non reſtituere, vel quicquid aliud, ad quamlibet materiam pertinens. Sed generaliter vbicumque dubitatur de antecedenti, ſcilicet, an ſit præceptum ieiunandi vel eo in talibus terminis tenear: vel an teſta-

mentum validum ſit vel an impedimentum detur vel an excedam 60. annum vel an 21. attingam, &c. potero licitè non ieiunare, matrimonium contrahere, legatum petere, quia poſſeſsio eſt pro libertate voluntatis, & in contrarium non conſtat de præcepto, quod priuet illa poſſeſſione: ſiquidem, vt ſupponitur, dubitatur, an præceptum de ea re ſit vel comprehendat hunc caſum, vel quia dubitatur de ipſius legiſlatoris voluntate, vel quia dubitatur de facto requiſito ad incurrendam obligationem vel pœnam legis, quod etiam in effectu reſoluitur in dubium iuris, vt dixi ſupra num. 11. verſ. ſecundum. Sequitur ergo ex illa doctrina, & ſuppoſitione licere generaliter in dubio ſpeculatiuo, vt inquiunt, ſiue, vt nos dicimus, circa antecedens, formare iudicium practicum non eſſe peccatum agere vel omittere: Niſi in caſibus in iure expreſsis, vel quando dubium non concernit obligationis effectum, ſiue incurſum, quia ſcilicet certum eſt illam effectuatam eſſe, ſed

dubitatur de ſatisfactione, & ſolutione illius obligationis, ſiue debiti. In quibus terminis omnes agnoſcunt dubitantem debere ſequi tutius, quod eſt ſatisfacere, ſiue ſoluere. Quod quidem à nobis proximè in modum argumenti contra dictam doctrinam, conſideratum placuiſſe videtur Roderico de Arriaga dicta diſput. 25. à num. 5. de qua tamen ſententia infra latius diſputabimus. Ad intentum autem præſens, ſequitur contra prædictos Auctores, prædictam doctrinam ſtare non poſſe, cum illa de poſſeſsione, & præſumptione, quia illas inutiles, & ſuperfluas reddit, neque ea retenta poſſe vera eſſe plura, quæ ab ipſis Auctoribus reſoluuntur contra ipſam doctrinam aſſerentem poſſeſsionem pro voluntatis libertate, eſſe iuſtam cauſam ad reſoluandum licere, non obſtante dubio, vt inquiunt ſpeculatiuo; Nam totum quod dicitur de poſſeſsione pro præcepto, vim nullam habet, vt dici poſsit in illis terminis non eſſe poſſeſsionem pro libertate, vt num. ſequentibus adhuc

probauimus præcipuè num. 37. quod verò attinet ad veritatem ipſius doctrinæ, dicemus paulo infra, quid ſentiamus.

21. *Neque admittere poſſum*, quod dicitur ab eodem Sanch. circa præſumptionem, docet enim dicto cap. 10. num. 13. ad cognoſcendum quis poſsideat, *attendendum eſſe in eo dubio, pro quo ſtet in foro externo præſumptio, & dum non conſtat de veritate, ea pars pro qua eſt præſumptio cenſebitur poſſidere, & præualebit in vtroque foro. Quare ſi præſumptio fori externi ſit pro obligatione, tenebitur voluntas: ſin autem ſtet pro voluntatis libertate, non tenebitur.* Nam in primis non bene dicitur, præſumptionem eſſe pro obligatione vel pro libertate, non enim vnquam pro hac ſtat præſumptio, ſed pro facto remoto, ex quo ſolùm per conſequentias poſſit, iunctis aliis principiis dici libertatem non eſſe cogendam: veluti quando præſumitur puerum tempore voti emiſſi, non habuiſſe ſufficientem rationis vſum, quia nondum ſeptennium compleuerat,

rat, quo exemplo vtitur Sanch. dicto num. 13. ad probandam prædictam doctrinam, non enim tunc rectè dicitur præſumptionem eſſe pro libertate, ſed eſt præſumptio pro deffectu vſus rationis, & quamuis hinc deducatur non teneri ad votum implendum, & ſic voluntatem non eſſe cogendam, tamen hoc longè diſtat ab eo, quod ſcilicet præſumptio ſit pro libertate, nam præſumptio fuit pro deffectu vſus rationis, & ſic ceſſauit dubium an vſum rationis habuiſſet, ac per conſequens certitudo, non autem præſumptio, pro libertate in illis terminis non cogenda reſultauit, vnde nullo modo conſiderari poteſt præſumptio pro libertate. ¶ Deinde non video, cur præſumptio operari dicatur poſſeſſionem eſſe pro eo, pro quo illa eſt. ¶ Prætereà (& hoc maximè aduertendum eſt) in terminis in quibus conſideratur & ſupponitur præſumptio, ceſſat dubium, quod ſemota præſumptione conſiderabatur, vt patet in dicto exemplo, & in eo de dubitante vtrum excommunicatio

fuerit lata ante appellationem, de quo Sanch. dicto cap. 10. num. 59. nam ſi, vt ait, præſumitur lata ante appellationem, ceſſat dubium ipſum ſpeculatiuum, vt dicunt, & pro vero habetur, quod fuit lata ante appellationem. Ac per conſequens, quando quæritur vtrum, v. g. licitè celebrem, iam non poteſt quæri vtrum licitè celebrem ſtante dubio, an ligatus ſim excommunicatione, non enim iam de hoc eſt dubium, ſed certitudo virtute præſumptionis, quod agnoſcit Caſtro Palao, licet ad effectum non attendat dicta diſput. 3. puncto 6. num. 2. Quoties ergo conſideratur præſumptio, iam euaneſcit dubium circa antecedens, ſiue, vt dicunt, ſpeculatiuum, quo ſtante & permanente, non autem eo ceſſante procedit noſtra quæſtio, neque enim conſiderandum eſt vnquam dubium illud circa quod verſatur quæſtio, de qua decidenda agitur, & per eius reſolutionem euaneſcit, vt contingit, quando dubitamus ſiue potius quærimus, an appellatio fuerit interpoſita

ante ſententiam excommunicationis, & tandem virtute præſumptionis vel aliàs, prout de iure, reſoluemus dubium, tale enim dubium potius quæſtio dicitur, nec de illo intelligitur controuerſia noſtra, ſed de eo, quod tandem formatum & indeciſum remanet: veluti an teſtamentum validum ſit, vel an impedimentum matrimonij detur, & durat etiam poſt deciſam quæſtionem: vtrum liceat petere legatum vel matrimonium contrahere. Adde dicta ſupra num. 7. verſ. quod etiam & infra num. 31. verſ. item ſemper. Quod etiam maximè eſt aduertendum, nam ex tranſlatione vel non attentiſſima terminorum obſeruatione, tota in hac re obſcura & ſubtili inuolutio oritur.

22. *Præterea* dicta regula nullo modo ſufficiens eſt, nam vt ipſe Sanch. agnoſcit, dubium ſæpè eſt iuris. In dubiis autem iuris, nullo modo poteſt conſiderari præſumptio pro altera parte; præſumptio enim circa factum tantùm, non autem circa ius dari poteſt, vt patens eſt. Vnde quando du-

Digitized by Google

bito, an in hoc caſu ſit in iure impoſita irregularitas vel, an in iis terminis tenear præcepto ieiunandi, nulla iuris præſumptio pro parte affirmatiua vel negatiua dari poteſt. Hinc non video, quare in ſimilibus terminis conſideret idem Sanch. modo poſſeſsionem pro præcepto, modo pro libertate, cùm enim dixerit poſſeſsionem eſſe regulandam & deducendam ex preſumptione, & in dictis terminis, ſicut etiam in pluribus circa factum, non detur præſumptio, neque per conſequens poſſeſsionem dari poſſe videtur. Et in effectu prædictam regulam inſufficientem eſſe, ex aliis conſiderationibus agnouit Caſtro Palao dicta diſput. 3. puncto 5. num. 2. & nouiſsimè Arriaga 1.2. diſput. 25. num. 58.

23. *Tandem probare* non poſſum ad propoſitum doctrinam traditam à Sanch. dicto cap. 10. num. 11. 13. 42. Suar. de religione tomo 2. lib. 4. cap. 5. num. 11. & alijs, docente forum internum conformandum eſſe externo, niſi id falſæ innitatur præſum-

ptioni. Nam quamuis hæc doctrina vera ſit, quando fori externi præſumptio verſatur circa factum, vel circa animum alterius, tamen locum non videtur habere, quando ipſe operans dubitat de proprio animo, quicquid ius de illo præſumat, v. g. tempore, quo ſponſalia tranſibant in matrimonium per copulam animo coniugali ſubſequutam. Iuxta text. in cap. Is qui fidem de ſponſal. quamuis ius illud coniugalem animum præſumeret, ego tamen dubitabam, an talem animum habuiſſem vel, quamuis ius præſumat animum hæreticum in eo, qui verbis hæreſim profert, ego tamen dubito an hæreticum animum habuerim, quando verba hæreticalia protuli, de quibus exemplis Sanch. dicto cap. 10. dicto num. 13. & num. 74. reſoluens, quod ſicut in foro externo matrimonium in priori caſu, animum hæreticum in ſecundo præſumitur in foro externo, ita idem iudicandum in foro interno; Quod tamen, vt dicebam, ego non probo, immo in dictis terminis ceſſare præ-

ſumptionem, & verum dubium permanere credo. Ratio eſt; quia diuerſiſsimus eſt caſus, in quo ego nihil habeo contra præſumptionem, immo ſuppono verum eſſe, quod illa præſumit circa animum alterius, v. g. teſtatoris, vel contrahentis, vnde meritò illam ſequor in foro interno petendo legatum, vel rem in contractum deductam. Diuerſiſſimus inquam eſt ille caſus ab eo, in quo meus proprius animus præſumitur, & ego licet non ſciam illum in contrarium ſe habuiſſe, ſcio tamen me dubitare & incertum eſſe, an ſic ſe habuerit, prout præſumitur in foro externo. Quamuis igitur in re dependenti ex animo alterius, illa præſumptio tollat dubium, quod aliàs circa illum in foro interno, aut externo poſſem habere, tamen non tollit dubium mei proprij animi, quod, vt ſupponitur, in eo permanet, non ſuffragãte præſumptione. Quod tunc apertiùs conſtat, quando dubium reſultat ex rationibus. V. g. quia licet

ius præſumat me ſoluiſſe, ego tamen conſidero rationes, quæ licet non ſint ſufficientes ad oſtendendum me ſoluiſſe, tamen me inducunt in dubitationem an ſoluerim: vel quia licet ius præſumat teſtatorem fuiſſe ſanæ mentis tempore conditi teſtamenti, ego tamen conſidero cauſas & rationes particulares, de quibus informatus ſum, quæ cogunt me dubitare vtrum ſanæ mentis fuerit. Quis ergo dicet adeo extra dubium me eſſe virtute præſumptionis, quando illa eſt circa factum vel animum alterius, in quo caſu ego nihil ſentio contra præſumptionem, ac quando illa eſt circa factum vel animum meum proprium, & ego, non ſuffragante præſumptione, adhuc dubito, neque illi acquieſco? Quis inquam dicet, æquè in dictis terminis licere mihi non ſoluere vel legatum petere, ac quando præſumptioni acquieſco, quia nihil contra eam conſidero? ¶ Probatur noſtra animaduerſio ex text. in cap. Dominus. de ſecund. nupt. & in cap. Iuuenis de ſponſal. & in cap. Signi-

ſicaſti. el. 2. de homicid. & aliis ſimilibus, nam in dicto. cap. Dominus, deciditur non licere petere debitum, dum coniux dubitat de ſuperuiuentia prioris coniugis, & tamen pro validitate matrimonij eſt præſumptio, vt ſcribit Sanch. dicto cap. 10. num. 13. & in foro externo manifeſtato illo dubio diſſolui non poſſet, immo pro eius validitate iudicandũ eſſet, quod probat idem Sanch. de matrim. lib. 1. diſput. 18. num. 5. in dicto cap. Iuuenis, dubitatur de conſumatione copulæ & præſumptio erat non fuiſſe conſumatam, quia tenerrima ſponſæ ętas id veroſimilius ſuadebat, & compertum eſt in foro externo, non eſſe iudicandam conſumatam, etiam ſi in eo apparerent omnia, quæ ſponſus ad dubitandum conſiderabat, & tamen ſecundum matrimonium cõtractum cum conſanguinea dictæ ſponſæ iubetur ſeparari. In cap. ſignificaſti, dubitabatur an vulnus ab illo regulari clerico inflictum latroni lethale fuiſſet, & pręſumi debuit non lethale, tam quia ſicut delictum non pręſu-

mitur ex text. in l. Merito. ff. pro ſocio. ita, eo probato, præſumitur potius minus & leuius, quàm grauius, ex text. in l. Prætor. §. Docere. ff. de vi hon. rapt. Maſcard. de probat. tom. 3. concl. 1418. num. 2. Farinac. in prax. part. 3. quęſt. 85. num. 26. & tamen dicitur clericum illum ſe gerere debere, tamquam irregularem: cùm tamen in foro externo vix homicida iudicandus eſſet. Probatur tandem ex text. in cap. Inquiſitioni. de ſentent. excommunicat. intellecto de dubio, prout communiter intelligitur, vbi eſt pręſumptio pro validitate matrimonij, immo ſententia iudicis & eius præceptum; impedimentum autem dubium & tamen deciditur, ne coniux dubitans petat debitum, quod tutius eſt, qui textus omnes ſunt pro foro interno ad conſultationem ipſorum reorum agentium, de componenda propria conſcientia. Ergo præſumptio fori externi non aufert dubium internum, quando nihilominus dubitans conſiderat rationes particulares ad dubitandum &

in effectu, cum iuſta cauſa dubitat non ſuffragante præſumptione ad tollendum dubium. Sed ſolùm procedit quando ille, qui ſemota præſumptione aliàs dubitaret, propter præſumptionem, quam verum ſuadere putat & contra quam nihil ſentit, ſed illi ſe conformat, in effectu non dubitat. Vnde merito dici poteſt illam doctrinam dictantem rectè ſe conformari forum internum externo, dum hoc falſæ præſumptioni inniti non conſtat, aptiùs & veriùs formari debere, addendo: Neque internum ex peculiaribus rationibus dubitat de veritate præſumptionis externi: Hoc enim contingente, iam ipſa præſumptio redditur dubia, & vt obiter agnouit Caſtro Palao dicta diſput. 3. puncto 6. num. 2. præſumptio dubia prædictos effectus non operatur. ¶ Credimus ergo quod contingente dubio, modo ſupra declarato, & exemplificato circa ipſam præſumptionem, dubium principale non ceſſat, neque præſumptio operatur, vt per conſequens deduci poſſit dictamen licere,

niſi prout in dubio iuxta dicenda & reſoluenda infra. Sicut per contrarium in eiſdem terminis & ex dictis rationibus, & vt æqualitatis ratio ſeruetur, etiam dubitans de veritate præſumptionis, ex qua ſequitur eius obligatio, dicetur nihilominus dubitare de obligatione, ac per conſequens illa non teneri, iuxta doctrinam tradendam pro verè dubio.

24. *Improbata igitur* doctrina Sancij & ſequacium, ex aliis capitibus & fundamentis non adductis per Vaſquez & alios plures contrariæ partis defenſores. Non tamen probare poſſum doctrinam & reſolutionem ipſius Vaſq. 1. 2. quæſt. 19. a. 6. diſp. 65. cap. 3. & diſput. 66. cap. 1. per tot. quem plures ſequuntur, & antea in eadem fuerant ſententia, plures etiam, quos lato calamo citat Sanch. dicto cap. 10. num. 10. Statuunt enim in materia quidem iuſtitiæ, potiorem eſſe in dubio conditionem poſſidentis. At in materia pertinente ad aliàs virtutes, generaliter ſequendum eſſe tutius, ducuntur fun-

Digitized by Google

damentis ab ipſo Sanch. dicto num. 10. fideliter relatis. Verum quatenus concedunt in materia iuſtitiæ, poſſeſſionem eſſe ſufficientem cauſam ad deponendum, vt dicunt, dubium ſpeculatiuum obſtant dicta ſupra num. 18. & 19. Quatenus verò generaliter in aliis materiis tutius ſequendum, autumant, ſubſcribere non poſſum, obſtant enim huic doctrinæ, quæ dicemus infra à num. 32. tradentes regulam, quam putamus in hac re obſeruandam.

25. *Rodericus* de Arriaga nouiſſimè 1. 2. diſput. 25. per tot. aliam viam ab vtraque prædicta pro parte diſcrepantem inuenit, contendens in dubio iuris non eſſe neceſſitatem ſequendi tutius, in quo contra Vaſquez & ſequaces loquitur: In dubio verò facti, tutius ſequendum, in quo à Sancio diſcedit, nam ille contrarium docet, niſi pro præcepto, vt inquit, ſit poſſeſſio, ſiue præſumptio. Et quod magis eſt Arriaga dubium facti ſolum conſiderat, quando certum eſt ius inducens obligationem, at dubia ſatis-

factio, ita num. 11. & 15. vbi dubium iuris dicit dubium, quod verſatur circa id, an verè aliquis homicidium commiſerit ſentiens rationem, qua niſi diximus *num.* 11. *verſ. ſecundum,* dubium facti ſæpè reſolui in effectu in dubium iuris. Quo ſuppoſito concluditur: Auctorem illum exiſtimare nunquam præceptum eſſe ſequendæ tutioris partis, niſi quando dubium eſt de ſatisfactione certæ obligationis, & ipſe iterum ſuam regulam declarans num. 58. ait, *Quod quandocumque dubium eſt circa actionem, qua primo quaſi incurrit quis obligationem, tunc ſtandum pro libertate. Quando verò dubium eſt de ea re, qua ab obligatione priori eximi debet, tunc ſtandum pro præcepto,* & adhuc alio modo declarando ait, *quando obligatio erat antiquior dubio, tunc ſtandum pro obligatione. Quando verò per dubium ipſum primò intrat obligatio, tunc ſtandum pro libertate,* & exempla adducit.

26. *Verum etiam* non exiſtimo adeo reſtrictum eſſe præceptum ſequendi

tutius in dubio, ſicut per contrarium non credo adeo vniuerſale eſſe, vt Vaſquez & ſequaces putarunt. At quoniam paulo infra tradendo noſtram regulam adducam fundamenta, quæ iſtam impugnant, hic aliqua tantùm notabo, quæ contra rationem obiter ab Arriaga dicta & ſuppoſita exiſtimo. ¶ Primum eſt videri ſupponere, quæſtionem eſſe de neceſſitate ſequendi tutiorem, quando contraria quoque pars tuta eſt licet minus: quod improbauimus iam expreſsè num. 14. ¶ Secundum eſt, neque etiam rectè ſupponere poſſeſſionem eſſe pro libertate volũtatis, hoc enim confutauimus ſupra num. 19. ¶ Tertium eſt, neque rectè ſupponere num. 6. quando dubito an pallium, quod poſſideo ſit meum, non minus ius alium habere ad petendum, quàm ego ad retinendum. Nam infra probabimus dubitantem an ſua ſit res vel ſibi debeatur, illam petere vel acceptare non poſſe, cùm tamen ex argumento hic facto ſequeretur etiam me habere poſſeſſionem libertatis ad petendum

vel acceptandum quidquid, & ex aduerſo non oſtendi quid mihi prohibeat vſum huius libertatis. ¶ Quartum eſt, neque rectè ſupponere diſp. 26. num. 1. proceſſum dandum eſſe in infinitum, ſi poſſeſſor dubius an res ſua eſſet teneretur reſtituere, nam eodem modo iſte cui fieret reſtitutio, deberet ex eadem ratione dubij, iterum reſtituere, & hoc argumentum, ſiue inconueniens euidenter probare dicit. Quod tamen, ni ego fallor, vanum prorſus eſt: nam cur ſupponitur illum, cui fit reſtitutio dubitare ſimiliter debere an res ſua ſit, an eius qui reſtituit, vel quando, precor, id contingere poteſt, niſi per rariſſimum euentum? Quare non eſt ſupponendum illum cui fit prima reſtitutio rectè agnoſcere rem ſuam eſſe? Vel dato quod ſua non ſit, cur æquè non poterit agnoſcere verè eſſe alterius, non reſtituentis. Sanè ferè incontingibilem iudico caſum, ex quo Auctor ille deducit illud argumẽtum, ſiue inconueniens, vt continuum & perpetuum. Alia omitto, quæ ſuis locis dicentur.

Digitized by Google

27. *Vt igitur* iam aperiam, quid ſentiam in primis, vt certa ab incertis ſeparemus, certum credo in omnibus terminis, in quibus cap. præcedenti dixi, etiam ſtante vera probabilitate, non licere minus tutam partem eligere, ſed tutius & certius ſequendum, multò minus licere ſtante dubio vero. Vnde omnino erit ſequendum tutius in dubio, quando ex eo, quod hoc ſequatur nullum vel minimum incommodũ reſultat operanti iuxta dicta cap. 2. num. 26. etiam in terminis, in quibus aliàs minus tutum ſequi licere dicemus. Item quando ex ſequendo minus tutum minimum lucrum aut leue damnum, ex ſequenda tutiore operanti obuenire poteſt, at ex ſequendo minus tutum grauiſſimum damnum proximo reſultare poteſt iuxta dicta d. cap. 2. num. 27. Et generaliter tutius, multò magis in dubio eligendum eſſe, quando operans actum gerit, vt miniſter publicus vel ex conuentione expreſſa vel tacita, vt iudex, medicus, adminiſtrans ſacramenta & alij

iuxta dicta, & explicata dicto cap. 2. num. 28. & num. 139. cum multis ſequentibus. ¶ Prętera certum quoque credo & extra quæſtionem, certum de obligatione, dubitantem verò de ſatisfactione, tutius eligere debere, ſcilicet ſatisfacere, quod benè docet Sanch. dicto cap. 10. num. 12. & non diſfitetur Arriaga dicta diſp. 26. n. 11. & aliis, immo in iis tantùm terminis, tutius ſequendi neceſſitatem videtur conſiderare: quod tamen non tam procedere exiſtimo ex ratione facta ab hoc vel illo Auctore; quàm ex eo, quia tunc dubitans, in ſatisfactione oſtendenda vicem Actoris ſuſtinet, quam rationem ſtatim expendemus. ¶ Tandem extra quæſtionem eſſe exiſtimo omnes illos terminos & caſus, in quibus virtute præſumptionis, dubium ceſſat iuxta dicta ſupra num. 21. verſ. Præterea. vel ſit alia diuerſa quæſtio practicè ab ea, quæ ſpeculatiuè dubia eſt, veluti quando dubitat aliquis in communi, an hodie ſit ieiunandum, at non practicè dubitat, quia infirmus eſt; iuxta dicta cap. 2.

Digitized by Google

num. 37. & 39. & remiſſiuè ſupra hoc cap. num. 6. ¶ Quæſtio ergo, vt ſæpè diximus, tunc procedit, quando dubium eſt circa ſpeculatiuum, vt dicunt, ſiue, vt nos dicimus, circa antecedens, & ibi permanet, neque aliqua ſpecialis ratio interuenit, vt illud, vt aiunt, deponatur. Tunc enim quæritur, vtrum ex ſe non tuta pars ſequi poſſit, cùm pateat contraria ex ſe tuta. Nam ſi contraria æquè non tuta videatur, ita vt conſideret periculum in agendo, quod agere vult, & ſimile in omittendo, tunc iam illa pars quam ſequi vult, non eſt minus tuta, neque enim videt ex aduerſo tutiorem ad quam confugiat. Vnde in iis terminis omnino ceſſat quæſtio, & dubitandi ratio. Sin autem contrariam non ſolum æquè non tutam, ſed adhuc minus tutam conſideret, tunc illa quam ſequi vult, fit tutior, iuxta dicta cap. 2. num. 15. & ſine quæſtione ſequi poteſt, de tutiori enim ſequenda nulla eſt quæſtio, immo ſi illam ſequi nolit, tamen tenebitur in terminis, in quibus in dubio tutius eligendum.

Digitized by Google

28. *Ex iis quæ* proximè diximus infertur extra quæſtionem noſtram, & materiam dubij eſſe plures controuerſias excitatas à Doctoribus, & reſolutas, tanquam ad eam directè pertinentes. Veluti an miles dubius de iuſtitia belli poſſit, vel debeat ex præcepto principis militare, quam latè tractant congeſti per Dianam 4. part. tract. 3. de conſcientia dubia reſol. 7. eos non tranſcribo, licet plures viderim, quia præſentis laboris inſtitutum non eſt partes fundare auctoritatibus, ſed dicta, & tradita examinare, & explicare, quiſquis dixerit ſiue plures, ſiue vnus. Nam quæſtio noſtra procedit, quando pars altera tuta ex ſe eſt, ſiue, vt dicunt, tutior, quod in propoſitæ controuerſiæ terminis non contingit, nulla enim partium ex ſe tuta conſideratur, quia ſiue agat, peccare timet, veluti militando in bello iniuſto, ſi fortè tale ſit, de quo dubitat: Siue etiam omittat, ſcilicet non obediendo ſuperiori, ſi fortè bellum ſit iuſtum ac per conſequens præceptum. Cùm igitur in

Digitized by Google

dictis terminis, & aliis infra pro exemplis referendis non conſideret partem tutam; & quo ſe vertat, neſciat, ad alia principia recurrendum eſt, aliæque conſiderationes ſunt adhibendæ, quæ Doctores omiſerunt: Non enim illi ſunt termini ordinarij, in quibus procedit quæſtio, vtrum in dubio ſit eligendum tutius, ſed tunc ordinarij termini ſunt, quando altera partium tuta ex ſe, ſiue, vt dici ſolet, tutior conſideratur. ¶ Duo hic aduertendo, quæ iam innuimus ſupra cap. 2. num. 15. & 16. Primùm eſt, Doctores ſupponere, aliquando concurrere duo præcepta incompatibilia, & non declarare, an ſupponant id contingere in eo ſenſu, vt operans conſideret peccatum in vtraque parte, ita vt exiſtimet pro certo peccare, ſiue agat, ſiue omittat. Quod ſi ſupponunt, vt videntur, quia adducunt exemplum de exiſtimante peccare, ſiue gregem omittat, vt miſſam audiat, ſiue non deſerat, & miſſam audire omittat, ij quidem termini nec pertinent ad materiam dubij, ſed ad

aliam, quid ſcilicet agendum ſit, quando certo creditur peccatum eſſe ab vtraque parte, neque contingere poſſunt, niſi per errorem, cùm præcepta incompatibilia obligare ambo non poſſint. Neque tandem iam eſt quæſtio de conſcientia formanda circa peccatum, hæc enim locum non habet, niſi quando dubium eſt circa antecedens, non circa ipſum peccatum, vt dicto num. 15. diximus. Et eſt quæſtio decidenda, non autem dubium formatum, quod indeciſum remanere debet, & circa ipſum, tanquam circa ſuos terminos quæſtio verſari. Vt admonuimus ſupra hoc cap. num. 7. ad finem & num. 21. verſ. neque enim. ¶ Illud ergo, quod Doctores ſupponunt alio modo contingere poteſt, ſcilicet quando operans dubitat qualiter ſe habeat antecedens, à quo ſi reſolueretur ipſi pateret, qualis pars, ſcilicet an agere, an omittere bona vel mala foret, veluti in exemplo, de quo agimus, ſi operans reſolueret bellum eſſe iniuſtum, ſciret quidem, neque ex præ-

cepto ſuperioris licere ſibi militare; ſin autem reſolueret bellum eſſe iuſtum, ſciret poſſe & debere ex præcepto ſuperioris militare. At quia de veritate antecedentis dubitat, per conſequens dubitat, in qua illarum partium ſit bonitas, in qua verò malitia, non quidem credens, vt in ſuperiori caſu, in vtraque parte malitiam eſſe, ſed ſciens in vna eſſe à parte rei, & non in alia: ignorans autem in qua verè ſit, & timens ne fortè ſit in illa parte, quam elegerit, quamuis enim agnoſcat præcepta incompatibilia contraria, non poſſe ambo obligare, ne aliàs homo perplexus eſſet, tamen dubitat, quodnam illorum obliget. Vel aliàs cùm vnum ſolùm ſit præceptum, dubitat an hoc vel contrarium agendo illud offendatur, quod contingit, quando iudex dubitat pro quo ſit iuſtitia cauſæ, an pro reo an pro Actore, timetque per conſequens, offendere præceptum, ius ſuum cuique tribuendi, ſiue pro actore, ſiue pro reo ſententiam proferat. Agnoſco in terminis ſupra propoſitis

Digitized by Google

non ſemper dici, vel eſſe vtramque partem non tutam, tunc enim dicitur eligendam partem pro qua eſt præceptum magis obligans, vel fortius, vt ita dicam, ad quod agnoſcendum doctrinam tradit Sanch. dicto cap. 10. num. 17. & violandum, quod minus obligat. At contendo probare iuxta hanc conſiderationem, decidendum eſſe caſum propoſitum, & ſimiles. Et ſæpe contingere, quod vel non eſt, vel non diſcernitur maior obligatio alterius præcepti, in quibus terminis nulla pars tuta, ſicuti neque non tuta conſideratur, & iuxta diuerſam conſiderationem quæſtio decidenda eſt. In effectu ſupra conſiderati termini ſunt diuerſi ab illis ordinariis, in quibus apertè conſtat alteram partem tutam eſſe, vt ieiunare, reſtituere, & ſimilibus in quibus quæſtio & doctrina communis circa dubium planè, & directè procedit.

¶ Aduertendo tandem, quod in terminis ſupra conſideratis, non eſt tantùm quæſtio, vt in terminis ordinariis (ſcilicet in quibus altera partium

tuta eſt, neque præceptum offendi timetur in quacunque parte, ſed in vna tantùm ſequenda) nempe an liceat, ſed ſimul an teneatur. Et poteſt reſolui, quod licet & tamen, quod non tenetur. Quamuis per contrarium, ſi reſoluatur teneri, reſolutum maneat, quod licet.

29. *Controuerſia ergo* de dubitante an bellum ſit iuſtum propriè, & planè procederet, quando nullum præceptum ſuperioris interueniret; At dato præcepto, iam termini notabiliter mutantur, neque ad propriam quæſtionem, & doctrinam pertinent. Eodem modo, nam propriè pertinent ad dictam ordinariam, & præcipuam quæſtionem & doctrinam, aliæ ſimiles controuerſiæ, veluti de confeſſario dubitante an caſus ſit reſeruatus, ac per conſequens an debeat concedere vel denegare abſolutionem, de qua Diana dicta 4. pe. tract. 3. reſolut. 4. Item de dubitante, an materia voti ſit bona vel mala, nam ſi non implet votum, timet ex eo peccare: Si implet, idem timet, ſi fortè fuerit mala

materia

Digitized by Google

materia de qua dubitat, de qua controuerſia Diana vbi proximè reſolutione 13. Item de dubitante de valore matrimonij, qui ſiue reddat, ſiue deneget debitum, peccare timet: de qua Diana vbi ſupra reſolut. 15. & plures alij; quos ille dictis locis congerit & ego non tranſcribo. Quas & alias ſimiles controuerſias infra ſuo loco tractabimus, & decidemus. Hic enim ſolùm contendimus probare, illas non currere per regulam præcipuè & ordinariè quæſtionis dubij, & doctrinam pro illa traditam, vt ſupra expoſuimus numero præcedenti.

30. *Neque etiam* ad prædictam quæſtionem, vel doctrinam pertinent controuerſiæ illæ, quæ potius ſunt quæſtiones circa ipsũ ſpeculatiuum, ſiue antecedens, quam circa practicum, & cùm reſoluuntur ceſſat dubium ipſum ſpeculatiuum, neque per conſequens remanet quęſtio, qualiter in dubio ſit formanda conſcientia, cùm ſicut ſupponimus, dubium ceſſet. Huiuſmodi eſt controuerſia illa:

An in dubio cenſendus ſit aliquis illegitimus, de qua Diana dicta 4. part. tract. 3. reſolut. 6. Quæſtio enim alia eſſe poſſet & deberet ad propoſitum, veluti an extraneus poſſidens hæreditatem illam reſtituere debeat illi de quo dubitat, an ſit legitimus filius defuncti: Non autem an ſit cenſendus legitimus vel non, ſic enim hoc deciſo, nullum dubium remanet circa quod verſetur quæſtio, neque illa quæſtio ſic in communi, an cenſendus ſit legitimus, pertinet ad materiam conſcientiæ, ſiue operationum noſtrarum, ſed eſt merè ſpeculatiua. Item huiuſmodi eſt illa controuerſia: An poſſit quis exiſtimare non eſſe vſu receptam legem imponentem ſuſpenſionem, irregularitatem, &c. De qua Diana vbi proximè reſolut. 14. Item illa: An in dubio vtrum cenſura ſit lata, vel ferenda cenſenda ſit tantùm ferenda? De qua idem Diana vbi proximè reſolut. 15. Item illa: An dubitans vtrum res ſit aliena, qui tamen non fecit diligentiam, teneatur reſtituere, in

quibus terminis iam vis quæſtionis, non prouenit ex dubio, ſed ex non permiſſa diligentia, quæ omiſſio certa eſt. De qua idem Diana vbi ſupra reſolut. 29. Item illa: Iudex quid in dubio facere debeat? De qua idem Diana reſolut. 40. Item illa: An dubitans, vtrum egeat diſpenſatione, debeat eam petere à ſummo Pontifice, vel Epiſcopus poſſit in lege ſuperioris diſpenſare. De qua controuerſia & quidem inuoluta, & confusè propoſita, & deciſa idem Diana reſolut. 46. Item illa: An in dubio priuilegium cenſendum ſit reale vel potius perſonale, de qua idem Diana reſolut. 51. In quibus omnibus, & ſimilibus exemplis adductis, per eum & alios ab ipſo citatos, & non citatos quæſtio eſt, vtrum ſit dubitandum & qualiter reſoluendum ſit dubium, ſiue quæſtio dubia, & ſpeculatiua; ea autem reſoluta ceſſat quæſtio circa practicum, quæ tunc tantùm locum habet, quando dubium ſtat & permanet circa ſpeculatiuum, ſiue antecedens, à quo pendet reſo-

lutio circa practicum, vt diximus num. 7. verſ. Quod etiam; & num. 2. verſ. Quoties & aliis locis. Omnino ergo, & ſemper aduertendum eſt quæſtionem præſentem ceſſare, quando concluditur vel virtute præſumptionis vel poſſeſſionis vel alterius cauſæ, potius dubitandum non eſſe circa ſpeculatiuum. Vel quando quæſtio principalis, & decidenda non eſt alia niſi circa ipſum ſpeculatiuum.

31. *Procedit ergo præſens*, & principalis quæſtio, quando circa verum & proprium antecedens ſtat, & permanet dubium. Et quæritur qualiter ſit formanda conſcientia, an ſcilicet, quod licet agere vel omittere, vel per contrarium. V. g. An dubitanti, vtrum votum vel iuramentum à ſe emiſſum fuerit liceat non implere? Iſte enim dubitat de veritate antecedentis à quo, ſi reſolueretur planè ſequebatur vtrum liceret, vel non omittere implementum voti. Quæritur ergo, ſuppoſito quod reſolutionem habere non poteſt à vero fonte,

vt ita dicam vel circa ipſam rei naturam, vt dixi ſupra num. 13. verſ. Dicendum, poſſit illam habere ab alia cauſa, & qualem reſolutionem habere debeat. De dicto exemplo agit Diana, qui plures de more citat dicta 4. part. tract. 3. reſol. 10. ſimiliter proprium eſt exemplum de dubitãte, an detur impedimentum dirimens matrimonium & quærente, an ſtante dicto dubio illud contrahere poſſit? De quo Diana vbi ſupra reſolut. 17. Item de dubitante die Iouis, an iam ſit media nox, & quærente vtrum ſtante dicto dubio poſſit adhuc edere carnes? vel per contrarium de dubitante die ſabbathi, an iam ſit media nox, & quærente an ſtante illo dubio ſibi liceat iam comedere carnes, quaſi iam ſit dies dominica? De quo Diana vbi ſupra reſolut. 18. & poſt eum Arriaga dicta diſp. 25. num. 53. Item de dubitante an comederit vel biberit poſt mediam noctẽ præcedentem, & quærẽte an ſibi liceat cõmunicare? De quo Sanch. de matrimon. lib. 2. diſput. 41. num. 40. Arriaga dicta

Digitized by Google

diſp. 25. num. 54. & ſequenti. Item de dubitante an expleuerit vigeſimum primum annum, & quærente vtrum ſtante dicto dubio ſibi liceat non ieiunare? De quo Diana vbi ſupra reſolut. 21. & poſt eum Arriaga dicto num. 53. Item de dubitante an lex aliquid in talibus terminis prohibeat & quærente, vtrum ſtante illo dubio ſibi liceat illud agere? De quo Diana vbi ſupra num. 22. Item de dubitante, an ex ſuo conſilio ſecutum ſit homicidium, & quærente vtrum ſtante dicto dubio poſſit miniſtrare, tamquam non irregularis? De quo Diana vbi ſupra reſolut. 28. Item de depoſitario dubitante, an res depoſita ſit culpa ſua amiſſa, & quærente an ſibi liceat non illam reſtituere? De quo Diana vbi ſupra reſolut. 30. Item de patre dubitante, an votum filij familias ſit emiſſum ante pubertatem, & quærente, an ſtante illo dubio, ſibi liceat illud irritare? De quo Diana vbi ſupra reſolut. 37. & poſt eum Arriaga dicta diſput. 25. num. 56. Item de dubitante de iuſtitia tributi à Rege

impoſiti & quærente, vtrum ſibi liceat ſtante illo dubio omittere ſolutionem? De quo Diana vbi ſupra reſolut. 39. Item de Principe dubitante de iuſtitia belli, & quærente an ſibi liceat illud mouere? De quo Diana vbi ſupra reſolut. 50. Item de dubitante an ſit excommunicatus, & quærente vtrum ſtante illo dubio ſibi liceat audire miſſam? De quo Diana vbi ſupra reſolut. 66. Item de dubitante an omiſerit aliquem pſalmum vel horam, & quærente vtrum ſtante & permanēte illo dubio, ſibi liceat illa non repetere, ſiue dicere? De quo Diana vbi ſupra reſolut. 68. Quem tantùm in iis cito, breuitatis gratia, ipſe enim omnes alios, quos etiam aliàs facillimè inuenies, diligentiſſimè refert. Plures etiam controuerſias ab eodem adductas omitto, quia vel prædictis ſimiles omnino ſunt, & eodem prorſus modo reſoluendæ. Vel quia non pertinent ad præſentem quæſtionem ex dictis, & latè animaduerſis numeris præcedentibus, quæ ſemper præ oculis ſunt habenda. Po-

Digitized by Google

ſui ex inſtituto omnia exempla in terminis, quibus altera pars ex ſe tuta eſt, & ſi operans vellet, illam amplectere tutiſſimè poſſet. Item ſemper ſuppoſui dubium permanere circa antecedens, ſiue, vt dicunt, ſpeculatiuum à quo pendet reſolutio circa practicum, vt dicunt, id eſt an liceat & eodem propoſito non confundendi, dixi ſemper in exemplis. Et quærit vtrum, &c. vt diſtinguerem quæſtionem reſoluendam, à dubio permanente, nam vt dixi num. 7. 21. & aliis, aliud & maximè diuerſum in propoſito eſt dubium, aliud quæſtio. Illud permanet & eſt circa quod verſatur quæſtio; Hæc verò deciditur, vnde quamuis vulgariter dicatur dubium etiam illud, quod poſtea reſoluitur & antea proponitur vt quæſtio, tamen in propoſito omnino obſeruanda eſt dicta differentia, & quæſtio non eſt appellanda dubium, ne confuſio oriatur. ¶ Tandem ex inſtituto dixi ſemper & formaui quæſtionem an liceat agere vel omittere, nam quamuis, quando quæritur an omit-

tere poſſit, communiter ſoleat quæri, an teneatur agere & in idem recidat vtraque quæſtio, tamen propria quæſtio eſt: Vtrum in dubio liceat vel ſit agere vel ſit omittere; Vnde & quia huiuſmodi modus proponendi quæſtionem & illam reſoluendi poterit, fortè non parum claritatis adducere ad ea, quæ infra dicemus, illo modo, formandam eſſe aptiùs putaui.

32. *Sic igitur* diſcretis terminis propriis & principalioribus quæſtionis noſtræ, illam quidem reſoluere difficillimum eſſe, ex eo etiam conſtat, quia non ſolùm in contrarias vel diuerſas ſententias ſe ſcindunt Auctores circa principia & fundamenta, ex quibus reſolutio pendet, vt ſupra vidimus, ſed etiam ipſi, qui in principiis & fundamentis vnius reſolutionis & doctrinæ concordant, illa applicando ad ſpeciales caſus & controuerſias, mirum in modum diſſentiunt, ita vt vix ſit aliqua quæſtio circa quam diſcordia non inueniatur, cùm enim difficillimum ſit aſſignare, ſiue potius excogitare poſſeſſionem

pro aliqua partium, quaſi ad arbitrium ij pro præcepto, illi pro libertate eam conſiderant. Ego quidem in tanta difficultate veriùs credo, in dubio licere omittere, at non licere agere. Quando ergo præceptum dubium eſt affirmatiuum, ſiue poſitiuum & ſic obligans ad aliquid agendum licet omittere, nec tenemur agere. Per contrarium, quando dubium præceptum eſt negatiuum, non licet dubitanti omittere præceptum & contra illud agere, vel, quod idem eſt, alio modo explicatum. Pręceptum dubium de faciendo non obligat dubitantem ad faciendum. Præceptum verò dubium de omittendo, obligat dubitantem ad omittendum. Non ergo licet dubitanti agere aliquid, de quo dubitat an ſit prohibitum. Sicut per contrarium non cogitur ad faciendum illud, de quo dubitat an ſit pręceptum.
¶ Aduertendo rationem dubitandi, an aliquid ſit prohibitum, ſiue pręceptum prouenire ex antecedenti irreſoluto, ſiue in facto, ſiue in iure conſiſtenti & aliquando remoto, vt iam

ſæpè expoſuimus & adhuc inferiùs patebit per exempla & caſus examinandos & decidendos. ¶ Item attentè conſiderandum, quod tandem preceptum offendi timetur, an verè ſit affirmatiuum, id eſt de faciendo: an verò negatiuum, id eſt de omittendo. Quod inferius explicabimus numero 46.

35. *Moneor, nam,* cùm datur dubium, vtriuſque partis par cauſa eſt, vt omnes agnoſcunt, vnde attendendum eſt, quis ſubeat vices Actoris, quis verò rei, nam in pari cauſa rei potior eſt conditio, vt benè deducitur ex text. in cap. fin. de ſentent. & re iud. & in regul. In obſcuris. de regul. iuris in 6. Immo regulæ in pari eodem tit. deciſio verè procedit, quia poſſeſſor eſt reus. Agnoſcit fundamentum Sanch. dicto cap. 10. num. 11. dicens in dubio fauendum eſſe reo. Ex eadem ergo ratione ex qua in foro iudiciali reus in dubio non cogitur ad faciendum vel dandum, & per contrarium, quando vicem actoris ſuſtinet non vincit. Ita ſimiliter in foro

interno hęc procedunt. Nam ibi quædam lis agitur inter voluntatem & præceptum, ſiue legem diuinam, iudice recta ratione. Quando ergo voluntas aliquid agere vult, habet ſe tamquam actor, vnde probare debet licitum eſſe opus illud, vt iudex, (ſcilicet recta ratio) iudicet ſibi conceſſum eſſe agere; quando autem id plenè non probat, ſiue oſtendit vel plenè probat rationibus, ſiue fundamentis vel auctoritatibus: at præceptum, ſiue lex diuina ex aduerſo ſtans tamquam reus, ſimiliter contrarium oſtendit, & ſic reſultat dubium: Iudex in dictis terminis pro reo iudicat, negando ſcilicet actori, quod reo nocet & ſic lex diuina, ſiue præceptum vincit. ¶ Neque dicas, ſiue exiſtimes poſſeſſionem eſſe pro libertate voluntatis, ac per conſequens illam rei vicem ſubire & præceptum, ſiue legem diuinam debere concludenter oſtendere, voluntati non licere agere, quod vult. Vnde cùm id non oſtendat, vt ſupponimus, cùm res maneat dubia, debere voluntatem in ſua libertate

naturali remanere, ſecundum quam licet illi agere quicquid non oſtenditur prohibitum, ac ſic pro ea iudicandum eſſe. Qua quidem ratione expreſſa vel ſuppoſita paſſim Doctores vtuntur & ſecundum eam caſus decidunt & doctrinas tradunt. Eam præcipuè fundat Suar. de relig. tom. 2. tract. 6. lib. 4. cap. 2. à num. 8. & poſt eum citati ſupra num. 10. & ferè omnes.

34. *Verum totum* ferè huius rei pondus conſiſtit in eo, an prædicta doctrina, ſiue ſuppoſitio vera ſit, an falſa, id eſt vtrum homini Chriſtiano liceat agere quicquid certo vel ſaltem probabiliter illi non conſtat prohibitum, & ſic quamuis dubitet, an ſit permiſſum. An per contrarium ſibi tantùm liceat agere illud, de quo ſibi certò vel probabiliter conſtat eſſe permiſſum vel quod idem eſt, non prohibitum? In quo difficili articulo, ego quidem exiſtimo hoc vltimum verius eſſe. Moueor 1. quia illud Diui Pauli; *Omne, quod ex fide non eſt, peccatum eſt*; ſecundum Sayr. dicto

lib. 1. Clau. Regiæ. cap. 13. num. 3. & alios, ſignificat, neceſſarium eſſe ad licitè operandum, ſcire actionem eſſe bonam & permiſſam, non autem ſufficere neſcire eſſe malam. 2. quia, vt dicebamus num. præcedenti, voluntas ad agendum ſubit vices actoris, ac per conſequens debet oſtendere actionem eſſe bonam, non autem ſufficit oſtendere non probari malam. 3. Quia, vt probaui cap. præcedenti num. 95. & adhuc probabo num. 38. dubium proprium & verum de quo loquitur principium illud: *In dubiis tutius eſt eligendum*, tunc contingit, quando pro vtraque parte rationes dantur, at vel propter earum inſufficientiam, vel propter vim contrariarum, aſſenſum non cogunt vel aſſequuntur. Cùm ergo dentur rationes pro ea parte, quæ aſſerit aliquid eſſe prohibitum, vel antecedens ſe habere illo modo, quo ſequitur eſſe actionem prohibitam, quamuis ſimiles in contrarium dentur, cur iſtæ illis præferendæ, vt iuxta has & non iuxta illas formetur conſcientia, cùm in dubio

religioni ſit fauendum, vt ait Iuriſconſult. in l. ſunt perſonæ. ff. de religioſ. &c. 4. quia actio ex quocumque deffectu fit mala, bona verò nõ ex integra cauſa, iuxta vulgatú axioma. Cùm ergo operans conſideret rationes ſuadentes malam, ſiue prohibitam eſſe actionem, licet ſimiles contrarium ſuadentes conſideret, potius debet, vt prohibitam & malam, quàm conceſſam & bonam actionem illam iudicare. 5. quia non videtur dicendum, non minus mihi licere agere illud, de quo dubito an ſit permiſſum, & ſunt rationes æquales ſuadentes prohibitum, quàm illud, quod poſitiuè bonum & permiſſum iudico ſine nullo dubio. 6. quia ſicut quando volo omittere aliquid allego, quod non conſtat eſſe præceptum, quia dubium eſt, an præceptum ſit & ſic excuſor: ſic per contrarium, vt æqualitatis ratio ſeruetur, quando volo agere contra pręceptum dubium, lex diuina allegat in dubio contra eam non eſſe agendum, & iure allegare videtur. Et in effectu hanc partem

probant iura omnia, quæ in dubio tutius eligendum eſſe decernũt, nempe text. in cap. Ad audientiam, & in cap. Significaſti. el. 2. de homicidio; & in cap. Iuuenis de ſponſal. in quibus omnibus iuribus termini quęſtionis erant in caſu, quo dubitans agere volebat, ſcilicet miniſtrare in ordinibus ſuſceptis vel de nouo ſuſcipere. Item vti ſecundo matrimonio, dubitando de valore prioris, & tamen deciditur illi non licere agere, quia id minus tutum erat, ſed omittere debere, quod tutius erat. Similiter idem deducitur ex text. in cap. Dominus. de ſecund. nupt. & in cap. Inquiſitioni de ſentent. excom. de dubio intellecto, prout plures intelligũt, vbi dubitans de valore matrimonij, debitum petere non poteſt. Si ergo dubitans, iuſtè vtitur ſua libertate, & illius poſſeſſio ipſi prodeſt in dubio, vt agat quicquid non cõſtat prohibitum, cur prohibetur debitum petere? Eandem partem probant omnes illi, qui defendunt poſſeſſionem aut libertatem non prodeſſe, ac ſemper in dubio (excepto

tantùm poſſeſſore in materia iuſtitiæ) tutiùs ſequendum, quam tamen reſolutionem ſine diſtinctione non probo, nam non dubito licere omittere rem, vel actionem de qua dubitatur an ſit precepta, ſicut enim aſſero in dubio non licere agere, ſic per contrarium dico in dubio omittere licere vel quod idem eſt non teneri ad faciendum. Melius probatur eadem pars per ea, quæ ſcribit idem Suar. defenſor contrariæ partis, de cuius fundamentis ſtatim tractabimus 1. 2. tract. 3. diſput. 12. ſect. 3. num. 5. in princip. vbi dicit. Ad malam operationem non requiri iudicium certum de malitia, ſed ſatis eſſe, quod homo voluntariè operetur ſine iudicio certo de honeſtate: Nam licet illud dictum poſſit intelligi de eo, qui ex conſcientia practicè, vt inquiunt, dubia operatur, tamen eadem prorſus ratio petit, vt ſtante dubio an opus à parte rei ſit prohibitum, dicatur non licere, quia non habetur iudicium certum de illius permiſſione.

35. *Neque obſtant fundamenta*, quæ

Digitized by Google

pro contraria parte conſiderant Authores, præcipuè Suarez, qui eam latè fundare conatur dicto 2. tomo de relig. lib. 4. cap. 5. per tot. Neque ſolutiones ab eo aſſignatæ, ſoluũt aliqua argumenta ex ſupra conſideratis pro parte quam defendimus, ſcilicet non licere agere illud, de quo dubitamus an ſit prohibitum. Et ante aliud aduerto, me quidem non dubitare veram eſſe reſolutionem dicto loco à Suar. traditam, videlicet dubitantem, an emiſerit votum non teneri ad implementum, ſi votum dubium, de faciendo ſit, quod rectè probant aliquæ ex rationibus ibi factæ. At aſſerere volenti agere contra dubium votum de omittendo, non licere. Impugno ergo doctrinam ibi à Suario traditam, quatenus generaliter probare contendit, in dubio licere operari, libertatiſque poſſeſſionem prodeſſe, tam ad omittendum, quàm ad agendum. Non ergo primò aliquid probant argumenta, quibus neruosè contendit probare, poſſeſſionem libertatis prodeſſe ad operan-

dum in dubio in materia cæterarum virtutum, ſicut vera poſſeſſio prodeſt in materia iuſtitiæ. Nam multipliciter reſpondetur. 1. veram etiam poſſeſſionem in materia iuſtitiæ, non prodeſſe in dubio ſui virtute, ſed quia reddit reum poſſidentem, & cùm præceptum dubium ſit de faciendo, ideſt de reſtituendo non cogitur facere, ſed poteſt omittere iuxta diſtinctionem à nobis factam. Vnde ratio illa de qua Suar. dicto loco num. 8. ſcilicet, quod propter ſolum dubium, non ſint immutandæ res ab antiquo ſtatu, optima eſt ad probandum in dubio, neminem eſſe cogendum ad faciendum, quod nos concedimus. At eodem modo probat in dubio, an ſit permiſſum, neminem poſſe facere, quod hic contendimus. Quod patet, ſi attentè aduertatur, antiquum rei ſtatum non eſſe facere, ſed omittere, & in hoc ſtatu hominem naſci, neque per operationes poſtea à ſe factas, aut per omiſſiones acquirere ius aut etiam poſſeſſionem faciendi vel non faciendi quantum ad

effectus fori interni, vt patet, & diximus exemplificando num. 20. Reſpondetur 2. poſſeſſionem nihil prorſus prodeſſe in foro interno vbi veritas, non præſumptio, quæ in foro externo eſt pro poſſeſſore attenditur. Et quamuis in dubio de veritate non conſtet, tamen conſtat non eſſe certum, poſſeſſorem ius habere: ſed æquè dubium, & ita res hæc maximè diuerſo modo apparet in foro interno, quàm in externo, & ſuccedunt dicta ſupra num. 23. Reſpondetur 3. poſſeſſionem, ſiue præſumptionem, caſu quo prodeſſe conſiderari poſſunt, mutare terminos, & potius eſſe cauſas non dubitandi ſpeculatiuè, quàm ad operandum ſtante dubio ſpeculatiuo, vt probauimus ſupra num. 19. & 21. Ad illam autem rationem num. 9. ab eodem Suar. factam, ſcilicet in voto dubio eſſe quandam æqualitatem inter obligationem dandi, ſeu faciendi, & poteſtatem non ſoluendi, reſpondetur concedendo ita eſſe, at per id ipſum nec cogi dare vel facere, quod votum dubium,

ſiue aliud præceptum dubium petit. Neque per contrarium poſſe facere, quod votum, ſiue aliud, præceptum dubium prohibere timetur? ¶ Ad illud argumentum de quo idem Suar. dicto loco num. 12. ſcilicet dubitantem de voto, habere eius inuincibilem ignorantiam, ac per conſequens conſeruari debere hominem in libertate faciendi vel non faciendi, quam antea habebat, quia cùm habeat dubium negatiuum voti, re vera non ſcit ſe habere votum, ergo habet ignorantiam negationis de tali voto, ad quam neceſſarium non eſt ſcire, votum non eſſe, ſed ſatis eſt non ſcire votum eſſe, aliàs nemo ignoraret votum, niſi qui errans exiſtimaret ſe non habere votum. Reſpondebimus infra ſeparatim num. 38. ſupponit enim, & aſſerit plura, quæ fusè, clarè, & diſtinctè examinare oportet. ¶ Illa autem ratio de qua num. 13. pro nobis optimè facit, eodem modo quo ſupra diximus de ratione facta ab eodem dicto num. 9.

36. Neque, vt dicebam, ſolutiones

datæ fundamentis contrariæ partis ab eodem Suario dicto 2. tomo de relig. lib. 4. cap. 14. à num. 14. efficaces ſunt: nam ad illud fundamentum, quod ſcilicet iura diſponunt in dubiis tutiorem partem eſſe eligendam, reſpondet, quærendo vtrum locum habeat in materia iuſtitiæ, quaſi cùm dici non poſſit ibi locum habere, apertè concludat ex hoc apparere non eſſe generale, & fieri poſſe, vt eo non obſtante minus tutam partem eligere liceat: Apertè ſentiendo principium illud ſolùm de conſilio eſſe, quando poſſeſſio vel alia iuſta cauſa aut ratio interuenit, ſecundùm quam formatur prudenter iudicium practicum certum licere, non obſtante illo dubio ſpeculatiuo, vt dicunt, vel vt nos dicimus, circa antecedens. Immo quando nulla ex dictis cauſis interuenit, & nihilominus vident Auctores dicti iura illud principium probare, & ſecundum illud decidere caſum pro foro interno, vt in dicto cap. ſignificaſti & in cap. Ad audientiam de homicid. Reſ-

pondent idem Suarez num. 16. remiſſiuè. Sanch. dicto cap. 10. num. 15. & 42. Arriaga dicta diſput. 25. num. 19. ſpeciales fuiſſe deciſiones, ob rationes ab ipſis excogitatas. Verùm replicatur efficaciter, negando in primis principium illud: *In dubiis, &c.* locum non habere generaliter in materia iuſtitiæ, nam conſtanter aſſerimus locum habere, vbicumque dubitans agit, veluti petit legatum, rem vel ius de quo dubitat, an ſibi debeatur vel etiam oblatum recipit, vt diximus ſupra num. 19. & generaliter quoties dubitans, ſiue in materia aliarum virtutum, ſiue etiam in materia iuſtitiæ vult agere, ex qua ratione rectè & ſine illa ſpecialitate, procedunt iura ſupra citata, immo etſi iura id non deciderent, rationes ipſæ naturales, ac legitimè factæ ſupra num. 34. id conuincerent. Neque rectè in illis iuribus adduceretur principium illud adeò generaliter, niſi Pontifices ſentirent illud generaliter habere locum in terminis, in quibus dubitans vult agere il-

lud de quo dubitat an ſit permiſſum: Neque vllum ſpecialitatis ſignum ex dictis iuribus colligitur. ¶ Non ergo etiam vrget illa inſtantia, quam Suar. dicto num. 14. facit, ſi concedatur, prout nos concedimus, cum diſtinctione ſupra dicta, principium illud habere locum in materia iuſtitiæ, dicens, quod ſi locum habet, & nihilominus certum eſt non obligare poſſeſſorem ad reſtituendum, etiam poterit in aliis materiis locum habere, & tamen non ſemper ex præcepto obſeruari debere, ſicut non obſeruatur in dicto caſu: Nam reſpondetur, libenter nos concedere, in primis finem dictæ inſtantiæ, ſcilicet dubitantem, an emiſerit votum non cogi ad faciendum illud, de quo dubitat an promiſerit. Deinde generaliter non eſſe dubitantem cogendum ad faciendum. At negare licere agere contra votum dubium de non faciendo, in quo tota vis & ratio differentiæ conſiſtit, vt ſupra, non ſemel diximus, & expoſuimus. Præterea reſpondetur non ſequi: In dubio in materia

iuſtitiæ

iuſtitiæ prodeſt poſſeſſio, ne dubitans teneatur tutiorem partem eligere, quæ eſt reſtituere, ergo in omnibus aliis materiis eodem modo debet prodeſſe poſſeſſio; Nam in aliis materiis impropriiſſimè conſideratur poſſeſſio, & eſt adeò excogitatum refugium, vt ipſimet illius aſſertionis Authores, paſſim inter ſe diſſentiant in reſoluendo pro qua parte, in peculiaribus exemplis ſit poſſeſſio, quæ ſolùm tunc propriè & clarè locum habet & cognoſcitur, quando verè res poſſidetur corporalis ſiue incorporalis, quaſi poſſidetur per vias & modos in iure aſſignatos, qui conſiderari nullo modo poſſunt pro foro interno, vt dicamur eſſe in poſſeſſione libertatis faciendi vel omittendi, vt probauimus & exemplificauimus ſupra num. 20. ¶ Ad illud autem quod addit Suar. dicto num. 14. verſ. Dico; & ſentit Sanch. dicto cap. 10. num. 15. verſ. Ad ſextum; ſcilicet axioma illud: *In dubiis tutius eligendum*, tunc præceptum continere, quando dubium eſt practicum, & eo modo

ſumptum in quacumque materia locum habere: doctrinam autem & controuerſiam procedere, quando dubium eſt ſpeculatiuum, cum quo benè ſtat iudicium certum practicè non eſſe peccatum, &c. Reſpondetur multipliciter & efficaciter, in primis negando principium illud habere locum, quando dubium eſt practicum: tunc enim iam ipſa conſcientia eſt dubia, neque iam vlla quæſtio remanet, neque alia reſolutio haberi poteſt, vt notanter admonuimus, & probauimus cap. 1. num. 26. & 27. & 31. & ibi citatis, & ſupra hoc cap. num. 4. Neque certum eſt cum tali dubio practico operantem mortaliter peccare, vt idem Suar. ſupponere videtur, quod probauimus dicto cap. 1. num. 27. 31. 44. & ſupra hoc cap. num. 4. Negando quoque iura dictum principium adducentia, loqui de dubio practico: non enim reſpondent Pontifices, quod illi qui dubitant an ſibi liceat miniſtrare, quia dubitant an ſint irregulares, debent tutius eligere & non miniſtrare, ſed

decidunt & reſpondent, quod ille qui dubitat an homicida fuerit, & ſic ſpeculatiuè, vt dicunt, id eſt circa antecedens, debet putare, id eſt conſcientiam formare ſibi non licere miniſtrare in ſuſceptis ordinibus, aut de nouo ſuſcipere, quia in dubiis (id eſt ſpeculatiuis) tutius eſt eligendum, quod eſt formare conſcientiam non ſibi licere. Rectè ergo iura pertinent ad propriam, & veram quæſtionem de conſcientia formanda, non ad quæſtionem de conſcientia formata, quæ nihil difficultatis patitur, ſed omnibus apertiſſima eſt, & ad iuris & rationis naturalis, non verò poſitiui regulas pertinens, vt notaui cap. 1. num. 45. Concedo quidem quæſtionem, & Controuerſiam, de qua agimus procedere, quando dubium eſt ſpeculatiuum, & rectè eo ſtante circa veritatem à parte rei, poſſe ſtare iudicium certum, ideſt conſcientiam licere vel non licere, iuxta dicta, & explicata ſupra num. 12. & 13. At in hoc tota eſt difficultas, qualiter ſcilicet formanda ſit

conſcientia, & concipiendum iudicium practicum (ſtante dubio circa ſpeculatiuum, ſiue potius antecedens) nempe licere vel per contrarium non licere; De hoc autem tractamus in præſenti; vnde ſupponi non debet tanquam certum licere, id ipſum de quo eſt controuerſia, & ex eo tanquam ex certò argui, vt hic facit Suar. ſupponendo certum eſſe in dubio voti, illud non ſeruare licere, ac ſic ibi non habere locum principium illud: *In dubiis, &c.* Nam quamuis fateamur votum dubium de faciendo non obligare dubitantem, tamen non concedimus dubitantem agere vel facere poſſe illud, de quo dubitat an ſit contra præceptum dubium de non faciendo ex dictis, & repetitis numeris præcedentibus.

37. Non etiam legitima videtur ſolutio, quam idem Suar. dicto loco num. fin. & Sanch. dicto cap. 10. num. 15. ad finem aſſignant, ad illud fundamentũ partis contrariæ: Quod ſcilicet ſi conſideretur poſſeſſio pro libertate agendi, & omittendi (quo-

Digitized by Google

modo eam expreſsè conſiderat Suar. dicto loco num. 16. & cæteri illius partis defenſores ſupponunt apertè) numquam in dubio ſequendum neceſſario erit tutius: nam ſemper pro libertate videtur ſtare poſſeſſio. Reſpondent enim, principium illud: *In dubiis, &c.* in primis ſemper locum habere, quando dubium eſt practicum. At quàm parum valeat huiuſmodi reſponſio, patet ex dictis num. præcedenti verſ. *Reſpondetur multipliciter*, ex quibus conſtat principium illud, aut præſentem quæſtionem locum nullo modo habere, niſi quando dubium eſt ſpeculatiuum. Reſpondent præterea tunc locum habere, quando cætera ſunt paria, ſeu ex neutra parte intercedit poſſeſſio, aut peculiare ius vel ratio, quæ practicè conferat ſecuritatem ac certitudinem. At ego non video, nec illi Authores ibi aſſignant exempla in quibus non ſit poſſeſſio pro libertate, cùm enim, vt ſupponunt, iſta cum homine naſcatur, & cum comitetur, nec ſit neceſſarius aliquis actus

Digitized by Google

ad eam acquirendam, neque aliquis poſſit conſiderari, per quam illa amittatur, non ſatis percipio qualiter illa priuari poſſit homo, niſi per præceptum certum: dubium enim, vt ſupponitur regulariter ad id non ſufficit, ſin autem aliquando non ſufficit non conſidero quando ſufficere dicendum ſit, cùm cauſa perpetua vel ſemper vel numquam ſuos effectus producere debeat. Quibus ergo caſibus dicitur poſſeſſionem eſſe pro præcepto, potius dicendum eſſet ius eſſe pro præcepto, nam per ius vnius partis, alterius, & contrariæ poſſeſſio vincitur, non autem per poſſeſſionem vnius vincitur poſſeſſio alterius, neque enim poſſeſſio pro vtraque parte eſſe poteſt ex text. in l. 3. §. ex contrario ff. de acquirend. vel amit. poſſ. Cùm ergo, ſi pro libertate conſideretur poſſeſſio, hæc, vt natiua ſemper hominem comitetur, numquam poſſeſſio in contrarium conſiderari poteſt, neque illam priorem vincere, ſed tantùm poteſt vinci per ius partis contrariæ, quod tamen ius non re-

ſultat ex præcepto dubio, ſed ex certo, aliàs ſemper etiam poſſeſſio eſſet pro dubio præcepto, quod negare neceſſe eſt. Minus video qualiter aliquando conſideretur par vtriuſque partis cauſa, & pro neutra poſſeſſio, cùm tamen Sanch. dicto cap. 10. num. 13. lato calamo contendat aſſignare regulam, vt ſemper cognoſcatur pro qua parte ſit poſſeſſio, quæ ſi aliquando deficit, ad poſſeſſionem pro libertate ipſe, & frequenter alij omnes ferè recurrunt. Si ergo ſemper conſideratur poſſeſſio pro altera partium, & illa præfertur, quando, precor, vtraque par conſideratur, & pro nulla poſſeſſio? Deinde ſi poſſeſſio pro altera parte datur, ceſſat dubium, vt non ſemel dixi & probaui, præcipuè num. 21. Sanè hæ poſſeſſionum conſiderationes præcipuè pro libertate faciendi, vtpotè liberè excogitatæ, & inuentæ nullam vim aut conſiſtentiam habent, quod adhuc inferiùs dicetur, quando illationes fecerimus ad caſus particulares, quos ex dictis conſiderationibus Authores

decidunt. Manet ergo vim habere argumentum pro contraria parte ab inconuenienti deductum, quod ſcilicet, ſi poſſeſſio pro libertate conſideratur, numquam verificabitur vel locum habere poteſt principium illud: *In dubiis, &c.*

38. Reſtat reſpondere ad argumentum tactum ſupra num. 35. verſ. Ad illud, vbi promiſimus de eo hic ſeparatim agere, quia diſtincta eget tractatione. Ait ergo Suar. dicto 2. tomo de relig. lib. 4. cap. 5. num. 12. quod dubitans an emiſerit votum, habet eius inuincibilem ignorātiam, quia habet dubium negatiuum, &c. Quod quidem dictum, ſi verum eſt, procedit generaliter & probat dubitantem, poſt diligentiam factam manere in ignorantia inuincibili præcepti, ac per conſequens nunquam eo obligari ad faciendum vel omittendum, ac perinde nunquam tutius, id eſt quod præceptum dubium iubet, eligere debere. Verum ſi illud dictum iure fundatur, etiam facit contra eius Authorem, nam ſic non reſtant ter-

Digitized by Google

mini in quibus dubitans non ſit in ignorantia inuincibili, ac per conſequens nunquam obligabitur, cuius tamen contrarium ſæpè accidere, fatetur idem Suarez, præcipuè num. fin. Præterea in vanum fatigatur in quærendis aliis rationibus, & probanda poſſeſſione pro libertate in dubio: nam ſi iſte eſt in ignorantia inuincibili, manifeſtum eſt ipſum non obligari, nullaque alia cauſa ad eum excuſandum neceſſaria eſt; immo non eſt dubitans, ſed errans, vt ſtatim dicemus. ¶ Cæterum nullo modo dici poteſt dubitantem, etiam poſt factam diligentiam, & nihilominus dubio permanente, ignorantiam inuincibilem habere, ſic enim non differret dubitans ab ignorante & errante, & doctrina circa dubium ſerio tradita, vana eſſet, vtpotè pertinens ad materiam conſcientiæ erroneæ. Quæ dicta ſunt magis procedunt contra ipſum Suarez, qui dubium poſitiuum potius eſſe probabilitatem vtriuſque partis autumat ibidem num. 5. quod etiam ſentit Sanch. dicto cap. 10. num. 35.

& alij. Si ergo dubium poſitiuum eſt probabilitas, non dubium : & dubium negatiuum eſt ignorantia inuincibilis, non dubium : quando, precor, dubium conſideratur, pro cuius materia adeo ipſi & alij Authores inſudant ? Vnde prorſus negamus quæſtionem noſtram vel generaliter doctrinã de dubio, locum habere in dubio, quod negatiuum dicunt, & potius neſcientia dici debet, quod latè rationibus & auctoritatibus pręcipuè Diui Thomæ, probaui cap. præcedenti num. 95. Hic addendo quando dubium eſt circa ius manifeſtius videri non poſſe conſiderari, niſi rationibus pro vtraque parte conſideratis: quod latiſſimè probaui cap. præcedenti. §. 3. per tot. vbi num. 91. plures auctoritates ipſorum Authorum contrariam partem defendentium citaui. Quando verò eſt circa factum etiam dari non poſſe, niſi ex rationum contrariarum concurrentia, patet non ſolum ex dictis dicto cap. 2. num. 95. ſed etiam ex eodem caſu dubitantis an emiſerit votum, de quo agit

Suar. dicto loco. Nam ſi nullam rationem, ſiue auctoritatem conſidero pro vel contra an emiſerim votum, quonam pacto vel cauſa inducar in dubitationem an votum emiſerim? Aliàs etiam dicerem me dubitare, vtrum furtum commiſerim vel homicidium, cùm tamen nullum motiuum habeam ad inducendũ dubium. Certè tunc dubitarem de voto emiſſo, quando aliqui fide digni mihi teſtificarentur, ſe præſentibus tali loco & hora me vouiſſe vel non ſolùm dixiſſe votum emiſſurum, vt ego contendebam, ſed cum effectu de pręſenti votum emiſiſſe. Totidem tamen etiam fide dignis & eodem tempore præſentibus, contrarium aſſerentibus vel aliis motiuis pro vna & altera parte concurrentibus. Sanè percurrendo omnia exempla, quæ circa Doctores controuertunt, an tutius eligendum in illo dubio, conſtabit in omnibus dubium reſultare ex fundamentis aut motiuis inſufficientibus, tamen ad generandum vel aſſequendum aſſenſum, aut ex ſe, aut propter

Digitized by Google

ſimilia in contrarium quoque conſiderata. Non ergo dici poteſt ignorantia inuincibilis, quando dubium interuenit, quod ab ea longè diſtat. Illud autem dubium, quod merè negatiuum dicitur, veluti an aſtra ſint paria, an Turca ſedeat, quod contingit quando pro neutra parte occurrit vlla ratio, vt ait Arriaga 1. 2. diſp. 27. num. 6. Quamuis ignorantia dici poſſit, tamen nullo modo ad rem pertinet, neque contingere poteſt circa ius vel facta noſtra, de quibus quando dubitamus ex eo eſt, quia aliqua ratio dubium excitat. ¶ Aduertendo pro coronide Suar. dicto loco num. 5. dubium negatiuum dicere, quando intellectus in vtramque partem eſt ſuſpenſus, & intelligere videtur id accidere, vel quando nulla ratio pro aliqua partium datur, in quibus terminis illud Authores alij conſiderant: vel quando dantur non ſufficientes ad generandum vel aſſequendum aſſenſum, quod ſanè non percipio quo iure dicatur, nam ſic excluditur caſus & non dantur termini in

quibus in vero dubio eſſe dicamur, nam vbicumque aſſenſus non datur, dicit eſſe dubium negatiuum, & ſic ignorantiam inuincibilem; vbi verò aſſenſus datur dicit eſſe probabilitatem, & ſic vero dubio locus non relinquitur, quod totum & aliæ plures implicationes ex eo procedunt & reſultant, quia termini in quibus verum dubium cõtingit (ſcilicet, quando rationes, etiam ex ſe dignæ aſſenſu, niſi ſimiles vel ferè eſſent in contrarium pro vtraque parte conſiderantur) attribuuntur probabilitati vtriuſque partis & ſic loco veri dubij perperam occupato, ad non ſuum illud transferre coguntur.

39. *Sic fundaueram* & ab impugnationibus liberaueram noſtram diſtinctionem, ſiue regulam, quam in hac re obſeruandam putamus, quando inueni idem ſenſiſſe Nicolaum Garcia de benef. 7. part. cap. 2. à num. 13. vbi ait, quod regula: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*; intelligitur generaliter, vt quis non poſſit facere id de quo eſt dubium an ſit prohibitum,

ſed debeat ab illo abſtinere: Non tamen procedit, quoad hoc, vt in dubio debeat quis ſpoliari, ſeu priuari re poſſeſſa vel facere actum poſitiuum, de cuius obligatione non conſtat. Et citando Sanch. & Suar. dicentes in dubio potiorem eſſe cauſam poſſidentis in omnibus materiis, addit illos Authores non percepiſſe vim primæ regulæ, ſcilicet ab ipſo traditæ, id eſt malè putaſſe, licere facere in dubio, quamuis benè putaſſe, licere omittere & non teneri facere. Inferens, in dubio voti diſtinguendum eſſe inter votum negatiuum de non faciendo, & dicens hoc eſſe ſeruandum, ſcilicet in dubio: Et inter votum affirmatiuum de faciendo, dicens, hoc non obligare. Et ſimiliter diſtinguendum eſſe inter præceptum negatiuum & affirmatiuum. Et proſequitur alia inferendo, & vtiliter declarando vſque ad num. 26. Cui quidem Auctori libenter ſubſcribimus, tam quia pro illa doctrina conſideramus rationes ſupra latè factas, quam quia noſtræ eſt profeſſionis & tamen

non putauit alienæ eſſe, iudicium de hac re proferre & ſuum protulit nouum quidem & optimè fundatum. Et mirum eſt recentiores ſcribentes de eo non meminiſſe, cùm adeo notabilem regulam pro re iſta tradat, ſolum enim inueni Dianam illum citantem dicta part. 4. tract. 3. reſolut. 10. verſ. ſed contrariam ad finem & ab eo diſcedentem, quatenus dicit dubitantem de voto negatiuo illo teneri: at nihil aliud dicit, neque eius notabilem diſtinctionem & nouam doctrinam ibi traditam refert, examinat aut impugnat. Non tamen illud Garciæ dictum euaſit cenſuram noſtri Doctiſſimi Collegæ & Conſultoris Inquiſitionis Eborenſ. quem iniqua ſors iis diebus ſuſtulit Eman. de Valle de Moura, nam in opuſculo de incitatione ſect. 2. cap. 16. num. 9. acriter mordet Garciam appellando, quaſi pro vilipendio, canoniſtam, dicendo, immo ipſum non intellexiſſe vim ſuæ diſtinctionis & minimum diſcipulum illorum Patrum (ſcilicet Suarez & Sanch.) eum arguere poſſe

facile probando legis ſubditum, non minus poſſidere ſuam libertatem ad faciendum, quàm ad omittendum, & probare contendendo exemplis, idem præceptum aliquando eſſe ſimul affirmatiuum & negatiuum, vt ſic concludat diſtinctionem Garciæ in illis non poſſe verificari. Verùm quia dicta reprehenſio nos quoque, qui Garciæ dictum probamus, comprehẽdit: reſpondemus, fortè ſapientiſſimum vallæ illam non adiecturum, ſi vidiſſet fundamenta, quibus Garciæ dictum (quod ipſe non fecit) probamus. Et illa quibus ſupra latè oſtendimus, poſſeſſionem libertatis eſſe excogitatam nullamque vim habere, vt contra præceptum dubium facere liceat. Ad inconueniens autem, quod conſiderat in eo, quod aliqua præcepta ſunt ſimul negatiua & affirmatiua, reſpondebimus infra num. 46.

40. *Reſtat reſpondere* ad text. in cap. Dominus de ſecundis nupt. ibi. *Debitum non deneget*, quamuis non adductum à contrariæ partis defenſoribus, ex quo tantùm textu poteſt ar-

Digitized by Google

gumentum, parum tamen vrgens, deduci contra illam partem in qua aſſerimus, in dubio non eſſe aliquem cogendum ad faciendum, nam contraria pars, ſcilicet non poſſe facere in dubio, nullo iure poteſt impugnari, immo pluribus confirmari. Videtur ergo, vt dicebamus, deduci ex dicto textu dubitantem de validitate matrimonij, propter dubium ſuperuiuentiæ prioris coniugis, debere reddere debitum coniugale, & ſic ad faciendum teneri, quod eſt contra noſtram reſolutionem: verùm reſpondetur præmittendo, in dubio tutiorem partem eſſe reddere, minus autem tutam denegare debitum coniugale, quod probat Sanch. de matrim. lib. 2. diſput. 41. num. 45. Vnde volente coniuge reddere, certum eſt ſibi licere. Dicendum ergo eſt 1. illorum verborum, *Non deneget*, ſenſum non eſſe, teneatur reddere, ſed non teneatur denegare, ſed reddat ſi voluerit, qui ſenſus confirmatur ex text. in cap. Inquiſitioni de ſentent. excom. ibi. *Debitum quidem reddere po-*

teſt, cùm enim ſecundùm Sanch. dicta diſput. 41. num. 45. & expreſſiùs Cou. de ſponſ. 2. part. cap. 7. §. 2. num. 7. textus ille intelligendus ſit de dubio, non tamen dicit Pontifex dubitantem teneri reddere, ſed poſſe. Quaſi dicat: etiam ſi reddere tutius ſit in dubio, quàm denegare, quia tamen in dubio nemo cogitur ad faciendum, coniux quidem dubius non tenetur reddere, ſed poteſt non obſtante ſcilicet periculo incidendi in fornicationem, nam in hoc minus malum conſideratur, quàm in periculo incidendi in iniuſtitiam de negando debitum illi, cui fortè debetur. Quia ergo dubitari poſſet an volenti reddere liceret, hæc quidem quæſtio deciditur, non illa an teneatur, quod magis confirmatur: nam text. in dicto cap. Dominus agit de caſu, quo coniuges matrimonio ſtare deſiderabant, pro quibus terminis non erat competens, quæſtionis, an teneretur reddere deciſio, non aliter, ac quando quæritur, vtrum alicui liceat comedere carnes vel non recitare horas canonicas,

dicatur teneri ad comedendum & non recitandum, non enim illa, quæ præſumuntur & ſolent eſſe licentiæ & preuilegia & conformia voluntati, aptè deducuntur in quæſtionem, an homo ad illa teneatur, neque de illis rectè dicitur teneri, ſed licere. Cùm ergo reddere debitum ſoleat de illis eſſe, quæſtio ſolet eſſe an liceat reddere, non autem an teneatur, niſi expreſsè ius exprimat coniugem repugnare redditioni, & quæſtionem eſſe an teneatur & decidat teneri, quod tamen ex textu aliquo deduci non poſſe exiſtimo. Vnde miror plurimos citatos à Sanch. de matrim. dicto lib. 2. diſput. 41. num. 45. reſoluiſſe coniugem in dubio valoris matrimonij, teneri reddere, & hoc non ſolùm probari expreſsè in dicto cap. Dominus, ſed etiam in dicto cap. Inquiſitioni; cùm tamen ille text. nullo modo dicat teneri, ſed poſſe reddere, quodquàm diuerſum ſit nemo non videt. ¶ Neque illam aſſertionem probat illud fundamentum, quod ſcilicet, reddere tutius eſt, nam eo conceſſo facilè reſ-

pondemus, in dubio neminem cogi ad faciendum, quamuis hoc tutius ſit, in hoc enim conſiſtit vis noſtræ regulæ & diſtinctionis ſupra latè probatæ, ſicut per contrarium in dubio non poteſt facere. Secundo reſpondetur, quod licet text. in dicto cap. Dominus ſit intelligendus, vt diſponat reddere teneri, neque ſic contrariari noſtræ reſolutioni: nam, vt præmiſimus ſupra num. 27. illa non procedit, & generaliter tutius eligendum eſt, quando homini nullum, vel parum damnum ex operatione reſultat: at ex contrario graue præiudicium aduerſario, vel religioni: Quod quidem non immeritò applicari poteſt ſpeciei, de qua agimus, cùm in reddendo debito non videatur poſt matrimonium ſemel conſumatum, conſiderabile onus imponi, & per contrarium ex denegatione, præiudicium ſe continendi, & non adimplendæ libidinis coniugi inferatur, cum periculo cum alia vel alio ſe comiſcendi vel aliter poluendi. 3. reſponderi poteſt titulum, & cauſam

producentem obligationem ad reddendum debitum certam eſſe, ſcilicet contractum matrimonij, excuſationem verò ad non reddendum dubiam, & ſic ſuccedere dicta ſupra num. 27. vbi præmiſimus in dictis terminis generaliter tutius eligendum, quod in noſtro caſu eſt reddere. Vnde quamuis ita procedat, & intelligatur text. ille tamen reſolutioni noſtræ non obſtat, cùm loquatur in terminis in quibus illa limitatur.

41. Sic diſtincta, fundata, atque probata noſtra reſolutione, contrariiſque impugnatis, iam conſtat qualiter, & in quo ab vnaquaque diſcedamus. Nunc ergo oportet caſus particulares ab Auctoribus, ſecundum ſuas ſuppoſitiones, deciſos examinare, & noſtræ reſolutioni applicare. Quod, vt clarè & diſtinctè perficiamus, percurremus caſus, quos retulimus ſupra num. 31. quaſi propriè pertinentes ad quæſtionem, & materiam de conſcientia dubia, iuxta ibi explicata. Deinde videbimus de aliis caſibus, quos à num. 28. di-

ximus non propriè pertinere ad materiam.

42. *Primò ergo* infertur ex noſtra reſolutione, dubitantem an emiſerit votum non teneri facere, ſi dubium votum ſit, vel conſideretur, de faciendo. Secus ſi ſit de omittendo, tunc enim facere non poterit contra votum dubium. Vtraque diſtinctionis pars confirmari poſſet non paucis Auctoribus, quamuis nullus principaliter eam probet. Prior quidem probatur in effectu à Suario Sanch. & aliis lato calamo citatis per Dianam dicta 4. part. tract. 3. reſol. 10. verſ. ſed contrariam, & ab illis omnibus, qui indiſtinctè aſſerunt in dubio poſſèſſionem eſſe pro libertate faciendi. Poſterior autem diſtinctionis pars probatur in effectu à Vaſq. Azor. Sayro, & aliis citatis à Diana, vbi proximè in principio, qui innittentes ſuo fundamento, quod ſcilicet extra materiam iuſtitiæ poſſeſſio non prodeſt, conſequenter aſſerunt, non licere agere contra votum dubium. At illorum, vel horum auctoritate

non cõfirmo noſtram diſtinctionem & reſolutionem, quia ab illis diſcedere cogor, non ſolùm in ratione decidendi, ſed etiam, quia illi poſteriorem noſtræ diſtinctionis partem; iſti verò, priorem impugnant. Alij namque aſſerunt licere facere vel omittere contra votum dubium: Alij verò non licere facere, neque omittere: Nos autem diſtinguimus, & aſſerimus licere omittere, at non licere facere contra dubium votum. Quam diſtinctionem & aſſertionem latè probauimus ſupra, contrarias impugnantes, quæ pro quolibet caſu repetere ſuperfluum & infinitum eſſet.

45. 2. *Infertur* dubitantem die Iouis an ſit iam media nox, & per conſequens iam incipiat ſequens dies, in qua non licet veſci carnibus; non poſſe ſine peccato illis veſci, iſte enim vult agere; & præceptum dubium eſt negatiuum, ſcilicet de non veſcendo carnibus, dubium autem fit, per id quod dubitatur an ſit dies, in qua illud præceptum viget. Hæc aſſertio

eſt contra communem, pro qua plures citat Diana vbi 53. reſolut. 18. & poſt eum eandem partem ſequutus fuit Arriaga 1. 2. diſput. 25. num. 53. At cùm diſcedamus à fundamento illorum Auctorum, & negemus libertatem ad faciendum in dubio, nihil mirum ſi negata cauſa, effectus negemus. Non tamen dubitamus Auctores defendentes generaliter poſſeſſionem non prodeſſe extra materiam iuſtitiæ, per conſequens negare prædictam communem doctrinam, licet non videam de hoc caſu in particulari egiſſe. Neque aliquid probat illa, quaſi temporis poſſeſſio, in qua ſe fundant illi Authores, dicentes horas antecedentes eſſe de die Iouis, vnde eſt poſſeſſio pro libertate edendi carnes, dum non probatur, vel conſtat iam intraſſe diem veneris. Qua conſideratione, & ratione idem ſimiliter reſoluunt de dubitante, an iam expleuerit vigeſimum primum annum, & in aliis ſimilibus caſibus, & exemplis. Nam reſpondetur parui momenti fundamentum eſſe illud, de poſſeſſione

ſione libertatis tempore præcedenti, nam ſi in eo præceptum non obligabat, id non procedebat ex poſſeſsione libertatis, ſed ex ipſo iure & certitudine defectus obligationis; Pro illo ergo tempore, in quo nullum dubium interueniebat, quamnam poſſeſsionem potuit acquirere libertas, vt dubio ſuperueniente dicatur poſſidere? Deinde, vt probauimus, etiam vera poſſeſsio ex ſe non prodeſt, & ſic multò minus illa, quæ excogitatur pro libertate & mutatur cum viciſſitudine temporis, ita vt die Iouis dicatur poſſidere libertas, die verò Sabbathi dicatur poſſidere præceptum. Tandem ad rei ſubſtantiam nihil intereſt, quod antecedenti tempore poſſeſſio, vel etiam ius eſſet pro aliqua parte, nam præſens attenditur, quo dubium eſt, an ſit adhuc dies Iouis, an verò iam ſit ſexta feria, ex quo pendet an ſit, vel non prohibitum carnibus veſci. Si ergo ſenſus eſt, quod prædictum dubium deponendum eſt, & exiſtimandum adhuc eſſe diem Iouis, quia non conſtat iam

Digitized by Google

eſſe feriam ſextam, hoc magis eſt dicere non præſumi temporis mutationem, vel pro die Iouis eſſe poſſeſſionem, quam pro libertate, quod quantam improprietatem contineat nemo non videt. Et ſic eſſet non dubitare, ac per conſequens quæſtio extra rem iuxta dicta ſupra num. 30. Sin autem ſenſus eſt, quod ſtante, & permanente dubio, licet formare conſcientiam peccatum non eſſe agere, quia paulò antea licebat, antequam dubium ſuperueniret, hoc quidem leuiſſima & inefficaci fundatur ratione, tum quia, vt dicebamus, tempus præcedẽs non attenditur, tum etiam, quia ſic ſequeretur, quod quia ego antea non dubitabam de præcepto, numquam eo tenerer, licet nunc dubitaſſem an me obligaret, vel quia heri eram in poſſeſſione petendi debitum, vel ſine ea, in libertate contrahendi matrimonij, vel contracti conſumandi, liceret hodie eadem vti libertate, quamuis ſuperueniret, dubium de valore matrimonij: vel quia heri eram in libertate mini-

Digitized by Google

ſtrandi in ſuſceptis ordinibus, liceret hodie in illis miniſtrare, quamuis ſuperueniret dubium an homicidum commiſerim, quod primũ eſt contra text. in cap. Inquiſitioni 44. de ſent. excom. Secundum verò contra text. in cap. Ad audientiam; & in cap. ſignificaſti el. 20. de homicidio; Et abſurdum eſſet illa aſſerere. Vnde alia, & noſtra fortior ratio conſideranda eſt pro reſoluendo, quid agendum ſit ſtante dicto dubio. Attendendum igitur eſt, quod ille, qui comedere vult carnes agere intendit, & vicem actoris ſubit, vnde probare debet apud rectam rationem, tanquam apud iudicem adhuc eſſe diem Iouis, ac per conſequens non prohibitum, aliàs non poteſt agere cùm dubitet in effectu, an ſit permiſſum illa hora comedere carnes. Quod etiam ex eadem ratione procedit, quando dubitans an adhuc ſit dies Sabbathi, an verò iam dies Dominica, vult carnibus veſci, nam ſimiliter puto ſibi non licere, in quo in effectu conuenio cum prædictis auctoribus, non

Digitized by Google

tamen in ratione qua fundantur, quia ſcilicet tunc præceptum poſſidet, ſed ex eo quia vult agere. Sin autem vellet omittere, veluti quia voto tenebatur orare à media nocte, vſque ad horam, non teneretur voto, & poſſet omittere orationem dum dubitaret, vtrum iam eſſet media nox, quia homo poteſt ſe negatiuè, & omittendo gerere, dum dubitat, quia in omittendo habetur tanquam reus, vnde vt cogatur agere neceſſe eſt, vt ex aduerſo probetur teneri agere, quod non accidit in dubio.

44. *Idem quod ſupra* contra communem diximus de dubitante an iam ſit ſexta feria, ex eadem ratione dicimus, etiam contra communem de qua Diana vbi ſupra reſolut. 21. de dubitante, vtrum iam expleuerit vigeſimum primum annum, vt teneatur ieiunare, nam licet videatur poſſe omittere, & non teneri facere, ideſt ieiunare, etiam ſecundum noſtram diſtinctionem & reſolutionem: Tamen qui in die, quo dubitat an ieiunare teneatur, vult contra legem ieiu-

nij comedere, vult agere, ac per conſequens debet oſtendere rectæ rationi, non eſſe prohibitum opus, quod facere vult, aliàs ſibi non licet ex dictis. Idem dicimus de dubitante an teneatur adhuc ieiunare, quia dubitat vtrum iam expleuerit ſexageſimum annum, vel an poſſit recipere ordinem ſacerdotalem, quia dubitat an iam ætatem neceſſariam habeat, de quibus exemplis, & pluribus aliis ſimilibus Diana vbi ſupra reſolut. 21. verſ. contrarium; Arriaga dicta diſput. 25. num. 53. verſ. Dicendum. Item de dubitante an iam ſit media nox, & comedente vel bibente, qui die ſequenti communicare non poterit, de quo exemplo Arriaga vbi ſupra. Sanch. de matrim. lib. 2. diſput. 41. num. 40. qui in effectu nobiſcum conueniunt, at non in ratione. ¶ Quæ improbauimus circa tempus, negantes ex eo dici præceptum, vel libertatem poſſidere, quia paulò antea quàm ſuperueniret dubium poſſidebant, vel potius non vigebat vel vigebat præceptum, dicimus ſimiliter

Digitized by Google

de loco, negantes iter facientem ex Caſtella in Portugalliam die Sabbathi, & dubitantem an iam intrauerit Portugalliam inteſtinis veſci poſſe, cuius contrarium credo dicturos illos Authores ſuo innitentes fundamento, ſi de prædicto exemplo agerent. Et idem aſſerimus de iter faciente ex Portugallia in Caſtellam, & de dubitante an illam iam intrauerit, quod Authores illi libenter faterentur, tunc enim præceptum reſpectu loci poſſidere dicerent, ſicut reſpectu temporis dicunt. At nos ſequentes noſtram diſtinctionem, & eius rationem, non attendimus niſi in dubio homo velit facere, & ſibi non licere dicimus. Vel velit omittere & hoc ſibi licere aſſerimus. Vnde de dubitante an dies illa feſtiua ſit, dicimus non poſſe opera ſeruilia exercere, quia eſt facere: Neque teneri miſſam audire, quia poteſt omittere, quamuis ad neutrum faciendum, vel omittendum teneri aſſerat Suar. de cenſ. diſput. 40. ſect. 5. numero 15. quem refert, & ſequitur Diana dicta

reſolut. 21. verſ. vnde, ſuo ducti fundamento, quod ſcilicet ante illam diem poſſidebat libertas, ſiue potius non vigebat præceptum. ¶ Neque obiicias noſtram aſſertionem videri ſibi ipſi contrariari, nam cùm vnum & idem ſit præceptum, vel debet licere contra illud agere vel non; Noſtra autem reſolutio admittit contra illud ire, omittendo audire miſſam, & non admittit contra illud ire exercendo ſeruilia. Nam reſpondetur, duo eſſe præcepta, vnum negatiuum de non exercendo ſeruilia, & contra hoc ire licere negamus, quia eſt facere. Aliud affirmatiuum de audiendo ſacrum. Et contra hoc ire concedimus, quia eſt omittere. Neque dubito duplex peccatũ committi in omittendo ſacrum, & exercendo ſeruilia, quod argumentum efficaciter probat, in duo præcepta reſolui illud præceptum de feſtis ſanctificandis.

45. *Generaliter ergo* negamus in dubio facere & concedimus omittere, neque conſideramus, quaſi vim aliquam habeat, quod antequam du-

bium ſuperueniret fuiſſet in poſſeſſione, vt dicũt, libertas ſiue præceptum. In ea parte in qua negamus facere ſemper ferè contra nos habemus Authores recentiores præcipuè, qui conſiderantes poſſeſſionem pro libertate etiam ad faciendum, reſoluunt facere licere. At pro nobis habemus contrariæ ſectæ authores, negantes poſſeſſionem prodeſſe extra materiam iuſtitiæ. In ea verò parte in qua concedimus omittere contra præceptum dubium de faciendo, habemus pro nobis, vt plurimùm, Authores illos, qui aliàs contra nos ſunt in dicta aſſertione, ex eadem ratione videlicet conſiderationis poſſeſſionis. At contra nos, eos qui negant poſſeſſionem libertatis. Cùm enim illi affirment, hi verò negent, nos qui diſtinguimus neceſſariò alios contra nos, alios verò pro nobis habemus. At de hoc non eſt curandum, ſed de ratione & fundamento, quo quicquid dictum ſit.

46. *Illud hic* aduertendum & notandum eſt, non minus noſtram di-

ſtinctionem locum habere, quia quædam præcepta videantur ſimul negatiua & affirmatiua. Vnde cognoſci non poſſe videtur, an hoc vel illud offendatur, neque an omittere an verò facere liceat. Quo argumento impugnat doctrinam Garciæ, quam ſequimur D. Valle dicto opuſculo de incantat. ſect. 1. cap. 6. num. 9. adducens exempla de præcepto de non furando, quod ſimul eſt de reſtituendo. De negando debito coniugali non ſuo coniugi & de non negando, ſed reddendo ſuo. De non veſcendo carnibus in quadrageſima, ſi neceſſitas non vrget. De veſcendo, ſi vrget. Verum, negandum omnino eſt idem præceptum de eadem re, & pro vna tantùm rerum occurrentia ſimul affirmatiuum & negatiuum eſſe. Nam præceptum de non furando, eſt pro non recipienda vel acquirenda iniuſtè re aliena. De reſtituendo verò, eſt pro reddenda Domino re ſua illud: Ne recipias alienum: Hoc: ſi recepiſti, redde. Primum negatiuum de non faciendo, ſiue de omittendo: Secun-

dum affirmatiuum, de reddendo ſimiliter pro contrariis & diuerſis caſibus & terminis, ſunt præcepta de reddendo vel de negando debito coniugali. Et non aliter procedit tertium exemplum de quo ſupra. Alia poſſent addi. Nempe præceptum de ſanctificandis feſtis, quod eſt negatiuum circa exercenda opera ſeruilia, & affirmatiuum de audiendo ſacro. Item præceptum de honorandis parentibus, quod eſt affirmatiuum, de præſtando illis alimenta, & negatiuum de non faciendo illis iniuriam. Sed hæc ſunt præcepta duplicia, vt de priori diximus num. 44. fin. Quando igitur dubito an res, quā bona fide poſſideo, ſit mea, an verò Titij, palam agnoſco, quod præceptum dubium, quod offendere timeo, eſt præceptum affirmatiuum, ſcilicet de reſtituendo: vnde mihi licet omittere reſtitutionem. Quando verò dubito an ius habeam ad rem, vel legato relictam vel contractu promiſſam, quia dubito an teſtamentum vel contractus validus, bene agnoſco, quod præceptũ dubium,

quod offendere timeo, eſt præceptum negatiuum, ſcilicet: Ne accipias alienum. Vnde facere non poſſum, id eſt petere vel recipere, ſed teneor omittere petitionem vel receptionem. Similiter quando dubito an dies ſit feſtus, patet in exercendo ſeruilia negatiuum, in non audiendo miſſam affirmatiuum præceptum offendi poſſe vel timeri. Similiter quando aliquis dubitat an vxor ſua ſit, ſi deneget debitum, patet præceptũ affirmatiuum de reddendo debito, offendi poſſe vel timeri, videlicet ſi fortè ſua ſit: In reddendo vero negatiuum, de non fornicando, ſi forte ſua non ſit. ¶ Nullum ergo eſt præceptum ſimul affirmatiuum & negatiuum, quod patet, nam quando certi & non dubij ſunt termini, veluti coniux ſuus eſt, manifeſtè conſtat præceptum eſſe affirmatiuum de reddendo, quando verò non ſuus eſt, præceptum eſſe negatiuum de non reddendo, ſiue potius de non fornicando. Similiter quando eſt certum, an neceſſitas veſcendi carnibus in quadrageſima vrgeat vel non, etiam

conſtat quale pręceptum vigeat, nempe negatiuum de nón comedendo carnes, ſi neceſſitas non vrgeat. Et affirmatiuum de illis comedendis ſi vrgeat, ĩta vt aliàs ſanitas, ſiue corporalis ſalus periclitetur. ¶ Dices: In iis & ſimilibus exemplis, ſtante dubio circa terminos, ſcilicet, an ſuus coniux ſit, an neceſſitas vrgeat, diſcerni per conſequens nequit, an negatiuum an affirmatiuum vigeat præceptum, ac perinde videtur locum habere non poſſe noſtram diſtinctionem, ſcilicet, vt non teneatur facere, id eſt non obligetur dubitans præcepto affirmatiuo; At teneatur omittere & obligetur præcepto negatiuo. Verùm reſpondetur in dubio, quando conſiderantur præcepta contraria, & ſiue quis faciat, ſiue omittat alterum offendere timet, cùm vtrumque verè obligare non poſſit, ne homo ſit perplexus, attenditur, quod tutius ſit, prout eſt in dictis exemplis reddere debitum & carnibus veſci: iam ergo agnoſcitur, quod præceptum in dubio vigeat, & de hoc eſt quæſtio an

ſit ſequendum neceſſariò & ibi locum habet diſtinctio noſtra, ſcilicet ſequendum ſi ſit negatiuum. Non ſequendum neceſſario, ſi ſit affirmatiuum. Ergo tunc tantùm non patebit quale præceptum offendatur, an negatiuum an affirmatiuum, quando æquè non tuta vtraque pars apparuerit, & vtrumque prę̨ceptum æqualem vim habere. At tunc nulla ad propoſitum difficultas reſultat, licet enim vtrumlibet eligere, vt omnes fatentur.

¶ Ad calcem notando quod ſi tandem aliqua difficultas ſuboriatur, an præceptum ſit negatiuum vel affirmatiuum, veluti de ieiunando vel abſtinendo à carnibus, debet attendi, an quando eſt certum, offendatur vel quando eſt dubium offendi timeatur faciendo, an omittendo. Et quidem, ſi in faciendo offendatur dicendum eſt eſſe negatiuum. Videlicet in dicto exemplo offenditur præceptum comedendo, vnde negatiuum dici debet, licet verba affirmatiuè concepta videantur. Per contrarium ſi offendatur omittendo dicendum erit affirma-

tiuum, quicquid verba contrarium ſonare videantur.

47. *Ex dictis proximè infertur,* quid dicendum ſit in illis quæſtionibus & terminis, in quibus præcepta incompaſſibilia conſiderantur, vnde neque facere, neque omittere tutum apparet. Veluti obedire vel non obedire ſuperiori. Militare vel non ex præcepto Principis. Tegere vel detegere ſecretum. Concedere vel denegare abſolutionem. Implere vel non implere votum, quando dubitatur an ſit bona vel mala materia. Quæ circa infinita ſcribunt Auctores, quos longum & faſtidioſum eſſet citare: videantur apud Dianam d. 4. part. tract. 3. reſolut. 4. 7. 13. 15. & aliis. Caſtro Palao d. tract. 1. diſput. 3. puncto 12. 13. & 14. & aliis. Longum quoque eſſet eorum dicta examinare, ſufficiat dicere, vix aliquid circa dictas controuerſias dici poſſe, quod pro ſe vel contra ſe Auctorem non habeat. Nos autem noſtræ animaduerſioni inhærentes aſſerimus attendendum eſſe, quid tutius ſit & conſi-

derandum pro illa occurrentia quæſtionem eſſe, an liceat facere vel omittere, contra illud præceptum, quod tutius apparet. Et dicendum eſſe licere contra eum facere, id eſt omittere, ſi ſit de faciendo, quod idem eſt ac dicere non teneri facere, quod præceptum dubium iubet, ſiue iubere timetur, quamuis tutius ſit. Et per contrarium non licere contra eum facere ſi tutius ſit, quod præceptum dubium prohibet, ſiue prohibere timetur. Poſſe autem conformari tutiori in prædictis terminis & prorſus tutæ, quãdo incompaſſibilia præcepta non conſiderantur, & altera pars ex ſe tuta prorſus, prout reſtituere, ieiunare, qui ſanus eſt, quis dubitat? Sin autem nulla pars tutior conſideretur, iam dixi num. præcedenti ad fin. ceſſare ad propoſitum difficultatem, cùm liceat eligere.

48. *Neque tandem* minus locum habet noſtra diſtinctio & reſolutio ex eo quod præceptum, ſiue votum certum ſit; Nam licet admittamus certum de præcepti obligatione, at du-

bium de ſatisfactione teneri ſatisfacere, tamen nullo modo id procedere intelligimus, quando dubitatur an pręceptum in illo caſu obliget, vel potius ratione alicuius particularis cauſæ, ſiue circunſtantiæ homo excuſetur: tunc enim idem eſt in effectu atque dubitare, an præceptum ſit impoſitum pro illo caſu, ſiue pro illis terminis, aut an hæc res comprehendatur ſub illis, in quibus vltimis terminis. Idem fatetur & docet cum Salas, Sanch. dicto cap. 10. num. 33. Vix autem percipio cur Sanch. ibidem num. 34. contrarium, contra Salas reſoluat in prioribus terminis, nam qui dubitat an eximatur à præcepto ratione neceſſitatis, ſiue alterius circonſtantiæ, directè dubitat an caſus ille neceſſitatis, vel in quo alia ſimilis circunſtantia concurrit, comprehendatur ſub præcepto. Vnde non video qualiter inter illos differentia conſiderari poſſit, vt ipſe qui prius concedit, poſterius neget. At in effectu eam partem amplectuntur citati à Sanch. ibidem, & recentiores quos

refert communem dicens Diana dicta 4. part. tract. 3. reſolut. 22. Neque intentum probant fundamenta, quibus eam probare contendit Sanch. dicto num. 34. Nam ad primum reſpondemus, quod & ſi daremus poſſeſſionem conſiderari poſſe in re iſta, quod ſæpè negauimus contrarium oſtendentes, tamen in dictis terminis non rectè diceretur poſſeſſionem ſtare pro præcepto, nam ex eo quod conſtet præceptum eſſe de audiendo ſacro vel de reſtituendo alieno, non per id conuincitur vel etiam præſumitur, præceptum illud comprehendere caſum, in quo homo tale vel tale impedimentum habet ad audiendam miſſam, vel talem neceſſitatem, vel cauſam ad omittendam reſtitutionem. Immo reſpectu huius caſus non cum minori ratione dubitat, an ſub præcepto comprehendantur, quàm quando dubitat in totum an de re illa in communi pręceptum detur. Facit pro reſponſione, quia in iis non attenditur, quod in communi, ſed quod in particulari, ſit, vel nō ſit præceptum.

Non etiam probat confirmatio adducta ab eodem Sanch. Nam reſpondetur diuerſum eſſe caſum, à quo arguit: nam qui dubitat an lex ſit abrogata vel in ea ſit diſpenſatus, agnoſcit illam comprehendere caſum illum, at prætendit excuſari ratione cauſæ particularis & in facto conſiſtentis, quæ non concludit etiam ſi certa ſit, ſe nunquam fuiſſe lege obligatum, ſed fuiſſe quidem, at ratione cauſæ poſtea ſuperuenientis ab ea ſolutùm; cùm ergo certa ſit obligatio & dubia ſolutio, nihil mirum ſi lege, in dubio, teneatur. Vnde benè Salas id conceſſit, cùm illud negaſſet & iniuſtè arguitur à Sanch. In caſu autem de quo agimus dubitatur an lex, aliquando obligauerit vel eius diſpoſitio intrauerit, non autem an exiuerit & de contracta obligatione, non de ſolutione obligationis dubitatur & ſic pluſquam patens eſt differentia. Non etiam probat intentum, quod impugnamus, illud fundamentum adductum ab eodem Sanch. quod ſcilicet idem iudicium eſt in vtroque foro,

Digitized by Google

quando eodem modo in vtroque res dubia eſt. Nam reſpondetur 1. negando idem iudicium eſſe, niſi quando externum præſumptione innititur & internum nihil habet contra illam præſumptionem, vnde iuſtè illam ſequitur, non autem quando vel nulla eſt præſumptio, prout in præſenti ſpecie non eſſe videtur, vel de eius veritate dubitatur, iuxta dicta & probata ſupra num. 23. Secundo reſpondetur, neque in foro externo iudicandum eſſe contra reum, ſtanti dubio in dictis terminis. Nam pone quod agebatur in foro iudiciali de puniendo illo, qui ſacrum die feſto non audiuit. Fiſcalis fundabat intentionem ſuam in præcepto: Reus verò probabat ſe tali impedimento fuiſſe detentum. Dubitabat iudex vtrum impedimentum eſſet releuans, & in effectu an pręceptum, dato illo impedimento, nihilominus obligaret; quis dubitat reum eſſe abſoluendum? Ita ergo ſimiliter in foro interno. Non dubito condemnandum eſſe & in vtroq; foro obligatum illum, qui factum, in quo fundat excu-

ſationem non probaret, vel dubiam de eo probationem efferret vel haberet, tunc enim poſſet comparari dubitanti de ſolutione, & certo de obligatione. At quando probat cauſam, in qua fundat excuſationem, & dubium eſt circa ius, an ſcilicet præceptum comprehendat illum caſum diuerſiſſima eſt ratio, vt ſupra diximus. Vnde patet reſponſio ad confirmationem adductam ibidem ab eodem Sanch. Nam ſi intelligit de agnoſcente recipiſſe mutuum, & eo obligatum fuiſſe de iure, & dubitat tantùm an de facto ſoluiſſet, concedimus ſuppoſitioné, at negamus ſimiles eſſe terminos, de quibus agimus, ad quos ex illis arguit. Sin autem intelligit dubitantem, v. g. an habuiſſet conſenſum, vel requiſitam ætatem ad ſe obligandum ex mutuo, nihilominus teneri, exemplum quidem in mutuo nihil probat, quia non eſt cur reddere non teneatur. Cùm in reddendo nullum damnum incurrat, nec debeat cum alterius iactura locupletari ; At exemplificando in

Digitized by Google

contractu alio, ex quo obligatio oneroſa ſiue præiudicium ſequatur, negamus ſuppoſitionem. ¶ Aduertendo ad calcem, quod non arguamur ex eo, quia in aliquo ſimili caſu dixerimus, dubitantem obligari præcepto: nam ſecundum noſtram diſtinctionem & reſolutionem, non negamus hominem obligari præcepto negatiuo, in dubio; ſicut per contrarium dicimus ad agendum non teneri.

49. *Ex dictis* inferuntur aliqua contra communem; primum eſt dubitantem an habuiſſet animum, ſiue intentionem ſe obligandi voto, vel iuramento illo non teneri, ſi, vt ſemper ſupponimus, votum, vel iuramentum ſit de faciendo. Moueor fundamentis relatis num. præcedenti. Iſte enim dubitat de contracta obligatione, quamuis non dubitet de facto voti. Quamuis enim de facto certus ſit, tamen dubitat (non quidem negatiuè, ſed ex rationibus, vt ſemper ſuppono, & probaui in hoc caſu procedere quæſtionem, & totam rem de conſcientia dubia ſupra num. 38. &

ibi citatis, præcipuè cap. 2. num. 95.) an voto obligaretur, quia aliquas rationes conſiderat ad credendum; ſe non habuiſſe animum obligandi, licet non efficaces, vt illis aſſentiatur, neque ſufficientes, vt illud pro certo, vel etiam probabili vera probabilitate reputet. Scio me loqui contra communem de qua Caſtro Palao dicta diſput. 3. puncto 10. num. 4. Diana d. tract. 3. reſolut. 11. verſ. fin. qui antiquiores referunt. At eorum rationes, ſiue fundamenta non probant, ſunt enim eadem ferè, quæ numero præcedenti adducta & ſoluta fuerunt. ¶ Illud autem aduertere non omittam, quod ſcilicet Auctores prædictæ communis ſententiæ, vim faciunt in probando non eſſe intelligendum vel præſumendum; animum ſe obligandi non interueniſſe, immo interueniſſe præſumendum. At hoc eſt excludere terminos, & aſſerere non eſſe dubitandum, non autem eſt decidere, quid dicendum vel tenendum, ſi tandem dubiũ reſultet, quia, vt conſiderat Diana dicto loco, etiam-

Digitized by Google

ſi præſumatur ſufficientem conſenſum habuiſſe vouentem poſt ſeptennium, poſſunt tamen tales coniecturæ eſſe in contrarium, vt res efficiatur dubia. In iis ergo terminis procedit quæſtio & aſſertio noſtra, nam vt iam ſupra non ſemel diximus, ad rem iſtam non propriè pertinet tractare, quando dubitandum vel non dubitandum ſit, ſed dato, & ſtante dubio, an facere liceat vel ad faciendum teneatur homo.

50. Quæ amplius inferantur ex noſtra reſolutione contra communes, cuilibet facile patebit conſiderando caſum in particulari, omnes enim quos Doctores ſuis niſi fundamentis decidunt, infinitum propè eſſet percurrere. ¶ Illud hic pro fine huius capitis notando, quod ſi vera eſt doctrina dictans vtramque partem contrariam poſſe probabilem eſſe, eo ipſo quod pro ſe habeat non parui momenti fundamenta, ſiue auctoritates, & illam licet minus tutam ſequi licere, vanus ferè noſter & aliorum labor fuit: nam pars illa, quæ aſſerit

regulariter non eſſe tutius ſequendum ex præcepto, ſed tantùm ex conſilio, & habeat pro ſe grauiſſimos Auctores, & in effectu tam doctrina defendens poſſeſſionem prodeſſe in materiis extra iuſtitiam, quàm contrarium defendens probabilis ſit, ſecundum Dianam dicta parte 4. tract. 3. reſolut. 2. nihil ferè eſt, quod in dubio ſequi non liceat. At hæc nos ſupra cap. 2. latè improbauimus.

Summa breuiſſima eorum quæ principaliter hoc capite 3. reſoluuntur.

QVæſtio de conſcientia dubia, eſt quæſtio de conſcientia formanda, non de formata, nam circa iſtam nulla alia doctrina dari aut recipi poteſt. Non eſt certum peccare mortaliter, qui cum ipſa conſcientia dubia operatur. ¶ Dubium in præſenti conſiderandum eſt circa ſpeculatiuum, ſiue antecedens, & quæſtio eſt vtrum eo ſtante circa illud, rectè formetur conſcientia dictans licere, an in contrarium formari debeat. ¶ Dubium

bium eſt, quando intellectus pendet in æquilibrio, & ſuſpenſus remanet, quamuis aliquantulum in alteram partium inclinet. Aliquando eſt circa ius: Aliquando circa factum: Aliquando circa vtrumque, in quo vltimo caſu remotius videtur eſſe periculum, & in eo non intrare communes regulas de dubio. ¶ Fieri poteſt quod ſimus dubij circa antecedens, à cuius reſolutione peccatum pendet, & tamen certi, dari vel non dari peccatum formale in illa operatione. ¶ Neque poſſeſſio ex ſe neque præſumptio neque ius libertatis, ſunt cauſæ ſufficientes vel propriæ, vt in dubio formemus conſcientiam licere. ¶ Forum internum non poteſt conformari externo, quando operans dubitat de proprio animo externè præſumpto. ¶ Dubium non eſt illud quod reſoluitur, ſed illud quod permanet irreſolutum: Quod enim reſoluitur, quæſtio, non dubium eſt & dici debet. ¶ Deligentia præmitti debet, ad vincendum dubium & veritatem aſſequendam, illa autem

comperta ſequi debet. At dubio nihilominus permanente, formari poteſt conſcientia licere omittere, quod dubitatur an ſit præceptum. At non poteſt formari licere facere, quod dubitatur an ſit prohibitum. ¶ In omnibus caſibus & terminis, in quibus diximus ſtāte vera probabilitate, non licere minus tutum eligere, multò minus licet ſtante dubio. Dubium, quod dicitur negatiuum, & vera eſt ignorantia, ſiue neſcientia ad rem non pertinet, ſed dubium illud, quod ex rationibus contrariis reſultat.

CAPVT IV.

De Conſcientia erronea.

Oſtenditur doctrinam de Conſcientia erronea infructiferam, ferè inutilem, & incognoſcibilē eſſe. Probatur errorem vincibilem reddere Conſcientiam, non quidem erroneam, ſed formidantem. Impugnatur communis aſſertio dictans, operantem cum Conſcientia vincibiliter errante peccare, ſiue eam ſequatur, ſiue contra illam agat.

Alia vtiliter notantur.

1. AB hac conſcientiæ ſpecie breuiter me expediam: nam, vt notauimus ſupra cap. 1. num. 29. & cap. 2. num. 8. & 19. & aliis pluribus locis, præſens doctrina, & quæſtiones circa iſtam materiam conſcientiæ, debent eſſe de conſcientia formanda, non de iam formata, quod autem ad hoc attinet nemo docet, immo quaſi indubitabile omnes omittunt, ſtante errore inuincibili, intel-

lectus circa antecedens à quo pendet formatio conſcientiæ, veluti teſtamentum fuiſſe nullum, vel impedimentum matrimonij dari, vel contractum eſſe vſurarium, formandam eſſe conſcientiam non licere petere legatum, matrimonium, vel contractum celebrare. Et per contrarium formari poſſe, ſcilicet licere, ſi iudicetur teſtamentum fuiſſe validum, &c. Cùm enim error ille nullo prorſus modo cognoſcatur, immo iudicium illud pro certo habeatur, nullatenus diſtingui poteſt à certo, neque alia doctrina pro illo tradi, aut recipi. Et ſolùm tunc eſt controuerſia, & ratio dubitandi circa modum formandæ conſcientiæ, quando iudicium illud circa antecedens dubium eſt, ſiue probabile, aut opinans, quod pro tali cognoſcitur ab operante. Quod verò attinet ad conſcientiam iam formatam ex illo iudicio antecedenti erroneo, etiam nullo prorſus modo dubitari aut quæri poteſt, an liceat, vel non cum illa operari. Nam in primis illa nullo modo agnoſcitur,

vt errans, ſed vt certa exiſtimatur, vt ait Sanch. in Decalog. dicto lib. 1. cap. 11. num. 2. & Layman. Theolog. moral. lib. 1. tract. 1. cap. 4. n. 3. Caſtro Palao dicto tract. 1. diſput. 1. puncto 6. num. fin. Arriaga 1. 2. diſput. 27. num. 1. dicens impoſſibile eſſe agnoſcere errare, ſicut intellectum aſſentiri obiecto cognito vt falſo. Immo, vt ait Monteſin. 1. 2. diſput. 29. quæſtione 2. num. 18. & quæſtione 3. num. 34. ſemper certa eſt, videlicet, certitudine ſe tenente ex parte ſubiecti, id eſt certa in exiſtimatione operantis. Deinde neque in ſe errans eſt: nam, vt ſupra cap. 1. num. 20. diximus, illa non erat in ſuo miniſterio, ſed ſuppoſito errore intellectus circa iudicium antecedens, rectè dictat, ſequendum vel fugiendum. Erraret quidem ſi dictaret, hoc malum, ergo ſequendum. Vel, hoc bonum, ergo fugiendum. Tandem cùm ſit conſcientia iam formata circa ipſum peccatũ, dictans videlicet hoc licere vel non licere, iam nullo modo poteſt quæſtio excitari an liceat,

vel ſuper illa, alia reſolutio haberi, vt notauimus & probauimus ſupra cap. 1. num. 26. 27. & 31. & aliis ibi citatis, in fortioribus terminis loquentes, ſcilicet quando conſcientia eſt, vel dicitur dubia vel opinans. Ex quibus omnibus patet, doctrinā de conſcientia erronea, non inſeruire ad regulandam ſpecialem aliquam actionem, cùm nunquam ab operante cognoſcatur. At per conſequens mirum eſt, quod latiſſimè omnes ferè Auctores de Conſcientia agentes, diſputent de Conſcientia erronea, quaſi practicabilis eſſet. Neque etiam ſi ex poſt facto appareat operanti feciſſe cum erronea conſcientia, id aliquid operatur, nam per cognitionem ſuperuenientem, neque committitur, neque ceſſat peccatum, ſed attenditur, quod tempore operis vel omiſſionis inuincibiliter credebatur, vt benè colligitur ex doctrina Sancij dicto lib. 1. cap. 16. num. 28. Caſtro Palao dicto, tract. 1. diſput. 1. puncto 2. num. 4. & puncto 4. num. 3.

2. *Quæſtio ergo*, & controuerſia ali-

qua, tunc tantùm conſiderari poſſet, quando conſcientia, quæ dicitur erronea, vincibilis eſt: tunc enim iam aliquo modo erronea cognoſcitur, ſiue potius de eius veritate & certitudine dubitatur. In quibus terminis dicunt Auctores, de hac re ſcribentes, deponendam eſſe conſcientiam erroneam, aliàs, ſiue ſecundum illam, ſiue contra illam agatur, peccatum committi, ita Vaſq. 1. 2. quæſt. 19. diſp. 60. cap. 2. num. 5. Sanch. dicto cap. 11. num. 12. Sayro dicto lib. 1. cap. 4. num. 7. verſ. Quoad ſecundum ad medium, & num. 10. Arriaga 1. 2. dicta diſput. 22. ſect. 4. num. 20. & 21. Bonacina dicto 2. tomo diſp. 2. puncto 6. num. 13. verſ. obſerua. & omnes.

3. *Verum nullo modo*, quæ ſuppoſita & reſoluta ſunt per citatos Auctores, probare poſſum. Quod, vt apertiùs appareat, pręmittendum eſt conſcientiam erroneam tunc tantùm propriè dici, quando dictat illicitum eſſe & fugiendum illud, quod non ſolum licitum eſt in re, ſed etiam præceptum,

Digitized by Google

ita vt à parte rei peccatum non ſit facere illud, quod conſcientia iudicat illicitum. Vel, quod in idem recidit, quando conſcientia dictat ad aliquid agendum vel omittendum teneri, cùm tamen verè ſit peccatum illud facere vel omittere, veluti furandum pro ſubueniendo pauperi, vel mentiendum pro ſaluanda proximi vita. Factum ergo in dictis terminis contra conſcientiam, dicitur factum cum conſcientia erronea, & eſt peccatum, non obſtante, quod in effectu geſtum ſit opus non ſolum bonum, ſed in terminis in quibus peccatum eſſet agere contrarium, in quo vis huius aſſertionis, conſiſtit & ratio dubitandi dari poſſet, quæ tamen nihilominus ceſſat, cùm nulla alia regula apta & cognoſcibilis detur ad noſtras actiones regulandas, niſi conſcientia, cùm ergo iſta dictet illicitum illud eſſe ab eo omnino fugiendum eſt, non excuſante eo, quod ſcilicet fortè à parte rei contrarium (quod inuincibiliter ignoratur) eſſet faciendum vel omittendum. Sicut per contrarium di-

Digitized by Google

ſtante erroneè & inuincibiliter conſcientia, aliquid eſſe licitum & amplectendum, ſi ſequatur, peccatum ceſſat, licet fortè à parte rei malum ſit quod agitur. Quod ergo fit contra conſcientiam, licet fortè bonum ſit & præceptum, dicitur fieri cum conſcientia erronea; quod autem fit ſecundum conſcientiam, licet fortè à parte rei malum ſit vel prohibitum, non rectè dicitur factum cum conſcientia erronea: nam iſta ſonat & accipi ſolet in malam partem, illa verò in bonam: & reſultat confuſio & æquiuocatio, ſi in vtroque caſu dicatur conſcientia erronea, nam ſi aſſeritur factum cum conſcientia erronea, eſſe peccatum, hoc quidem verum non eſt intellectum de conſcientia iudicante bonum, quod à parte rei malum eſt, aut de operante ſecundum illam. Per contrarium, ſi aſſeritur peccatum non eſſe operari cum conſcientia erronea, hoc quidem verum non eſt intellectum de operante contra conſcientiam dictantem aliquid fugiendum eſſe, vtpote illicitum, quod

à parte rei licitum, immo præceptum eſt. Vt ergo confuſio & æquiuocatio ceſſet & propriè loquamur, dicenda eſt erronea illa conſcientia quæ, vt ita dicam, accuſat, id eſt quæ dictat illicitum eſſe. Illa autem, quæ excuſat, id eſt, quæ dictat per errorem, aliquid bonum eſſe vel licitum, dicenda erit conſcientia ignorans, ſiue potius ignorantia inuincibilis. Propriè autem cõſcientiam erroneam eſſe illam, quæ iudicat malum, quod re vera malum non eſt, dixit Arriaga 1. 2. dicta diſput. 22. ſect. 3. in principio.

4. *Quæ proximè* diximus & diſtinximus, non rectè obſeruaſſe videntur aliqui Authores, & inter eos Sanch. dicto cap. 11. in titulo, & num. 1. vbi appellat conſcientiam erroneam, ſiue errantem, tam illam, quæ dictat aliquid illicitum vel malum, quod in ſe bonum eſt, quàm etiam illam, quæ dictat bonum eſſe vel licitum, quod in ſe malum & illicitum eſt. Ex quo quidem nomine applicato adeo diuerſis terminis, (licet in ſe apto, quia in vtroque caſu conſcientia erronea

eſt) ſequitur confuſio & æquiuocatio, numero præcedenti conſiderata. Meliùs ergo videtur locutus Caſtro Palao dicta diſput. 1. puncto 2. num. 1. vbi ſemper ſuppoſuit & exemplificauit conſcientiam errantem in terminis, in quibus illa iudicat illicitum & ſic non faciendum, quod verè lex diuina faciendum eſſe diſponit. (Semper in propoſito, ſub nomine facti comprehendimus omiſſionem, ſi præceptum ſit de omittendo.) Omnino ergo eſt obſeruanda differentia prædicta & nominum diuerſitas, vt diſtinctè procedant & rectè intelligantur, quæ dicenda ſunt. Illud quoque aduertendo, quod ſcilicet quando dicitur, ſequendam eſſe conſcientiam erroneam, nempè quæ dictat malum & illicitum, quod in ſe bonum & licitum eſt, non eſt ſenſus, quod faciendum eſt illud, quod malum eſſe conſcientia dictat: ſed eſt ſenſus, quod ſequenda eſt conſcientia, quæ dictat illud non eſſe faciendum, nam conſcientia non eſt illud iudicium: hoc eſt malum, ſed illud: Hoc non eſt

Digitized by Google

faciendum, vnde quando dicitur, ſequendam eſſe conſcientiam dictantem aliquid eſſe illicitum, clarum eſt non eſſe ſenſum, faciendum illicitum, ſed fugiendum, quod, & non illud conſcientia dictat. Ad quod non attendiſſe, videtur Monteſin. 1. 2. dicta diſput. 29. num. 161. dicens non licere operari ſecundum conſcientiam improbabilem, ſicut neque ſecundum erroneam: Nam operari ſecundum erroneam in dicto proprio ſenſu, non ſolùm licet, ſed neceſſe eſt.

5. *Iis ſuppoſitis*: Quod attinet ad conſcientiam inuincibiliter errantem, ſiue ignorantem, nulla difficultas eſt: ſed certum errantem obligare, ignorantem verò excuſare non aliter ac certa, qualis exiſtimatur & creditur inuincibiliter, quod quidem omnes agnoſcunt. Quod verò attinet ad conſcientiam vincibiliter errantem, ſiue etiam vincibiliter ignorantem. Dico primo, conſcientiam vincibiliter errantem, id eſt dictantem aliquid illicitum eſſe, ac per conſe-

quens non eſſe faciendum obligare, vt diximus, non minus, immo magis, quando vincibiliter errat. Nam qui agit contra conſcientiam dictantem aliquid eſſe peccatum, à fortiori peccat, ſi illam culpabiliter, id eſt vincibiliter concepit. Neque iſte conſiderat errorem quaſi excuſantem, ſed ille tantùm illum vt talem conſiderat, qui agit ſecundum conſcientiam quam ignorantem dicimus. Quod intellexiſſe videtur Sanch. dicto lib. 1. cap. 11. num. 2. dicens peccatum eſſe operari contra conſcientiam erroneam, ſiue culpabilem, ſiue inculpabilem dictantem aliquid eſſe malum. Idem apertè ſupponit Sayro dicto lib. 1. cap. 4. num. 27. Quando ergo operatio eſt contra conſcientiam, non attenditur an error ſit vincibilis & merito, nam ſi quando eſt inuincibilis peccatum eſt multo magis, quando vincibilis & culpabilis. Agnoſcit Arriaga 1. 2. diſput. 22. numero 16.

6. *Quæ dicta ſunt* procedunt etiam ſi opus, quod geritur contra conſcien-

tiam non ſolùm non ſit malum à parte rei, ſed ſit præceptum, ita vt contrarium facere, in re peccatum ſit, nam nihilominus peccatũ eſt, facere contra conſcientiam etiam vincibiliter errantem, quia vt num. præcedentibus diximus non attenditur niſi ad exiſtimationem & aprehenſionem, ſecundum quam errans putat malum eſſe & fugiendum, & nihilominus facit. Neque vincibilitas aliud operatur niſi, quod ille aliquantulum dubitet, ſiue potius formidet, vt fortè poſſit eſſe licitum & præceptum, quod malum iudicat: ac per conſequens, quod facit contra conſcientiam, fortè non eſſe peccatum. Quod nullo modo illum excuſat, neque ille putat non eſſe peccatum, quod ſi putaret, non diceretur agere contra conſcientiam. Quæ dicta ſunt ſentire videntur, quamuis non ſic exprimant, Doctores citati numero præcedenti. Generaliter ergo & in vniuerſum, vt inquit Suar. 1. 2. tract. 3. dicta diſput. 12. ſect. 4. num. 54. peccatum eſt agere contra conſcientiam, & ego

addo, etiam vincibiliter erroneam, & quamuis opus quod contra illam fit, ſit bonum & præceptum, ita vt in re contrarium facere peccatum eſſet.

7. *Dico ſecundò.* Facere ſecundum conſcientiam dictantem aliquid eſſe bonum, etiam vincibiliter erroneè, numquam videtur poſſe continere peccatum mortale, & ſolum in caſu veniale poterit committi. Hæc aſſertio eſt contra citatos ſupra num. 2. At probatur aduertendo & ſupponendo, primo vt certa ab incertis ſeparemus, vel, ſenſum eſſe peccare illum, qui vincibiliter & culpabiliter cōcipit, conſcientiam aliquid ſibi licere, veluti comedere carnes, quia aduertens fortè contrarium ſciturum eſſe, ſi acceſſiſſet ad parochiam vbi dies ieiunij, vel abſtinentiæ à carnibus ſolent promulgari, id tamen omiſit. Et hoc concedimus, ſi ille agnouit in illa omiſſione peccare: ſin autem irreſolutè, & indeliberatè ſe geſſit, peccabit pro modo aduertentiæ & deliberationis. Notando quod

ſi palam agnouit, non iuſtè, ſtante illa omiſſione, iudicare ſibi licitum eſſe veſci carnibus, non rectè ſupponitur, poſſe illum habere conſcientiam dictantem ſibi licere. Sin verò ille aliquantum in effectu dubitat, vel formidat ex dicta, vel alia cauſa, quod non impedit conſcientiam, vel iudicium probabile eſſe in contrarium, non video, in quo iſti termini differant ab illis in quibus conſcientia probabilis dici ſolet. Nam illa vincibilitas nihil aliud producere videtur contra conſcientiam, ſiue iudicium in contrarium, niſi, vt firmum non ſit, ſed aliquantulum dubium, vel formidoloſum. Quod quidem agnoſcere videtur Arriaga 1. 2. diſput. 22. num. 16. ibi. *Dum illa durat ſemper iudicatur obiectum illud malum, quod enim tunc dubium aliquod habeat, an res vera ita ſit, nec ne, non illum excuſat; Primò quia ſi abſolutè iudicat malitiam eſſe, etiam ſi in contrarium habeat aliquam rationem dubitandi, iam abſolutè amplectitur malum iudicatum, vt tale, licet (vt ſic dicam)*

cum aliqua ſpe, quod fortè non erit malum: quæ ſpes nullo modo eum liberat, &c. Ex quibus verbis apertè colligitur vincibilem errorem, de quo agit, ſolum producere aliquod dubium, id eſt formidinem: nam quamuis loquatur de caſu quo putatur illicitum, quod vincibiliter tale exiſtimatur, cùm dicat in illis terminis aliquantùm dubitare, & habere aliquam ſpem, ne fortè ſit illicitum: ex eadem ratione idem ſentit per contrarium, videlicet ſi vincibiliter exiſtimetur aliquid licere, nam idem id importabit, ac dicere: ſi aliquantum dubitetur an liceat. Quod nihil aliud eſt, niſi formidare. Qui ergo vincibiliter putat aliquid bonum, non difert ab eo, qui probabiliter, id eſt cum formidine iudicat bonum. Ac per conſequens nulla alia doctrina diuerſa ab illa, quæ pro conſcientia, vt dicunt probabili, tradita eſt cap. 2. per tot. competere poteſt pro conſcientia vincibiliter erronea. Faciunt quæ diximus ſupra cap. 1. num. 44. probantes doctrinam de vincibili igno-

rantia, vel inaduertentia, aut indeliberatione propriùs pertinere ad conſcientiam, & illa potius cauſam eſſe, vt conſcientia probabilis reddatur, aut dubium reſultet. ¶ Notando quod nullo modo poteſt conſiderari adeo vincibilis error, vt per operantem agnoſcatur, erroneum eſſe ſuum iudicium: Nam ſi hoc poſſet contingere, ſuppoſitiones & termini mutarentur: qui enim putaret ſe errare in iudicando, contractum eſſe licitum vel aliam actionem bonam, iam perperam ſupponeret ſibi eſſe bonam, cùm iudicet malam. Manifeſtum ergo eſt, habentem conſcientiam vel iudicium dictantem aliquid ita ſe habere, non poſſe ſimul exiſtimare ſe errare, ſed tantùm poſſe formidare, vt fortè erret. Neque etiam dubitare poteſt num erret, illa dubitatione, quæ ſuſpendit aſſenſum. Cùm enim iſta iudicium ſuſpendat, & conſcientia ſit iudicium, perperam ſupponeretur conſcientiam dictare opus licere & dubitare an liceat, hæc enim implicant. Firman-

dũ ergo eſt terminos, in quibus conſcientia vincibilis dicitur, non differre ab illis, in quibus dicitur formidare, & non omnino firma & certa eſt, ſed probabilis. Quod benè ſentit Arriaga vbi ſupra diſput. 27. num. 5. dicens habentem conſcientiam vincibilem, ſatis illam deponere practicè, quia poteſt opinionem probabilem ſequi.

8. *Iis præmiſſis* iam conſtat quid dicendum, quando conſcientia eſt, vel potius dicitur impropriè erronea: Nam ex dictis conſtat; nihil prorſus differre à non erronea: quando enim error ſuſpicatur (quod ſolum, non autem illum agnoſcere, contingere poteſt) reincidit in conſcientiam, ſiue iudicium cum formidine, id eſt probabile. Vnde quando vincibiliter, vt dicitur conſcientia errat, exiſtimando aliquid licitum cum formidine, vel cum eadem iudicando antecedens, à quo pendet formatio conſcientiæ, ad regulas pro conſcientia probabili aſſignatas recurrendum eſt. Et dicendum, quod vel error ille

Digitized by Google

vincibilis conſideratur reſpectu antecedentis, à quo pendet formatio conſcientiæ: veluti quia putat vincibiliter teſtamentum validum eſſe, vel hodie non eſſe præceptum abſtinendi à carnibus. Vel conſideratur in ipſa conſcientia iam formata, veluti quia putat vincibiliter peccatum non eſſe petere legatum, vel veſci carnibus, quod idem eſt ac formidare, vt fortè peccatum in illis ſit. In primo caſu, non dubito iniuſtè formare conſcientiam ſibi licere antequam præmittat diligentiam, quod notanter præter omnes probaui ſupra cap. 1. num. 29. & fateri tenentur, qui dato errore vincibili, aſſerunt diligentiam præmittendam; illa autem præmiſſa, ſi appareat veritas illa ſequenda; Sin autem adhuc permaneat formido, neque antiquus ſtatus mutetur, dicendum eſt, ſpreta illa formidine, iuſtè formari conſcientiam dictantem licere ſine illa formidine. Sin autem ſic vincibiliter exiſtimans vel formidans, operetur ante diligentiam præmiſſam, non dubito peccare; ſiue

agat contra illud iudicium ſiue ſecundum illud, formando conſcientiam (quod intelligendum eſt, quando actio conſideratur vt præcepta) quia ab vtraque parte ſaltem formidat peccatum & videt viam, per quam poteſt inuenire veritatem, & ſcire an ita, vel per contrarium iuſtè formanda ſit conſcientia. Vnde in illa omittenda, periculosè voluntariè exponit & peccat.

9. *Ex dictis* proximè ſequitur in dicto tantùm ſenſu, verum eſſe poſſe, quod aſſerunt Sayro Sanch. Arriaga, & alij citati ſupra num. 2. reſoluentes, operantem cum conſcientia vincibiliter dictanti erroneè aliquid eſſe de præcepto, cùm verè prohibitum ſit, veluti mentiri pro ſaluanda proximi vita, vel furari à malis diuitibus pro ſubueniendis pauperibus, peccare, ſiue agat ſiue omittat; Nam ſolum id verum eſt, quando operatur ante diligentiam præmiſſam. Quod tamen non docent illi Auctores, immo requirunt, quod deponatur conſcientia, aliàs peccari aſſerunt. Quod

nullo modo admittimus, nam conſcientia, ſiue iudicium illud deponi non poteſt ſine multo maiori periculo: qui enim iudicat præceptum ſibi eſſe furari, vel mentiri pro vitandis illis malis, id multo verius putat: vnde nullo modo hoc iudicium deſerere debet, vt accipiat contrarium, ſcilicet non teneri ad illa, cùm de hoc habeat tantùm remotam, vt ita dicam ſpem, quod fortè verum ſit; cur ergo aliquis debebit, vel poterit relinquere iudicium ſibi ferè certum pro incertiſſimo, in quo ſimiliter ſequendo multò magis conſiderat periculum? Sanè ſic deberet deponi iudicium probabile, propter formidinem in contrarium, quod tamen fieri non debet, etiam quando pars illa, quæ eſt contra probabilitatem tutior eſt, & ſine vllo periculo ſequi poſſet. Vnde conuincitur, quod ait Filliuc. dicto 2. tomo tract. 21. dicto cap. 4. num. 121. ſcilicet, quod quando conſcientia eſt vincibilis, aliquo modo cognoſcitur contrarium, vnde conſcientia deponi poteſt & debet:

Digitized by Google

Nam tunc, precor, deponetur, quæ multò magis vnum putat, ita vt illi aſſentiatur, quia aliquo modo contrarium poſſit verum eſſe? Præterea ſi aliquis agnoſceret deponendam eſſe conſcientiam, ſiue aliud iudicium intellectus, eo ipſo depoſitum eſſet: nam res iſtæ intellectuales ita efficiuntur, non vt corporales & materiales, ad quas recipiendas vel deponendas, non ſufficit iudicare eſſe deponendas aut recipiendas, niſi hæc de facto exequantur. Faciunt, quæ generaliter contra depoſitionem conſcientiæ diximus & probauimus latè ſupra cap. 1. num. 9. Quæ dicta ſunt contra depoſitionem, ſentit benè Arriaga vbi ſupra diſput. 27. numero 5.

10. *Neque poſſum* admittere, quod ait poſt Vaſq. Sayrus dicto cap. 4. num. 10. ſcilicet illum ſic errantem, habere duo dictamina: aliud, Bonum eſſe mentiri: alterum, Malum eſſe non mentiri. Et poſt eum Arriaga dicta diſput. 22. num. 20. dicens, illum habere duo iudicia, quorum

vnum, mendacium: alterum, carentiam mendacij, iudicat peccatum. Quod ſanè mirum eſt Doctores eximios dixiſſe, cum ipſi & omnes fateantur, iudicia iſta contraria dari non poſſe. Immo etſi per errorem dari poſſint, tamen hic apertiſſimum eſt non dari, ſupponimus enim, quod conſcientia, ſiue iudicium aliud tantùm dictat, & ſolum culpabiliter hoc dictare, non tamen dictare contrarium, ſed tantùm formidare. Quod benè agnoſcit idem Arriaga vbi ſupra diſput. 27. num. 5. Sin autem ſupponatur dari duo illa iudicia, id eſt, ſiue agam ſiue omittam pecco, pertinet articulus ad alias regulas ſatis notas. Non autem id eſt conſcientia vnum vincibiliter dictans, de qua agimus.

11. *Neque etiam* aliquid probat exemplum adductum à Sanch. dicto loco num. 12. de audiente miſſam ex vana gloria, qui peccat, & etiam peccaret ſi non audiret: Nam prorſus abſimile eſt, vt patet: nam in ſpecie illa, conſcientia dictat vtrumque

que

Digitized by Google

que eſſe peccatum, tam audire ex vana gloria, quàm non audire prorſus, & vtrumque dictat rectè, & ſine vlla contradictione, quæ tunc daretur, & perplexitas, ſi dictaret ſimpliciter peccatum eſſe audire & non audire, nihil addito de vana gloria. Item vtrumque rectè & non erroneè dictat. In ſpecie autem, de qua agimus conſcientia, ſolùm dictat peccatum eſſe non mentiri, non autem quoque dictat non eſſe peccatum, vel eſſe malum mentiri, vnde pluſquam patens eſt differentia.

12. *Concludimus igitur*, poſt diligentiam adhibitam, permanente vincibili errore, licere agere, ſiue potius formare conſcientiam licere, non obſtante errore, ſiue potius formidine in contrarium, neque teneri conſcientiam, ſiue iudicium illud deponere propter illam formidinem erroris, neque poſſe, quamuis vellet, ſi res, vt præcepta proponatur, ita vt in contrario agendo vel omittendo, peccatum timeatur. Vnde in ſequenda conſcientia in prædictis terminis,

Digitized by Google

non poſſe dari peccatum generaliter existimo. Immo in ea non ſequenda peccatum eſſe aſſero, quando rem, vt præceptam, non tantùm, vt licitam proponit. Et quidem tantùm ante diligentiam præmiſſam, peccatum eſſe in dictis terminis agere, ſiue ſecundum ſiue contra conſcientiam vel iudicium, ſentit videtur Suarez 1. 2. tract. 3. diſput. 12. ſect. 4. num. 10.

13. *Quæ dicta ſunt* à fortiori procedunt, quando res proponitur, vt præcepta, tunc enim perplexitas imminet. Item reſoluitur conſcientia in verè erroneam, id eſt putantem illicitum, quod licitum eſt, in quibus terminis reſoluimus ſupra numero 5. non attendi an vincibiliter ſit concepta conſcientia, ſi contra illam agitur. Cùm ergo, vt dicebamus, conſcientia, ſiue iudicium dictans mentiendum eſſe pro ſaluanda vita, reſoluatur in iudicium dictans malum, & illicitum eſſe in dictis terminis non mentiri, iam conſcientia conſideratur, vt proponens aliquid eſſe illicitum, quo dato ſequitur contra

illam facere, etiam ſi vincibilis ſit, peccatum eſſe, cùm autem contra illam facere peccatum ſit, neceſſe eſt, vt ſecundum illam facere non ſit peccatum, cùm homo perplexus eſſe non debeat. Præterea iſte tanquam onus conſiderat illud, quod præceptum, & neceſſarium iudicat, veluti furari pro ſubueniendis pauperibus, non autem, vt licentiam vel priuilegium, vnde non videtur illi imputandum, quod fecerit, neque exquiſiuerit rationes, & cauſas, quæ illum excuſare poſſent, quamuis ſimul oſtendere poſſent illum non ſolum non teneri, ſed non poſſe agere. Et quidem ſi concedamus teneri ad præmittendam diligentiam, ea quidem præmiſſa, & nihilominus permanente vincibili errore, ſiue potius formidine, ea non obſtante rectè formabit conſcientiam non peccare agendo, ſcilicet furando.

14. *Dixi ſæpè iudicium*, pro conſcientia, nam, vt iam ſæpius admonui vniuerſa controuerſia circa conſcientiam pertinet ad illam forman-

dam, & error, ſicut etiam formido, ſiue dubium conſideranda ſunt circa antecedens, à cuius reſolutione pendet formatio conſcientiæ. Et quæſtio eſt, qualiter formanda ſit, quando error eſt vincibilis circa antecedens, quod definiuimus num. præcedentibus, & ideo vſi ſumus nomine, iudicium, nam quod profertur circa antecedens, conſcientia non eſt, vt non ſemel admonuimus. Sin autem ſupponamus conſcientiam iam formatam, ac dictantem vincibiliter, vel cum formidine, id eſt non plenè, vel firmiter peccatum eſſe, aut non eſſe in opere, ſaltem veniale peccatum erit, immo illud erit, vel non erit, quod ab ipſa conſcientia agnoſcitur, & pro modo quo illa admonet. Nulla tamen via, vel regula eſt per quam id certius agnoſci poſſit, vt diximus dicto cap. 1. num. 26. 27. & ibi citatis, & ſæpius.

CAPVT V.

De Conſcientia ſcrupuloſa.

Probatur ſcrupulum nihil aliud eſſe, niſi formidinem ſtantem contra opinionem. Defenditur operantem contra Conſcientiam ſcrupuloſam peccare ſaltem venialiter. Traditur aptiſſimum remedium pro ſedandis ſcrupulis.

1. SCrupulus *variis* modis definiri ſolet. Plures definiunt: *leuem ſuſpicionem, ſeu exiſtimationem, ex leuibus rationibus ortam, qua quis inducitur ad credendum, vel dubitandum eſſe peccatum, quod re vera non eſt.* Ita definit Caſtro Palao dicto tract. 1. diſput. 4. puncto 1. num. 1. citans Vaſq. Sanch. & alios. Sanch. autem de matrim. lib. 2. diſput. 41. num. 2. refert, etiam per alios definiri, *vt ſit aſſenſus ex leuibus coniecturis, vel ex magnis parum æſtimatis à ſcrupulum habenti.*

2. *Verum* prædictæ, & ſimiles definitiones, rectæ non ſunt, cùm conuincant habentem ſcrupulum credere eſſe peccatum, vel de hoc dubitare, vel habere aſſenſum, aut dubium partis dictantis peccatum eſſe. Nam ſic potius diceretur conſcientia erronea, vel dubia; Neque enim quod ex leuibus cauſis producatur iudicium, ſi in effectu aſſenſus reſultat, deſinit eſſe iudicium certum, probabile, aut dubium. Quod enim tale eſſe non debuiſſet, ſolùm operabitur, quod ſit erroneum, at cùm erroneum non cognoſcatur ab errante immeritò additur in definitione: *peccatum eſſe, quod re vera non eſt.* Nam cùm iſte contrarium credat, non poteſt illud agnoſcere, ac per conſequens neque ſcire, quando ſit in ſcrupulo, virtute talis definitionis.

3. *Vera igitur definitio* ſcrupuli eſt, *Vt ſit formido, quæ ſtat contra opinionem, ſiue probabilitatem oppoſitam;* quo ferè modo definit Soto de ſecreto memb. 3. quæſt. 2. concl. 3. quem refert non diſſentiendo Sanch. de ma-

trim. lib. 2. diſput. 41. num. 2. fine. Optimè Suar. 1. 2. tract. 3. diſp. 12. ſect. vlt. num. 1. dicens ſcrupulum oriri ex ſola probabilitate partis contrariæ, id eſt iudicantem probabilem tantùm aliquam partem, remanere in ſcrupulo, quia ſcilicet formidat, vt fortè falſa ſit, illa ergo formido eſt ſcrupulus. Quod etiam ſentit Sayro in claui reg. lib. 1. cap. 14. num. 1. ibi. *ſed quia non eſt euidens, exoritur in animo eius timor, an verè liceat ei, &c.* Clarius Bonacin. dicto 2. tomo diſput. 2. quæſt. 4. puncto 6. num. 2. ibi. *Scrupuloſa eſt illa, quæ vni parti adhæret cum formidine contrariæ.* Filliuc. ſimiliter loquens dicto 2. tomo tract. 21. cap. 4. num. 115. & quamuis addant; ex leui motiuo, id tamen ad rem non pertinet, nam, vt num. præcedenti diximus, attenditur ad effectum, non ad cauſam: Neque quod magis, vel minus leue ſit, mutat rei ſubſtantiam, dummodo in effectu non impediat, vt pro contraria parte ſit aſſenſus, & operetur, quod non ſit certus, & firmus, ſed tantùm opi-

natiuus, id eſt cum formidine. ¶ Illud tandem aduertendo, quod vt conſcientia dicatur ſcrupuloſa, debet aſſenſus eſſe pro parte dictante rem eſſe licitam, & formido in contrarium: nam ſi aſſenſus ſit pro parte dictante rem eſſe illicitam, & formido in contrarium illius aſſenſus, quod fortè ſit licita, tunc non dicetur conſcientia ſcrupuloſa, ſed dictans probabiliter peccatum eſſe.

4. *An autem* peccet qui cum ſcrupulo operatur? controuertunt Doctores, & quidem Monteſin. 1. 2. diſput. 29. quæſt. 6. à num. 252. Sanch. dicto lib. 1. in Decalog. cap. 10. numero 80. Caſtro Palao dicta diſp. 4. puncto 1. à num. 3. & alij ab ipſis citati, non ſolum licitum, ſed laudabile putant operari contra conſcientiam ſcrupuloſam, neque neceſſarium eſſe illam deponere, ait Sanch. dicto num. 80. in principio. Et quamuis Suar. dicta diſput. 12. ſect. vlt. n. 4. dicat tutum & neceſſarium eſſe deponere conſcientiam ſcrupuloſam, tamen non aliud ſignificare videtur, niſi

niſi quòd liceat agere contra illam, & illi non aſſentiri, cùm pro libito, immo neceſſariò deponatur, vel pro depoſita habeatur.

5. *Verùm, vt certa* ab incertis ſeparemus, mihi quidem certiſſimum eſt, quòd ſi ſupponatur (quod tamen implicat) ſcrupulum inducere ad credendum peccatum eſſe, vel ad dubitandum an ſit, quod ſupponere videtur Caſtro Palao citatus num. 1. immeritò aſſeri non eſſe peccatum operari cum ſcrupulo, vel, vt dicunt, contra conſcientiam ſcrupuloſam. Nam ſic conſcientia dictat illicitum eſſe, neque alia conſcientia poteſt conſiderari, quæ dictet licitum eſſe. Vnde cùm agatur contra conſcientiam, ſuccedunt dicta cap. pręcedenti de conſcientia erronea vincibili, neque intereſt, quod non ſit erronea: nam nulla talis agnoſcitur ab operante, ſed conſideratur apprehenſio, & exiſtimatio. Vnde bene docet Suarez dicta diſput. 12. ſect. vlt. dum reſoluit, quòd ſi ſcrupulus vincat hominem ad formandum abſolutum di-

Digitized by Google

ctamen, eſſe malum, quod operatur, & nihilominus operetur, non excuſabitur à culpa, cùm agat, contra conſcientiam, allegans text. in cap. per tuas 2. de ſimonia. At non rectè ſupponit tunc eſſe ſcrupulum, nam vt bene aduertit contra alios Sanch. dicto cap. 10. num. 80. ſi ſcrupulus tollat determinatum aſſenſum partis contrariæ, iam non eſt ſcrupulus, ſed verum dubium. Immo ſi ſcrupulus illius partis, pro qua eſt, producat aſſenſum, iam non ſolum dubium, ſed certitudo; vel probabilitas illud eſſe illicitum reſultabit. Neque per contrarium rectè dicit Caſtro Palao, ſibi contrarius vbi ſupra num. 2. ſcrupulum non tollere iudicium certum, vel probabile de honeſtate actus. Nam licet non tollat probabile, immo ſolum cum probabili ſtare poſſit, tollit tamen certum: qui enim certus eſt opus licitum eſſe, non habet ſcrupulum aut formidinem, vt fortè ſit illicitum. Neque explices, quod certus eſt practicè, licet ſcrupulum habeat ſpeculatiuè, hoc enim nihil va-

let, nam, vt ſtatim dicemus, ſi ſcrupulus ſit circa antecedens, vel, vt dicũnt, ſpeculatiuum, non dubitamus certum poſſe eſſe non peccare, ſed licitè ſequi probabilitatem in contrarium, & formari conſcientia, licere: at ſic iam conſcientia eſt certa, & perperam ſupponitur ſcrupuloſa.

6. *Deinde vel eſt* quæſtio vtrum cum iudicio ſcrupuloſo circa antecedens, iuſtè illo ſpreto formetur conſcientia licere, veluti cum ſcrupulo, ſiue formidine an teſtamentum validum ſit, vel contractus vſurarius, iuſtè formetur conſcientia licere petere legatum, vel contractum celebrare. Et certum eſt iuſtè ſic formari conſcientiam, iuxta dicta & reſoluta toto cap. 2. de conſcientia probabili, nam illa tunc vere interuenit, quando in contrarium eſt ſcrupulus: vnde quando reſoluimus licere ſequi cõſcientiam, vt, dicunt, probabilem, ſiue potius cum probabilitate circa antecedens, rectè formari conſcientiam dictantem licere, reſoluimus ſimul ſcrupulum non impedire conſcientiam ita

Digitized by Google

formari. Et in hoc ſenſu rectè dicitur agere contra ſcrupulum, non eſſe peccatum. Quod tamen non ſic declarant, aut intelligunt prædicti Auctores, ſed conſiderant ſcrupulum in ipſa conſcientia, & poſtremo iudicio circa peccatum, vt iam dicimus. ¶ Vel eſt quæſtio, vtrum peccet, qui tandem cum ſcrupulo, vel quod idem eſt, cum formidine, vt peccatum ſit, operatur? Et hæc quæſtio nullam aliam certiorem reſolutionem habere poteſt, quàm illam qualem qualem conſcientiæ admonitionem, quæ aliquid periculi, & ſic peccati ibi conſiderat; & non immeritò putari debet ibi eſſe veniale peccatum. Quod autem in dictis terminis nulla alia certior, aut reſolutior deciſio poſſit haberi. Circa peccatum probauimus fusè cap. 1. num. 26. 27. & 31. & ibi citatis. Quæ ſi attentè conſiderentur, veriſſima eſſe apparebunt, & ſuper ſimilibus quæſtionibus, de conſcientia iam formata, fruſtra quæri reſolutionem apertè conſtabit. ¶ Dices ſcrupuloſum agnoſcere leuiſſimum

Digitized by Google

eſſe fundamentum quo mouetur, ac perinde iuſtè iudicare poſſe nullum ibi peccatum eſſe. At reſpondetur, ſic terminos excludi & ſuppoſitionem, nam ſi in effectu ſic iudicat, non iam eſt conſcientia ſcrupuloſa, ſed firma & certa. Sin autem non ſic iudicat, quamuis poſſet, vel deberet iudicare, ſed in effectu formidat, peccatum aliquod, pro modo ſcilicet admonitionis, cognoſcit in opere. Tandem obiicio, ſi peccatum non eſt contra ſcrupulum operari, cur tot remedia aſſignantur à Doctoribus ad tollendos ſcrupulos. Vel cur frequentiſſimè dicimus: Habeo de hoc ſcrupulum, vnde non audeo facere, vel de alio debere ſcrupulum habere? Neque contrarium conuincit illud, quod conſiderat Sanch. dicto cap. 10. num. 80. Monteſin. vbi ſupra num. 254. Bonacina dicto 2. tomo diſput. 2. puncto 6. num. 6. Caſtro Palao vbi proximè, ſcilicet ſcrupulum non tollere aſſenſum in contrarium, nam reſpondetur ideo non peccare mortaliter, qui agit contra ſcrupulum, qua-

liter peccaret, ſi ſcrupulus aſſenſum impediret; At peccare pro modo conſcientiæ quæ aliquo modo admonens de periculo peccati, facit ibi aliquod ſuſpicari, & ſentiri in effectu operando, iuxta dicta cap. 1. num. 31. & cap. 3. num. 4. & aliis. Quamuis, vt iam ſupra faſſi ſumus, non negemus hunc non peccare, ſi ſcrupulus circa antecedens remaneat, & non tranſeat in conſcientiam.

7. *Ex dictis infertur* 1. bene dixiſſe Ludouicũ Lopez. & Eman. Roderig. citatos, & impugnatos per Sanch. dicto cap. 10. num. 79. dum requirunt ſcrupulum deponi ad rectam operationem, nam rectè loquuntur, ſi intelligant de depoſitione facienda, id eſt non ducenda formidine ex antecedenti in conſcientiam. Secus ſi credant ea ſtante non poſſe formari conſcientiam licere.

8. *Infertur* 2. tuta non eſſe remedia, quæ pro patiente ſcrupulos aſſignant Monteſin. dicta diſput. 29. numero 260. Sanch. dicto cap. 10. à num. 81. Arriaga dicta diſput. 27. num.

12. nempe, vt conſulatur ſcrupuloſus, ne confiteatur niſi illa, quæ apertè norit eſſe peccata, ſine vlla formidine. Et ne aliquid mortale exiſtimet, niſi, quod tale eſſe iure iurando poſſit affirmare, & ne ſe conſenſiſſe putet, niſi ita certus ſit, vt iurare valeat. Tuta, inquam, non videntur prædicta remedia, vt periculoſa: cur enim iudicabimus illud eſſe ſcrupulum, non peccatum, cùm hoc pendeat ab exiſtimatione operantis, & ille aſſerat, & putet ſe peccaſſe, licet non certo omnino, vel dubitans: quamuis enim erroneè illud exiſtimet, non per id minus peccat, vt ſupra diximus. Neque rectè ſupponitur, ſcrupuloſum agnoſcere ſe talem eſſe, cùm immo putet, illa, quæ eum vexant, excedere limites ſcrupuli, vt agnoſcit Sanch. dicto cap. 10. num. 81. Suar. dicta diſput. 12. ſect. vlt. num. 5. Arriaga dicto num. 12. fine dicens: ſæpè ſcrupuloſum putare euidenter mortale, quod nec veniale eſt. Cur ergo dicemus hunc ſic etiam erroneè exiſtimantem peccare, vel du-

bitantem an peccet, non peccare? Neque vim habet ſolutio præſtita per Sanch. vbi ſupra num. 86. dicentem illud, quod proximè obiicimus procedere, quando dubium eſt rationi conſonum, quale non eſt, ſed potius iudicatur ſcrupulus, ac dæmonis vexatio ad turbandas conſcientias. Nam replicatur ſic incidi in illud, quod ſæpè impugnauimus, ſcilicet in ſuppoſitionem ſcrupuloſum agnoſcere, eſſe ſcrupulum, & malè fundatam dubitationem, ac per inde eam ſpernere, quod ſi ſupponatur, mutantur termini, & iam non formidat, aut dubitat vtrum peccet. Vnde ego quidem non ita audacter conſulerem, ſed quod ad vitandos ſcrupulos ſtaret piorum, ac doctorum conſiliis, & vt ponderaret motiua & curaret, ne ſibi viderentur vrgentia quæ leuia, & inania forent, curando ſpecialiter in illa, vel illis materiis in quibus frequentioribus dubiis vexari ſolet, illum inſtruere, vt ſic non erraret.

9. *Infertur* 3. efficacius remedium

ad ſedandos ſcrupulos illud eſſe, quod ſcilicet doceatur ſcrupuloſus, & inſtruatur circa doctrinam de formanda conſcientia certa, non obſtante formidine in contrarium circa ſpeculatiuum, ſiue antecedens. Nam nullos alios ſcrupuloſos eſſe credo, niſi illos irreſolutos & perplexos, qui ex propria natura, vt plurimum, nihil certum, vel ſine formidine iudicant circa ius, vel factum. Vnde ignorantes, non obſtante illa formidine circa antecedens, poſſe formare conſcientiam certam non peccare, illam formidinem ducunt in ipſam conſcientiam, & peccare, ſine remedio putant: vel timent, nam ſuppoſito, quod formido tranſit in conſcientiam remedium non datur, vt ceſſet, ſi enim daretur & illud agnoſceretur, nō in illum ſtatum deueniret ſcrupuloſus. Doceantur ergo, quod poſſunt ſpernere formidinem illam circa antecedens, & ea non obſtante formare conſcientiam certam licere. Et ſic ceſſabunt ſcrupuli, qui ex dicta occaſione, vt plurimum exoriun-

Digitized by Google

tur, & ex dictæ doctrinæ ignorantia non ſedantur. ¶ Sin autem ſcrupuloſus excedat formidinem, & in dubia incidat, etiam doceatur aliquando in dubio non teneri conſcientiam formare ſecundum partem tutiorem. Quæ ſi percipere non potuerit, dicetur potius conſcientia erronea, & pro illa ſe danda debebit precari Deum, in cuius laudem hæc ſint dicta, quæ pro indictis habeo, ſi aliquid contra catholicam fidem, aut bonos mores inaduertenter ſcripſi, omnia quæ ſanctæ Matris Eccleſiæ correctioni libentiſſimè ſubmitto.

FINIS.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

Digitized by Google

643

INDEX RERVM NOTABILIORVM, QVÆ IN HOC tractatu continentur.

A

ACtio *eadem bona, & mala eſſe poteſt apud diuerſos. cap. 1. n. 17. pag. 14.*

Aduocare non licet pro Actore ſuppoſita probabilitate iuſtitia vtrinſque partis. cap. 2. num. 145. p. 320

§ *Niſi Actor cauſam fauorabilem foueat. b. n. 147. p. 325*

§ *Pro reo aduocare licet etiam in dubio. c. 2. n. 148. p. 327*

Aduocatus debet totum, quod ſentit in iudicio propalare, neque illi licet allegare fundamenta, quæ ſibi videntur falſa, vel inefficacia, neque ali-

ter dolo vti. c. 2. n. 150. p. 331

Æqualiter probabilem vtramque partem numquam Doctores aſſerunt. cap. 2. num. 104. p. 252

Aſſenſus etiam opinatiuus vtrique parti contrariæ præſtari non poteſt. c. 2. §. 2. per tot. à p. 133. ad 207

¶ Neque per intrinſeca, neque per extrinſeca fundamenta. c. 2. n. 70. & 71. p. 188. 189

¶ Poteſt intellectus iudicare vtramque partem habere pro ſe fundamenta non contemnenda, at hic aſſenſus non producit probabilitatem vtriuſque partis, nec ſufficit ad operandum ſecundum minus tutam. c. 2. n. 42. p. 138. & n. 74. p. 195.

Attenditur existimatio operantis, vt dicatur eſſe in ſcientia, opinione, dubio, &c. c. 2. n. 4. p. 69

¶ Neque ab ea recedendum, quia fortè falſa poterit eſſe. cap. 2. n. 116. p. 272. & num. 141. p. 309.

C

CErtitudo, quo ad noſtram exiſtimationem non eſt impoſſibilis,

Digitized by Google

 644

ſed quotidiana. cap. 2. numero 86. p. 217. & n. 111. p. 266

C*onfeſſarius non poteſt abſoluere pœnitentem, qui aliquid facere, vel omittere conſtituit, in quo confeſſarius peccatum eſſe exiſtimat, quamuis pœnitens contrarium putet. At pœnitenti licebit ab alio impetrare abſolutionem. c. 2. n. 176. p. 394*

¶ *Confeſſarius, ſi vtramque partem putet probabilem, vel dubius ſit, an ſit peccatum illud, quod pœnitens gerere vult, & aſſeret licitum, tenebitur illum abſoluere. ibid.*

C*onſcientiæ definitio. cap. 1. num. 6. p. 4. Alia. n. 7. p. 5*

¶ *Eſt poſtremum iudicium, quod profertur circa peccatum. c. 1. n. 8. p. 5*

¶ *Non eſt conſcientia iudicium illud quod non committatur opus. cap. 1. num. 11. p. 9*

¶ *Quare dicatur humanarum actionum regulas? c. 1. n. 13. p. 11. & 12*

¶ *Stricte loquendo non poteſt eſſe erronea. c. 1. n. 20. p. 16. Neque dubio, ibid. n. 21. p. 19. Neque probabilis. 6. n. 22. p. 20.*

¶ Conſcientia ſi tandem dubitat, vel formidat, nulla alia certior reſolutio poteſt haberi, an ſit peccatum in eo opere de quo ſic dubitat. c. 1. n. 26. & 27. p. 23. & 26

¶ Conſcientia, quando ſic dubitat, iuris poſitiui regulæ ſilent, neque niſi naturalis locum habent. c. 1. n. 45. p. 61.

¶ Erronea incognoſcibilis eſt, & vt certa exiſtimatur. c. 4. n. 1. p. 603

¶ Quanam propriè ſit erronea. cap. 4. n. 3. p. 607

¶ Inuincibiliter erronea obligat. Ignorans autem excuſat. c. 4. n. 5. p. 612

¶ Dictans vincibiliter aliquid illicitum, non minus, immo magis obligat. c. 4. n. 5. p. 612. etiamſi à parte rei, non ſolum bona, ſed etiam præcepta ſit illa actio. n. 6. p. 613

¶ Conſcientia errans vincibiliter non difert à probabili, & per huius regulas metienda eſt. c. 4. n. 8. p. 619

¶ In ſequenda conſcientia erronea etiam vincibili peccatum non datur ſi diligentia adhibeatur. c. 4. num. 9. pag. 621

Digitized by Google

 665

Conſulens non poteſt conſulere ſecundum opinionem probabilem alienam, vel etiam propriam, tacendo contrariam quoque ſibi eſſe probabilem. cap. 2. num. 140. p. 304

¶ Neque remittere petentem conſilium ad alium Doctorem, de quo ſcit eſſe in ea opinione, quæ facit pro petente, conſilium ſi remittens illam falſam reputat. c. 2. n. 143. p. 314

Conſulere vnum & alium, vſque dum inueniat conſulentem ſecundum id, quod deſiderat, illicitum eſt. cap. 2. num. 144. p. 317

Contrariæ partis fundamenta elidunt contraria. cap. 2. num. 44. p. 144. & num. 103. p. 248.

Controuerſiæ de modo formandæ conſcientiæ, & reſolutiones circa id, ſolum conuincere poſſunt errare, non autem peccare formaliter illos, qui non veram reſolutionem amplectuntur? cap. 2. num. 199. p. 444

¶ Controuerſia an in dubio tutius eligendum ſit, inutilis eſt & vana, ſi verum eſt vtramque partem contrariam habentem pro ſe graues Aucto-

Digitized by Google

res probabilem eſſe, & ſequi poſſe. cap. 3. num. 5. p. 458

D

D*Efinitio conſcientiæ*, vide verb. *Conſcientia.*

¶ *Eadem, pro vna, & eadem occurrentia non poteſt competere partibus contrariis. cap. 2. num. 47. p. 151*

¶ *Scrupuli*, vide verb. *Scrupuli.*

¶ *Opinionis, ſiue probabilitatis*, vide verb. *Opinionis.*

Depoſitio conſcientiæ impugnatur. c. 1. num. 9. & 10. p. 6. & 8

¶ *Non fit pro libito. cap. 2. num. 77. p. 201*

Difficultas quæſtionis an, & quando in dubio tutius ſit eligendum, commendatur. cap. 3. num. 82. p. 537

Diligentia ad vincendam formidinem præmitti debet, vt operatio cum probabilitate licita ſit, & qualiter dirigi debeat diligentia. cap. 2. num. 29. p. 95

¶ *Similiter præmittenda eſt ad vincendum dubium, vt libitum ſit cum*

dubio operari in terminis, in quibus id licet. cap. 3. num. 15. p. 488

Doctrina de probabilitate, quas vtilitates producat. c. 2. n. 22. p. 106

¶ Tam doctis, quàm indoctis vtilis eſt ibid. num. 23. p. 107

¶ Non ſolum probabilis, ſed certa eſt, dum aſſerit cum probabilitate circa antecedens, licere formare conſcientiam, &c. cap. 2. num. 24. p. 108

¶ Periculoſa eſt intellecta in terminis, in quibus contraria quoque probabilis ſupponitur. c. 2. n. 198. p. 443

¶ In praxi non ſolet quæri, vt dicatur doctrina de probabilitate, locum habere, niſi an apparentia aliqua rationum pro aliqua parte detur, quod perperam fit. ibid.

Dubia conſcientia per errorem iuris contingit. cap. 1. num. 25. p. 22

¶ Ea ſic formata, nullum aliud indicium certius haberi poteſt, an ſic operari ſit peccatum. cap. 1. num. 26. & 27. p. 23. 26

Dubium in materia conſcientiæ conſiderandum eſt circa antecedens, à cuius reſolutione pendet, an ſit peccatum.

Digitized by Google

cap. 1. num. 29. p. 30. & cap. 3. num. 7. p. 462

¶ *Quando contingat. cap. 2. num. 79. p. 207*

¶ *Speculatiuum attenditur. cap. 2. num. 82. p. 210*

¶ *In illud incidit, qui nihil indicat. cap. 2. num. 83. p. 214*

¶ *Negatiuum eſt potius neſcientia, neque pertinet ad materiam conſcientiæ dubiæ. cap. 2. num. 95. p. 237. & cap. 3. num. 38. p. 560*

¶ *Poſitiuum pertinet ad materiam de conſcientia dubia. ibid.*

¶ *Contingit, quando vtraque pars contraria videtur probabilis. cap. 2. §. 3. per tot. à p. 207. ad 246. & num. 103. p. 248. & cap. 3. num. 8. p. 468*

¶ *Non deſinit eſſe dubium per aliquam inclinationem in alteram partium. cap. 2. num. 79. p. 207*

¶ *Dubium formatum, & permanens attenditur, & ſupponitur in materia de conſcientia dubia: non autem illud, quod reſoluitur, & potius quæſtio dici debet. cap. 3. num. 7. p. 462.*
Digitized by Google

& num. 21. p. 504. & 30. p. 519. & 31. p. 532

¶ *Dubium aliquando eſt circa ius; Aliquando verò circa factum. c. 3. num. 10.* p. 470

¶ *Dubium, quando contingit circa ius non dantur iuris regulæ pro tali caſu, ius enim non ſupponit ipſum ignorandum. cap. 3. num. 11.* p. 471

¶ *Dubium circa factum, aliquando reddit ius dubium, aliquando verò non, & quando. cap. 3. num. 11.* p. 472

¶ *Dubium quando eſt ſimul circa ius, & factum, non verum dubium eſſe videtur. cap. 3. num. 11.* p. 474

¶ *Dubio ſtante circa antecedens, poteſt nihilominus reſolutio certa ſumi circa conſequens, id eſt an ſit peccatum ſic operari. cap. 3. num. 12.* p. 477. & num. 13. p. 481

¶ *Dubitans an ſit præceptum prohibens, non poteſt facere. At dubitans an ſit præceptum de faciendo, poteſt omittere, nec tenetur facere. cap. 3. num. 32. & ſequentibus.* p. 537

Dubius an emiſerit votum, ſi votum

dubium ſit de faciendo, non tenetur facere. Si ſit ſexto omittendo tenetur omittere. cap. 3. n. 42. p. 574
¶ Dubius die Iouis, an iam ſit media nox, carnibus veſci non poteſt. c. 3. num. 43. p. 575
¶ Dubius die Sabbathi an iam ſit media nox, non adhuc carnibus veſci potoſt. ibid.
¶ Dubius an iam expleuerit 21. annum: Vel 60. compleuerit, tenetur ieiunare. cap. 3. num. 44. p. 580
¶ Dubius an habeat ætatem ad ordines requiſitam, illicitè illos ſuſcipit. ibid.
¶ Dubius an commederit, vel biberit poſt mediam noctem præcedentem, non poteſt communicare. ibid.
¶ Dubius an locus in quo inuenitur ſit Caſtellæ non poteſt inteſtinis veſci, ſiue antea in Caſtella eſſet, ſiue in Portugallia. ibid.
¶ Dubius an dies feſtiua ſit, non poteſt opera ſeruilia exercere; At non tenetur miſſam audire. ibid.
¶ Dubius an præceptum in particulari caſu obliget, aut ab eo excuſetur

non tenetur præcepto de faciendo. cap. 3. num. 48. p. 591

¶ *Dubius an habuerit animum ſe obligandi voto, vel iuramento illis non tenetur, ſi ſint de faciendo. c. 3. num. 49. p. 597*

E

E*Rronea conſcientia* vide verb. *conſcientia.*

Errans vincibiliter non habet duo dictamina. cap. 4. num. 10. p. 623

Exiſtimatio operantis attenditur, vt dicatur eſſe in ſcientia, opinione, dubio, &c. vide verbo: *Attenditur.*

Exemplum adductum à Sayro ad probandum licere ſequi, probabile relicto probabiliori, impugnatur. cap. 3. numero 113. p. 270

¶ *Item adductum à Monteſin. c. 2. num. 114. p. 271*

¶ *Item adductum ab Azorio. cap. 2. num. 115. p. 272*

¶ *Item adductum ab Arriaga ad probandum idem. cap. 2. num. 186. & 187. p. 417. & 419.*
518
Digitized by Google

¶ *Item adductum à Sanch. ad probandum, poſſe ex antecedenti dubio conſequens certum haberi. cap. 3. numero 12.* p. 477

¶ *Item adductum ab eodem Sanch. ad probandum peccare, qui operatur cum conſcientia vincibiliter erranti, ſiue ſecundum, ſiue contra illam agat. cap. 4. num. 11.* p. 624

F

F*Alſitas ab vtraque propoſitione contraria, remoueri non debet, cùm in altera præcisè detur. cap. 2. numero 59.* p. 174

Formido non tollit aſſenſum. cap. 1. numero 6. p. 75

¶ *Difert maximè à dubio. cap. 2. num. 20.* p. 100

¶ *In quo conſiſtat. cap. 2. num. 49.* p. 156. & *num.* 50. p. 157

¶ *Non ſolum reſultat ex inſufficientia fundamentorum illius partis, ſed ex fundamentis contrariæ. cap. 2. num. 50.* p. 158

Forus internus non eſt conformandus ex-

 644

terno, quando iſte fundatur in præſumptione animi operantis, qui dubitat an talis fuerit, qualis præſumitur. cap. 3. num. 23. p. 508

H

HOrologia audiens diuerſum horarum numerum ſonantia, non in probabilitatem vtriuſque numeri, ſed in dubium inducitur. cap. 2. numero 197. p. 439

I

IGnorantiæ inuincibilis, ſiue vincibilis doctrina, potius pertinet ad materiam, & doctrinam de conſcientia. cap. 1. num. 44. p. 58

¶ Ignorantiam inuincibilem non habet dubitans, etiam poſt adhibitam diligentiam. c. 3. n. 38. p. 560

Improbabilem vtramque partem contrariam dicere, abſurdum eſſet. cap. 2. num. 52. p. 161

¶ Improbabilis eſt pars contraria, quando altera probabilis eſt. cap. 2. nu-

Digitized by Google

mero 55. *p.* 168

Impugnantur termini, Practicè, & ſpeculatiuè. *cap.* 1. *num.* 35. *cum ſequentibus.* *à p.* 40

Intellectus ad text. in cap. Inquiſitioni 44. *de ſentit. excom. cap.* 1. *numero* 34. *p.* 38

¶ *Intellectus ad text. in cap. Dominus de ſecund. nupt. c.* 3. *n.* 4. *p.* 455

Iudex debet pro reo iudicare, non rem diuidere, quando æquè probabilem in facto vtramque partem conſiderat. cap. 2. *num.* 153. *p.* 337

¶ *Iudex ſi vtramque partem in iure probabilem conſideret, non poteſt pro amico iudicare, ſed abſtinere debet à iudicando, ſin autem cogatur ſententiam pro ferre, pro reo iudicare debet, niſi actor fauorabilem cauſam foueat. cap.* 2. *num.* 163. *p.* 363

Iudicare non debet aliquis, antequam intelligat. cap. 1. *num.* 5. *p.* 4

Iudicium circa conſequens non poteſt eſſe diuerſum à iudicio circa antecedens. cap. 1. *num.* 41. *p.* 52. *Declarando vt cap.* 3. *num.* 12. & 13. *p.* 477. & 481

¶ *Practicum*

 650

¶ *Practicum variare non poteſt à vero ſpeculatiuo. cap. 1. num. 18. p. 15. & num. 39. p. 48*

¶ *Certum iudicium non poteſt deduci ex antecedenti dubio. c. 1. n. 40. p. 50*

¶ *At poteſt haberi certum circa peccatum formale. c. 1. n. 41. p. 52*

Ius ad rem non habet vterque aduerſariorum, quia pro vtraque parte conſideretur probabilitas. cap. 2. n. 154. p. 341

L

Licitum non eſſe operari cum probabilitate tantùm, ſed neceſſariam eſſe certitudinem plures tenent. c. 2. num. 18. p. 92

¶ *Contrarium verius, & qualiter procedat. ibid. num. 19. p. 95*

¶ *Licitum non eſt operari cum probabilitate, ſecundum minus tutam partem, ſi nullum aut ferè nullum onus reſultet de ſequenda tutiori. cap. 2. num. 26. p. 110*

¶ *Vel ſi de ſequenda minus tuta paruum lucrum operanti, at maximum damnum proximo reſultare poſſit. ibid.*

¶ *Licitum non eſt operanti tanquam*

miniſtro publico, vel ex conuentione expreſſa, aut tacita minus tutum illi ad quem operatio pertinet eligere. cap. 2. num. 28. p. 113

¶ *Licitum non eſſet operari ſecundum minus tutam partem, contra probabilem, etiamſi fieri poſſet, vt vtraque probabilis eſſet. c. 2. num.* 102. *p.* 246

¶ *Licitum non eſt agere illud de quo non conſtat eſſe permiſſum, quamuis etiam non conſtet eſſe prohibitum. c.* 3. *num.* 34. *p.* 541

Libertas noſtrarum operationum non minuitur conſiderabiliter, aut iniuſtè, per id quod non liceat ſecundum minus tutam partem operari, quando pro vtraque probabilitas conſideratur. cap. 2. *num.* 112. *p.* 268. & *num.* 190. *p.* 424

M

MEdicus debet applicare medicamentum, quod probabilius iudicat profuturum, relicto probabili. Sin autem conueniens ſit applicare illud, quod nocere poteſt, ſicut proficere, applicandum quod probabilius

Digitized by Google

proficere, quàm nocere poteſt. cap. 2. num. 137. *p. 295*

O

*O*Pius intolerabile aut etiam graue, non cenſentur imponi, per id quod ſtante probabilitate pro vtraque parte, tutius eligendum ſtatuatur. cap. 2. num. 112. p. 268. & n. 190. p. 424*

Opinionis, quatenus eſt ſtatus proprij intellectus, definitio. c. 2. n. 3. p. 66

¶ *Opinionis impropriæ, ſcilicet quatenus eſt ſententia Doctorum definitio. cap. 2. num. 5.* *p. 72*

Opinio propria operantis, & non aliena attenditur in materia conſcientiæ. cap. 2. num. 5. *p. 72*

¶ *Opinio idem eſt ac probabilitas. c. 2. num. 6.* *p. 75*

¶ *Opinio non poteſt probabilis non eſſe. cap. 2. n. 6. p. 75. & n. 37. p. 131*

¶ *Conſideratur in propoſito circa antecedens à cuius reſolutione pendet. an ſit peccatum. cap. 3. num. 8. p. 468*

¶ *Quatenus eſt ſententia Doctorum ad materiam conſcientiæ opinantis directè non pertinet. cap. 2. n. 30. p. 121*

[illegible]
[illegible] p.12
[illegible]
[illegible] p.27
[illegible]
[illegible] p.125
[illegible]
[illegible] p.130
[illegible]
[illegible]
[illegible] p.132
[illegible]
[illegible]
[illegible]
[illegible] p.43
[illegible]
[illegible]
[illegible] p.4
[illegible]
[illegible]
[illegible] p.4
[illegible]
[illegible]
[illegible] p.4
[illegible]

.P

Eccatum formale dari nequit, niſi
media conſcientia de illo admo-
nte. cap. 1. num. 14. p. 12
Dicta admonitio debet eſſe tempore
erationis, & non antea. c. 1. n. 18.
15
Formale, an ſit, vel non in opere,
lus operans agnoſcit. cap. 1. nu-
ero 19. p. ead.
Neque committitur, neque ceſſat
er cognitionem ſuperuenientem poſt
pus factum. cap. 4. num. 1. p. 603
Mortale non videtur operari cum
pſa conſcientia dubia. cap. 1. n. 27.
. 26. & 31. p. 33
Veniale eſt operari cum ipſa con-
ſcientia probabili. cap. 1. num. 27.
. 26. & num. 31. p. 33. & cap. 2.
um. 132. p. 289
Mortale non eſt formaliter, ope-
ari cum conſcientia vincibiliter di-
tante licitum eſſe opus. cap. 4. nu-
ero 7. p. 615
In ſequenda conſcientia etiam vin-
ibiliter dictante aliquid faciendum
vt praeceptum, cùm tamen verè ma-

652

dubium ſit de faciendo, non tenetur facere. Si ſit ſexto omittendo tenetur omittere. cap. 3. n. 42. p. 574

¶ Dubius die Iouis, an iam ſit media nox, carnibus veſci non poteſt. c. 3. num. 43. p. 575

¶ Dubius die Sabbathi an iam ſit media nox, non adhuc carnibus veſci potoſt. ibid.

¶ Dubius an iam expleuerit 21. annum: Vel 60. compleuerit, tenetur ieiunare. cap. 3. num. 44. p. 580

¶ Dubius an habeat ætatem ad ordines requiſitam, illicitè illos ſuſcipit. ibid.

¶ Dubius an commederit, vel biberit poſt mediam noctem præcedentem, non poteſt communicare. ibid.

¶ Dubius an locus in quo inuenitur ſit Caſtellæ non poteſt inteſtinis veſci, ſiue antea in Caſtella eſſet, ſiue in Portugallia. ibid.

¶ Dubius an dies feſtiua ſit, non poteſt opera ſeruilia exercere; At non tenetur miſſam audire. ibid.

¶ Dubius an præceptum in particulari caſu obliget, aut ab eo excuſetur

Digitized by Google

non tenetur præcepto de faciendo. cap. 3. num. 48. p. 591
¶ Dubius an habuerit animum ſe obligandi voto, vel iuramento illis non tenetur, ſi ſint de faciendo. c. 3. num. 49. p. 597

E

ERronea conſcientia vide verb. conſcientia.
Errans vincibiliter non habet duo dictamina. cap. 4. num. 10. p. 623
Exiſtimatio operantis attenditur, vt dicatur eſſe in ſcientia, opinione, dubio, &c. vide verbo: Attenditur.
Exemplum adductum à Sayro ad probandum licere ſequi probabile relicto probabiliori, impugnatur. cap. 3. numero 113. p. 270
¶ Item adductum à Monteſin. c. 2. num. 114. p. 271
¶ Item adductum ab Azorio. cap. 2. num. 115. p. 272
¶ Item adductum ab Arriaga ad probandum idem. cap. 2. num. 186. & 187. p. 417. & 419

¶ *Item adductum à Sanch. ad probandum, poſſe ex antecedenti dubio conſequens certum haberi. cap. 3. numero 12.* p. 477

¶ *Item adductum ab eodem Sanch. ad probandum peccare, qui operatur cum conſcientia vincibiliter erranti, ſiue ſecundum, ſiue contra illam agat. cap. 4. num. 11.* p. 624

F

F*Alſitas ab vtraque propoſitione contraria, remoueri non debet, cùm in altera præcisè detur. cap. 2. numero 59.* p. 174

Formido non tollit aſſenſum. cap. 1. numero 6. p. 75

¶ *Difert maximè à dubio. cap. 2. num. 20.* p. 100

¶ *In quo conſiſtat. cap. 2. num. 49. p. 156. & num. 50. p. 157*

¶ *Non ſolum reſultat ex inſufficientia fundamentorum illius partis, ſed ex fundamentis contrariæ. cap. 2. num. 50.* p. 158

Forus internus non eſt conformandus ex-

Digitized by Google

terno, quando iſte fundatur in præſumptione animi operantis, qui dubitat an talis fuerit, qualis præſumitur. cap. 3. num. 23. p. 508

H

HOrologia audiens diuerſum horarum numerum ſonantia, non in probabilitatem vtriuſque numeri, ſed in dubium inducitur. cap. 2. numero 197. p. 439

I

IGnorantiæ inuincibilis, ſiue vincibilis doctrina, potius pertinet ad materiam, & doctrinam de conſcientia. cap. 1. num. 44. p. 58
¶ Ignorantiam inuincibilem non habet dubitans, etiam poſt adhibitam diligentiam. c. 3. n. 38. p. 560
Improbabilem vtramque partem contrariam dicere, abſurdum eſſet. cap. 2. num. 52. p. 161
¶ Improbabilis eſt pars contraria, quando altera probabilis eſt. cap. 2. nu-

mero 55. p. 166

Impugnantur termini, Practicè, & ſpeculatiuè. cap. 1. num. 35. cum ſequentibus. à p. 40

Intellectus ad text. in cap. Inquiſitioni 44. de ſentit. excom. cap. 1. numero 34. p. 38

¶ Intellectus ad text. in cap. Dominus de ſecund. nupt. c. 3. n. 4. p. 451

Iudex debet pro reo iudicare, non rem diuidere, quando æquè probabilem in facto vtramque partem conſiderat. cap. 2. num. 153. p. 337

¶ Iudex ſi vtramque partem in iure probabilem conſideret, non poteſt pro amico iudicare, ſed abſtinere debet à iudicando, ſin autem cogatur ſententiam pro ferre, pro reo iudicare debet, niſi actor fauorabilem cauſam foueat. cap. 2. num. 163. p. 369

Iudicare non debet aliquis, antequam intelligat. cap. 1. num. 5. p. 4

Iudicium circa conſequens non poteſt eſſe diuerſum à iudicio circa antecedens. cap. 1. num. 41. p. 52. Declarando vt cap. 3. num. 12. & 13. p. 477. & 481

¶ Practicum

 650

¶ *Practicum variare non poteſt à vero ſpeculatiuo. cap. 1. num. 18. p. 15. & num. 39. p. 48*

¶ *Certum iudicium non poteſt deduci ex antecedenti dubio. c. 1. n. 40. p. 50*

¶ *At poteſt haberi certum circa peccatum formale. c. 1. n. 41. p. 52*

Ius ad rem non habet vterque aduerſariorum, quia pro vtraque parte conſideretur probabilitas. cap. 2. n. 154. p. 341

L

Licitum non eſſe operari cum probabilitate tantùm, ſed neceſſariam eſſe certitudinem plures tenent. c. 2. num. 18. p. 92

¶ *Contrarium verius, & qualiter procedat. ibid. num. 19. p. 95*

¶ *Licitum non eſt operari cum probabilitate, ſecundum minus tutam partem, ſi nullum aut ferè nullum onus reſultet de ſequenda tutiori. cap. 2. num. 26. p. 110*

¶ *Vel ſi de ſequenda minus tuta paruum lucrum operanti, at maximum damnum proximo reſultare poſſit. ibid.*

¶ *Licitum non eſt operanti tanquam*

miniſtro publico, vel ex conuentione expreſſa, aut tacita minus tutum illi ad quem operatio pertinet eligere. cap. 2. num. 28. p. 113

¶ Licitum non eſſet operari ſecundum minus tutam partem, contra probabilem, etiamſi fieri poſſet, vt vtraque probabilis eſſet. c. 2. num. 102. p. 246

¶ Licitum non eſt agere illud de quo non conſtat eſſe permiſſum, quamuis etiam non conſtet eſſe prohibitum. c. 3. num. 34. p. 541

Libertas noſtrarum operationum non minuitur conſiderabiliter, aut iniuſtè; per id quod non liceat ſecundum minus tutam partem operari, quando pro vtraque probabilitas conſideratur. cap. 2. num. 112. p. 268. & num. 190. p. 424

M

MEdicus debet applicare medicamentum, quod probabilius iudicat profuturum, relicto probabili. Sin autem conueniens ſit applicare illud, quod nocere poteſt, ſicut proficere, applicandum quod probabilius

Digitized by Google

 651

proficere, quam nocere poteſt. cap. 2. num. 137. p. 295

O

OPius intolerabile aut etiam graue, non cenſentur imponi, per id quod ſtante probabilitate pro vtraque parte, tutius eligendum ſtatuatur. cap. 2. num. 112. p. 268. & n. 190. p. 424

Opinionis, quatenus eſt ſtatus proprij intellectus, definitio. c. 2. n. 3. p. 66

¶ Opinionis impropriæ, ſcilicet quatenus eſt ſententia Doctorum definitio. cap. 2. num. 5. p. 72

Opinio propria operantis, & non aliena attenditur in materia conſcientiæ. cap. 2. num. 5. p. 72

¶ Opinio idem eſt ac probabilitas. c. 2. num. 6. p. 75

¶ Opinio non poteſt probabilis non eſſe. cap. 2. n. 6. p. 75. & n. 37. p. 131

¶ Conſideratur in propoſito circa antecedens à cuius reſolutione pendet. an ſit peccatum. cap. 3. num. 8. p. 468

¶ Quatenus eſt ſententia Doctorum ad materiam conſcientiæ opinantis directè non pertinet. cap. 2. n. 30. p. 121

¶ *Neque in terminis de quibus proximè, eſt propria opinio.c.2.n.31. p.123*

¶ *Neque ex ſe probabilitatem habet. §.5. per tot. à p.278*

¶ *Opinio aliena non poteſt alteri eſſe probabilis. cap.2. num.34. p.129*

¶ *Abuſiuè dicitur opinio illa, quæ eſt ſententia Doctorum.c.2.n.35.p.130*

¶ *Opinio etiam contingit circa res facti. cap.2. num.36. p. ead.*

¶ *Dari nequit pro vtraque parte contradictionis. cap.2. num.38.p.152. & per tot. §.2. à p.132*

¶ *Vnius Doctoris opinio, non ſolum in probabilitatem, ſed in certitudinem inducere poteſt, ſi nihil ſit in contrarium. c.2. n.195. p.434*

¶ *Sin autem plures Doctiores contrarium defendant, non erit probabilis vnius Doctoris ſententia. ibid. p.435*

¶ *Sin verò pro vtraque parte æqualis, vel fere auctoritas conſideretur, dubium reſultabit. c.2. n.195. p.436*

Opiniones, *quando ſunt ſuper eo an liceat, iam termini non pertinent ad materiam conſcientiæ formandæ. c.2. num.178. p.403*

P

PEccatum formale dari nequit, niſi media conſcientia de illo admonente. cap. 1. num. 14. p. 12

¶ Dicta admonitio debet eſſe tempore operationis, & non antea. c. 1. n. 18. p. 15

¶ Formale, an ſit, vel non in opere, ſolus operans agnoſcit. cap. 1. numero 19. p. ead.

¶ Neque committitur, neque ceſſat per cognitionem ſuperuenientem poſt opus factum. cap. 4. num. 1. p. 603

¶ Mortale non videtur operari cum ipſa conſcientia dubia. cap. 1. n. 27. p. 26. & 31. p. 33

¶ Veniale eſt operari cum ipſa conſcientia probabili. cap. 1. num. 27. p. 26. & num. 31. p. 33. & cap. 2. num. 132. p. 289

¶ Mortale non eſt formaliter, operari cum conſcientia vincibiliter dictante licitum eſſe opus. cap. 4. numero 7. p. 615

¶ In ſequenda conſcientia etiam vincibiliter dictante aliquid faciendum vt praeceptum, cùm tamen verè ma-

lum ſit, dum modo diligentia præmittatur. cap. 4. num. 9. p. 621

¶ Committitur, operando cum conſcientia ſcrupuloſa dictante peccatum fortè eſſe, vel aliquo modo dubitante. cap. 5. num. 5. p. 633. & num. 6. p. 635

Periculo eligendi partem falſam non minus exponitur ille, qui vtramque probabilem iudicat, quàm ſorti eligendi veram, qui vtramque improbabilem iudicaret. c. 2. n. 104. p. 252

Poſſeſſio ex ſe non dat ius ad operandum in dubio. c. 3. n. 19. p. 495

¶ Sæpè non poteſt conſiderari pro aliqua partium, etiam in materia iuſtitiæ. ibid.

¶ Pro libertate, vel præcepto impropriſſimè conſideratur, & eſſe dicitur. cap. 3. num. 20. p. 499

¶ Poſſeſſio perperam dicitur eſſe pro eo pro quo eſt præſumptio. cap. 3. n. 21. p. 504

¶ Practicè, & ſpeculatiuè termini impugnantur. c. 1. n. 35. cum ſequentibus. à p. 40. & c. 3. n. 3. p. 452. & n. 4. p. 455. & n. 7. p. 462

Digitized by Google

Præcepta incompaſſibilia concurrere non poſſunt. c. 2. n. 15. p. 86
Præceptum dubium, ſi eſt de faciendo non obligat: Secus ſi ſit de omittendo. cap. 3. num. 32. p. 537
¶ Duplex, non vnum tantùm eſt præceptum de feſtis ſanctificandis: Alterum negatiuum, de non exercendis ſeruilibus: Alterum affirmatiuum, de audienda miſſa. c. 3. n. 44. p. 580
¶ Nullum, ſi ſit vnum tantùm, eſt ſimul affirmatiuum, & negatiuum. cap. 3. num. 46. p. 584
Præſumptio ſi ſupponitur pro altera parte, iam perperam ſupponitur dubium eſſe. c. 3. n. 21. p. 504
¶ Non datur in rebus iuris, ſed tantùm facti. c. 3. n. 22. p. 507
Probabilitas ſi ſtat contra operationis bonitatem, illicitum eſt opus. cap. 2. num. 19. p. 95
¶ Si ſtat pro bonitate operationis ea licet. ibid.
¶ Dicit maiorem conuenientiam prædicati cum ſubiecto. c. 2. n. 51. p. 160
¶ Vnius tantùm partis ſæpè eſt, etiam in opinione Auctorum defendentium

etiam dari poſſe pro vtraque parte. cap. 2. num. 58. p. 172

¶ *Comparatur præſumptioni. cap. 2. num. 61.* p. 176

¶ *Pro vtraque parte nullus textus illam conſiderat.* ibid.

¶ *Non poteſt eſſe pro vtraque parte contraria*, vide verbo: *Aſſenſus.*

¶ *Non reſultat probabilitas, ſed dubium, quando par eſt cauſa vtriuſque partis. c. 2. n. 103.* p. 248

¶ *Etiamſi altera probabilior conſideretur. c. 2. n. 118.* p. 276

¶ *Non eſt idem eſſe probabile, & licere. cap. 2. num. 107.* p. 256

¶ *Nec ſemper ſequitur: eſt probabile, ergo licet. c. 2. n. 108.* p. 260

¶ *Vtriuſque, vel plurium contrariarum ſententiarum probabilitas eſt inuentum Modernorum de re morali ſcribentium. c. 2. n. 131.* p. 288

Probabilem tantùm, non certam dicentes aſſertionem, quæ dictat licere operari ſecundum probabilem, nihil decidunt, & quare. c. 2. n. 133. p. 290

Probabile ſequi ſi licet, contra probabilius fruſtra Doctores fatigantur in

Digitized by Google

quærendo & inculcando probabiliori. cap. 2. num. 135. p. 294
¶ *Item fruſtra fatigantur in diſputando an iudex debeat ſequi probabiliorem ſententiam. c. 2. n. 136.* p. 294
Probabilis opinio, non poteſt dici aliena. cap. 2. num. 181. p. 411
¶ *Neque vera. c. 2. n. 184.* p. 414
¶ *Sententia quæ adeo parum probabilitatis habet, vt aliàs ſequi non poſſit, vitandi periculi cauſa, aut quia caſus vrget eligi nequit. c. 2. n. 192.* p. 426
¶ *Dici non poteſt probabilis illa, contra quam aliquid conuincens apparet. c. 2. n. 196.* p. 437
¶ *Propria ſententia non minus ſequi poteſt aut debet, quia forte poterit eſſe falſa. c. 2. num. 116. p. 272. & num. 141. p. 309*
Prudenter non agit, qui ſecundum minus tutam partem operatur, ſi ſimilem probabilitatem pro contraria parte conſiderat. c. 2. num. 110. p. 263. & num. 185. p. 415

Q

QVALITATES, quæ attribui ſolent conſcientiæ, non ſunt in ea, ſed in intellectu. cap. 1. num. 24. p. 21

Quæſtio an liceat operari cum probabilitate intelligitur ſecundum, minus tutam partem. c. 2. n. 11. p. 79. & c. 3. n. 2. p. 452. & n. 14. p. 486.

R

Reſolutio circa peccatum ſemper pendet ab alio antecedenti. c. 2. num. 10. p. 79

Reſpondens vtrumque contrarium probabile eſſe, nihil reſpondet interroganti quale ſit verum. c. 2. n. 88. p. 225

Reus in pari cauſa præfertur. c. 3. n. 33. p. 539

S

Sacramenta conficere, vel adminiſtrare non licet, niſi tutiori modo, quamuis minus tutus modus probabilior ſit. c. 2. n. 165. p. 367

¶ *Etiamſi vertatur intereſſe ipſius adminiſtrantis. c. 2. n. 166.* p. 371

¶ *Suſcipere licet cum probabilitate vera, etiam ſecundum minus tutum. cap. 2. num. 167.* p. 372

¶ *Si nulla partium tutior appareat pro validitate ſacramenti, quid agendum. cap. 2. n. 171.* p. 379

Scrupuli definitio. c. 5. num. 1. p. 629.

Impugnatur. ibid. n. 2. p. 630

Digitized by Google

¶ *Verior definitio. ibid. n. 3. p. 630* 655
¶ *Scrupulus circa antecedens, non impedit conſcientiam certam formari. cap. 5. num. 6. p. 635*
¶ *Remedia pro ſedandis ſcrupulis à DD. tradita, non ſunt tuta. cap. 5. num. 8. p. 638*
¶ *Verius, & aptius remediũ pro ſedandis ſcrupulis traditur. c. 5. n. 9. p. 640*
Sententia Doctorum remotè pertinet ad doctrinam de conſcientia opinante. cap. 2. num. 194. p. 430
¶ *Solùm poſſunt eſſe cauſæ aſſenſus. ibid. p. 432. 433*

T

TExtus decidentes in dubiis, &c. procedunt in dubio ſpeculatiua. cap. 3. num. 36. p. 550
Tutior pars, quæ dicatur. c. 2. n. 13. p. 82
¶ *Quando nulla tutior apparet, eligendũ eſt minus malũ. c. 2. n. 15. p. 86*
¶ *Quid agendum, quando ignoratur qualis pars tuta ſit. c. 2. n. 16. p. 89*
¶ *Non eſt idem tutior & probabilior, vel tuta & probabilis. c. 2. n. 17. p. 91*
¶ *Non eſt tutior, quæ plurimorum ſapientium iudicio confirmatur. ibid.*
¶ *Tutior non ſupponit contrariam*

quoque tutam. c. 3. n. 6. p. 452

¶ *In dubio nec ſemper tutior eſt ſequenda. c. 3. n. 24.* p. 515

¶ *Neque ſemper omitti poteſt tutior in dubiis iuris. c. 3. n. 25.* p. 516

¶ *Tutior in quibus terminis generaliter ſit ſequenda. c. 3. n. 27.* p. 520

¶ *Sequenda quando ſit, vel non cum probabilitate:* vide verbo, *licitum.*

¶ *Tutior quando non eſt altera partium, non procedit propriè quæſtio an in dubiis, &c. c. 3. n. 28.* p. 523. *& num. 29.* p. 528

¶ *Eligenda eſt tutior in dubio, ſi præceptum ſit de omittendo, ſecus ſi ſit de faciendo. c. 3. n. 32.* p. 537

V

VOlumina magna ædere ſtatuentes non poſſunt omnia examinare. c. 2. n. 67. p. 184

Voluntas non imperat intellectui. c. 2. num. 77. p. 201

Votum dubium non cogit ad faciendum, cogit autem ad omittendum. cap. 3. n. 35. p. 546. *& n. 42.* p. 574

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

RESTAURO del LIBRO ANTICO
Cav. G. DI GIACOMO
PESCARA

GEN 197

Digitized by Google